Conspectus chirurgiae tam medicae, methodo Stahliana conscriptae; quam instrumentalis, recentissimorum auctorum ductu collectae, quae singula tabulis CIII exhibentur / Joanne Junckero.

Contributors

Juncker, Johann, 1679-1759.

Publication/Creation

Halae : Orphanotrophei, 1731.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/jtzfdyf9

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org





30752/B

H. VII. Jun

(49)

3.2s

32,071

32071

CONSPECTVS

CHIRVRGIÆ

TAM

MEDICÆ,

METHODO STAHLIANA

CONSCRIPTÆ;

QVAM

INSTRVMENTALIS,

RECENTISSIMORVM AVCTORVM DVCTV COLLECTÆ,

QUÆ SINGULA

TABVLIS CIII

EXHIBENTVR:

ADJECTO

INDICE SVFFICIENTE,

AVCTORE

D. IOANNE IVNCKERO,

MED. P. P. O. ET PRACTICO ORPHANOTROPHEI HALENSIS.

EDITIO SECUNDA EMENDATIOR PRIORE,



HALÆ, Typis & Impensis ORPHANOTROPHEI. MDCCXXXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, CONSVLTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO DOMINO
DOMINO
D. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,
SACRÆ MAIESTATIS REGIÆ BORVSSIÆ ARCHIATRO PRIMARIO, CONSILIARIO AVLICO PRVDENTISSIMO, PRÆSIDI COLLEGII MEDICI BEROLINENSIS MERITISSIMO,
PATRONO SVO VENERANDO
S. D.
JOANNES JUNCKERUS.

NOndum excidit memoria, *VIR EXCELLENTISSIME*, neque vmquam excidere par eſt, quam beneuolo ac plane paterno animo me & ſtudia mea proſequi ante triennium cœperis: quum prima mihi, quamuis abſenti, occaſio offerretur innoteſcendi TIBI, atque editionem tabularum medicarum, quam parabam, TEcum communicandi. Ac tum quidem publicum huius rei teſtimonium ſic dediſti, vt non modo probares inſtitutum hoc meum: ſed luculen-

ta etiamet eruditissima præfatione comitari illud & quasi præmunire nullus dubitares. Haud mirum videri oportet, si splendor inde & commendatio insignis operi accessit: quum TV nouam rei medicæ, tot ac tam cæcis obscuritatibus inuolutæ, lucem dudum ipse attuleris, & præcipuum aliquem inter eius instauratores locum merito TVO teneas. Quare omnia tanto magis inuitant me ac stimulant, vt & gratam animi mei obligationem hic publice significem, & alterum hunc tabularum chirurgicarum fasciculum ILLVSTRI TVO Nomini dicatum velim. Admitte igitur, VIR EXPERIENTISSIME, eodem beneuolentiæ adfectu, quæ ex iisdem, hoc est, TVIS potissimum fontibus deriuata & collecta sunt: & cum in AVGVSTISSIMÆ DOMVS REGIÆ, *cuius incolumitati magna nunc fide ac solicitudine excubas, tum in communem hominum salutem diu & ad seram vsque senectutem sospes atque incolumis age. D. Halæ ad Salam* V *Id. Septembr.* CIↃIↃCCXX.

PRÆ-

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO

Salutem.



Riennium exactum eſt, quum vniuerſam medendi ſcientiam, tabulis compendiariis comprehenſam, luci publicæ expoſui. Probari hoc inſtitutum meum haud paucis viſum eſt: vnde hortari me per literas & coram cœperunt, vt, quæ de arte chirurgica ſcitu neceſſaria ſunt, in eamdem breuioris conſpectus formam redigerem. Qua de re quum mecum initio ageretur, non ſine cauſſa reſtiti: quoniam facile intelligebam, laborem hunc priori difficiliorem futurum & plus conſumturum temporis, quam mihi quidem per negoti-

tiorum reliquorum rationes conceſſum eſt. Nihilo minus operi tandem accinxi me, atque illud eo, quo hic apparet, habitu poſt receptas ex grauiſſimo morbo vires, quæ ſola benigniſſimi Dei indulgentia eſt, perfeci. De cuius argumento & vſu vt eo melius conſtet Lectori beneuolo, pauca quædam hic præmonenda eſſe arbitratus ſum. Nimirum vix unus atque alter ſcriptor inuenitur, qui de chirurgia medica & inſtrumentali ſimul exponat: medicis parte medica; inſtrumentali autem iis relicta, quorum proprie eſſe creditur manus auxiliatrices ipſas læſo corporis membro adhibere. Atque inter hos limites continere me & ego facile potuiſſem. Sed hoc modo cautelas atque obſeruationes practicas permultas easque apprime vtiles omittere neceſſe fuiſſet: quæ in venæ ſectione, ſcarificatione, hirudinum applicatione, fonticulis, abſceſſuum apertionibus aut alia occaſione magno numero occurrunt. Hinc ſubiungere & ipſam inſtrumentalem huius artis partem viſum fuit, vt eo perfectius opus & omnium vſui accommodatius prodiret. Igitur chirurgiam medicam ex prælectionibus illis, quibus Excellentiſſimus Stahlius quondam in hac academia auditores ſuos inſtruxit, potiſſimum collegi: adhibitis in ſubſidium quoque iis, quæ in publicis eiusdem Viri Experientiſſimi ſcriptis paſſim diſperſa inueniuntur. Ad inſtrumentalem autem tractationem quod attinet, operationes manuariæ ex recentiſſimis ſcriptoribus demonſtrandæ fuerunt: hac tamen adhibita circumſpectione, vt & hæ vbique cum cautelis

&

& obſeruationibus Stahlianis atque adeo non niſi ad mentem huius Archiatri noſtri exhibeantur; quum ſatis notum ſit, a Viris ceteroquin celeberrimis multa haud raro conſilia ſuppeditari, quæ vſus circumſpectior non ſemper videtur comprobare. Ceterum in ipſa rerum diſpoſitione ordinem hunc ſecutus ſum, vt de tumoribus atque vlcerationibus, quippe ex cauſſa quadam interna plerumque exiſtentibus, primo loco egerim. Deinde vulnera ſequuntur, fracturæ & luxationes, quæ ex cauſſis violentis ac externis originem ducunt: & explicatis his omnibus ipſæ quoque ac ſpeciatim ſic dictæ operationes. De inſtrumentis chirurgorum, de faſciis & reliquo deligationis apparatu in tabula ſecunda, tertia & quarta expoſui: ne hæc præcognita neceſſaria ex aliis ſcriptoribus cum tædio petere neceſſum Lectoribus foret, nec ipſi adeo opuſculo deeſſe quidpiam videretur. Interim facile ac lubens agnoſco, permulta in hoc tam arduo & ſæpius intricato medendi genere ſupereſſe ac deprehendi, quæ defectum ſcientiæ humanæ arguant. Neque etiam, vt omnes facile conceſſuros arbitror, hic vnius hominis atque ætatis labor eſt. Atque hoc magis beneuolos lectores per debitum omnibus amorem & per communem cum fragilitatem tum ſalutem rogo, vt communicare mecum non grauentur, ſi quæ monenda in hac præceptione, ac præcipue quidem in chirurgia inſtrumentali iudicauerint. Mihi interea ſufficit, quod ſperari poſſe videor, non inanem fore operam digerendo huic opuſculo

culo a me impensam: præsertim quum in eo plurimorum chirurgorum [nam & cautiores esse multoque vsu exercitatiores noui] temeraria, audax & a vera ratione prorsus aliena sanandi methodus passim detegatur; viaque tutior in miserorum securitatem ac solatium, simul ostendatur. Tu vero vale, Beneuole Lector, integrisque & corporis & animi viribus in honorem supremi Conditoris recte vtere.

Auctor

PRÆFATIO NOVA.

DOctrinæ Chirurgicæ ſynopſis cum iam iterum, & emendatior quidem, in conſpectum prodeat: lectorem benevolum de nonnullis rebus monere, & quid novæ huic editioni acceſſerit, eidem indicare, neceſſarium exiſtimavi.

Chirurgia igitur *inſtrumentalis* uti per plures Europæ regiones egregia incrementa hodie cepit, & hoc manuum opus quam accuratiſſime adminiſtratur: ſic novæ paſſim methodi, novæ encheireſes, nova inſtrumenta ſingulis fere annis inveniuntur, & per tot novos huius artis libros cum eruditis communicantur. Qua de cauſa æquum eſſe putavi ea, quæ elapſo hoc a prima editione decennio tum emendata, tum nova detecta ſunt, in hac chirurgiæ parte adnotare, corrigere, & ad mentem cuiusdam Amici, qui in hoc campo verſatiſſimus eſt, emendatius exhibere.

Quod autem ad chirurgiam *medicam*, id eſt, ad illam attinet, quæ præcepta huius artis rationalia ſubminiſtrat: tum in hac vel mutare quidquam, vel additamentis illam augere neceſſarium non deprehendi. Quem ad modum enim cuiuscumque ædificii fundamentum ſi νομίμως ſeu legitime poſitum fuerit, non indiget aliqua immutatione, immo ne commode quidem eamdem admittit: ſic quam certisſime adſeverare audeo, principia chirurgica, quæ in hoc conſpectu ceu fundamenta ponuntur, immota & inconcuſſa manere, ideoque nullam vel mutationem concedere, vel acceſſionem quamdam efflagitare. Qua de re fuſius quidem dixi in præfatione editionis germanicæ, quæ anno 1722. in lucem emiſſa eſt; quum vero hæc non facile lecta erit ab iis, qui editioni latinæ adſueti ſunt, tum ſumma illius capita breviter hic repetere proficuum putavi. Durum quidem, ſed verum eſt, chirurgiæ fundamenta in plurimis libris, qui hanc doctrinam tradunt, plane nulla, in pauciſſimis genuina reperiri. Quare non poſſunt huius artis tirones, quin miſere ubique titubent, & triſtes plerumque lapſus committant. Si vero quiſpiam de hoc adſerto dubitaret, huic conſiderandum commendarem, quod vix unus atque alter horum auctorum differentiam illam maxime ſonticam, quæ inter partes tam fluidas quam ſolidas intercedit, attingere, nedum ad dignitatem de illis agere ſoleat. Altum enim ubique agitur ſilentium de mutua habitudine partium ſolidarum, & humorum ad easdem pertinentium; item de differentia ſtaſium & corruptionum, quæ e diverſis humoribus in diverſis partibus contingunt, e. g. quid ſanguinis ſtaſis in exſanguibus partibus, membranoſis ſcilicet, tendinoſis, glanduloſis, ſalivalibus & lactiferis efficiat. Contra qualem corruptionem ſtaſis lymphatico-ſeroſa citra notabilem ſanguinis concurſum & in vicem verſam producat,

cat. De hiſce ſingulis parum ſolidi apud hoſce ſcriptores reperitur; cum tamen neglectis illis neq; apoſtema neque ulcus neque alia læſio legitime perſanari queat, ſed undique tales hæſitationes occurrant, quas ne dexterrima quidem empiria, ſi ſola fuerit, evitare valebit. Quorum ingentium defectuum eo potiſſimum tempore certior factus ſum, cum abhinc decem annis compendium hoc chirurgicum ad mentem illuſtris *Stahlii* conſcribere atque illud aliorum quoque placitis ornare in animum inducerem. Quamuis enim plus quam viginti ex antiquis æque ac nouis ſcriptoribus multo labore tum perluſtrarem, inter multa tamen ſpineta paucas roſas decerpere licebat. Nam quod ad nexum ætiologicum attinet, tales morborum cauſſas frequentius in illis reperiebam, quas ne vulgus quidem pro veris adſumeret. Dabo huius rei exemplum ſatis illuſtrans. *Guttam roſaceam*, germ. die Finnen des Angeſichts, plurimi eorum a potibus inebriantibus & ab aromatum abuſu promiſcue derivabant; immemores ſane, quod hic adfectus tales præcipue corripiat, qui calida illa ne guſtare quidem audent. Præter hos docens quidam academicus, qui dum viueret, ſatis celebris fuit, conſpurcatis manibus, quæ poros faciei obſtruendo tranſpirationem impedirent, hunc adfectum tribuebat. Quis vero neſcit, quod delicatiores, præcipue ſexus ſequioris, homines, quorum manus a ſqualore ſunt alieniſſimæ, guttam roſaceam plerumque incurrant, carbonarii autem & camini purgatores ab illa immunes reperiantur. Taceo antiquam de ſanguine ſcorbutico fabulam, quam plures eorum etiam hic enarrabant, principem cauſſam de hæmorrhagicis congeſtionibus, immunitionem humorum reſpicientibus, ſicco plane pede prætereuntes.

Equidem inficias ire nolo, dari nonnullos horum ſcriptorum, quorum obſervationes notatu ſint digniſſimæ; inter quos *Hildanus*, *Scultetus*, *Fabricius ab Aquapendente* laudari merentur; minime autem tales agnoſcere poſſumus illos, qui chirurgicæ artis doctrinam illiusque vera fundamenta nobis reliquerint.

Cum vero chirurgia haud ignobilis pars ſit in excellenti ſyſtemate medicinæ, ideoque indigne cum illa agatur, ſi ſoli empiriæ eamdem relinquamus: tum operæ pretium omnino erit, ſi pulcerrimum illum nexum, qui cum medicina ei intercedit, fideliter oſtendamus, & tirones ſuos a temerariis auſibus & cæcis tentaminibus, quæ in generis humani damnum cedunt, pro viribus liberemus. Atque hic eſt ſcopus, quo hoc chirurgiæ compendium præcipue ſpectat.

Vale, Benevole Lector, & fave

Auctori.

SE-

SERIES TABULARUM.

Tabula	I	de Chirurgia generatim	pag. 1
	II	Inſtrumentis chirurgicis	12
	III	Faſciis	25
	IV	reliquo apparatu deligationis nempe ſpleniis, emplaſtris, plumaceolis & turundis	48
	V	Tumoribus inflammatoriis	54
	VI	Abſceſſu	65
	VII	Furunculo	74
	VIII	Carbunculo ſeu anthrace	81
	IX	Gangræna	86
	X	Sphacelo	89
	XI	Ambuſtionibus	98
	XII	Pernionibus	104
	XIII	Anevryſmate	108
	XIV	Varicibus	116
	XV	Varis & gutta roſacea	119
	XVI	Herpete	122
	XVII	Panaritio	125
	XVIII	Sugillatione	129
	XIX	Scirrhis	132
	XX	Parotidibus	144
	XXI	Bubonibus	148
	XXII	reliquis glandularum tumoribus	155

Tabula	XXIII	de Tumoribus tunicatis, nempe meliceride, atheromate & ſteatomate	pag. 158
	XXIV	Gangliis	162
	XXV	Tumoribus œdematoſis, ſeu frigidis dictis	166
	XXVI	Hydrocephalo	171
	XXVII	Procidentia uteri	175
	XXVIII	Procidentia ani	180
	XXIX	Herniis	182
	XXX	Strumis ſeu ſcrophulis	209
	XXXI	Fungis	214
	XXXII	Sarcomate	218
	XXXIII	Polypo narium	222
	XXXIV	Carne luxuriante	227
	XXXV	Verrucis	228
	XXXVI	Clavis pedum	232
	XXXVII	Nævis maternis	235
	XXXVIII	Contractura & aridura	238
	XXXIX	Ulceribus generatim	242
	XL	Ulceribus calloſis	256
	XLI	Ulceribus ex eryſipelate ortis	259
	XLII	Ulceribus ſerpiginoſis	260
	XLIII	Achoribus	263
	XLIV	Ulceribus fiſtuloſis generatim	267
	XLV	Fiſtula lacrymali	272
	XLVI	Fiſtula ani	280
	XLVII	de Ulceribus ſcorbuticis	286
	XLVIII	Ozæna	288
	XLIX	Ulceribus venereis	291
	L	Cancro & ulceribus cancroideis	298
	LI	Carie oſſium	318
	LII	Vulneribus generatim	325

Ta-

Tabula	LIII	de Vulneribus capitis	338
	LIV	Vulneribus colli & thoracis	356
	LV	Vulneribus abdominis	361
	LVI	Contuſionibus	368
	LVII	Vulneribus ſclopetariis	371
	LVIII	Vulneribus venenatis	373
	LIX	Hæmorrhagia vulnerum	377
	LX	Synovia	386
	LXI	Lethalitate vulnerum	392
	LXII	Fracturis generatim	404
	LXIII	Fracturis ſpeciatim	415
	LXIV	Luxationibus generatim	433
	LXV	Luxationibus ſpeciatim	445
	LXVI	Arteriotomia	472
	LXVII	Venæſectione	474
	LXVIII	Scarificatione	489
	LXIX	Transfuſione ſanguinis	493
	LXX	Hirudinum applicatione	495
	LXXI	Fonticulis	503
	LXXII	Setaceo	505
	LXXIII	Veſicatoriis	507
	LXXIV	Injectionibus	510
	LXXV	Sectionibus, inciſionibus & compunctionibus generatim	516
	LXXVI	Abſceſſuum apertione	519
	LXXVII	Apertione partium præter naturam clauſarum	522
	LXXVIII	Paracenteſi	532
	LXXIX	Cauteriſatione ſeu uſtione	540
	LXXX	Extractione rerum peregrinarum	543
	LXXXI	Amputatione partium corruptarum & ſuperfluarum	549

Ta-

Tabula	LXXXII	de Suturis generatim	559
	LXXXIII	Sutura labii leporini	562
	LXXXIV	Sutura abdominis ſeu gaſtrora-phe	565
	LXXXV	Sutura tendinis	569
	LXXXVI	Trepanatione	572
	LXXXVII	Operationibus in oculis	584
	LXXXVIII	Cataracta	594
	LXXXIX	Operationibus in aure	606
	XC	Operationibus in naſo & labiis	608
	XCI	Operationibus in dentibus & gingiva	609
	XCII	Operationibus in lingua	614
	XCIII	Operationibus reliquis in cavitate oris	616
	XCIV	Operationibus in collo	620
	XCV	Operationibus in pectore	625
	XCVI	Operatione ſpeciali nempe partu Cæſareo	626
	XCVII	Operationibus in veſica & urethra	629
	XCVIII	Lithotomia	632
	XCIX.	Operationibus in inteſtino recto	646
	C	Operationibus in genitalibus virorum	648
	CI	Operationibus in genitalibus fœminarum	651
	CII	Dyſtocia & embryulcia	652
	CIII	Operationibus in artubus	660

TA-

TABVLA I.
DE
CHIRVRGIA GENERATIM.

I. *DEFINITIO.*

Chirurgia est pars medicinæ antiquissima, quæ partim per congrua remedia, partim per idonea instrumenta, læsionibus in corpore, potissimum externis, nonnunquam etiam internis, sive violento sive alio modo inductis, succurrere allaborat. Derivatur a χειρ, manus, & ἔργον, opus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Chirurgia occupata est
   1. Vel circa *remedia*, quæ fluidarum & solidarum partium *crasin* aut *motum* præcipue alterant. Dicitur hinc *medica*, vel *medico-pharmaceutica*.
   2. Vel circa *instrumenta*, quæ solidas corporis partes immediate magis afficiunt. Vnde vocatur *manualis*, instrumentalis, mechanica.

   Et sic chirurgia *instrumentalis* absolvitur applicatione & directione per *manus*, sive simplices, sive artificiosis machinis armatas; *medica* autem chirurgia occupata quidem est in applicatione *manuali*, tales autem res applicat, quarum effectus a directione manuali nihil præsidii nanciscitur, sed tota inventio æque ac directio ab alia prorsus arte dependet.
   3. Multi auctores ad chirurgiam medicam referunt non tantum *externa* illa remedia, quæ manibus Chirurgorum applicantur & illigantur, verum etiam ad *interna* medicamenta eamdem extendunt, sed eo ipso differentiam illam eximiam, quæ est inter

therapiam *medicam* & *chirurgicam*, ſatis implicant, atque ita libertatem, quam Chirurgi vulgares, qui præter nouaculam & lancettam non ſapiunt, in hac re ſibi ſumunt, præter intentionem probant.

4. Licet enim in quibusdam chirurgicis affectibus *interna* quoque medicamina adhiberi debeant, imo multi affectus dentur, in quibus ſola *topica* medicatio nihil præſidii affert, hoc tamen negotium non poteſt referri ad chirurgiam. Hæc enim vi vocis omne id excludit, quod manibus non applicatur.

5. Illuſtratur hoc ſequentibus circumſtantiis: In vulnere graviore manualis chirurgia neceſſaria eſt, ad illud abſtergendum & decenter ligandum; id quod ſolus Chirurgus præſtat. Stagnatio autem humorum in regione affecta, ſubnaſcens inde tumor, inflammatio, ſuppuratio, dolor, affluxus immoderatus, corruptio repentina, inſtrumentali mechanica opera curari non poſſunt, ſed pharmaceutico-phyſicam requirunt medelam. Videlicet Medicus ordinat remedia, pro re nata, diſcutientia, reſolventia, balſamica &c. quæ a Chirurgo *externe* applicantur. Quodſi vero dyſcraſia humorum adſit individualis, *interna* ſimul remedia a Medico præſcribuntur; a quo tamen negotio Chirurgus prorſus excluſus eſt.

6. Quocunque autem modo hæc res conſideretur, omnes omnino Medici in eo conſentiunt, quod Chirurgi non ſolum a remediis *interne* præſcribendis arcendi ſint, verum etiam in paulo ſonticis affectibus *externa* illa, quæ manibus applicantur & illigantur, conſilio Medicorum adhiberi debeant; de qua re ſub *cautelis* fuſius dicemus.

7. Ceterum ex definitione conſtat, quod non tantum externis, ſed etiam internis læſionibus chirurgia inſtrumentalis ſuccurrat e. g. in empyemate, calculo, extravaſatione ſeri & ſanguinis in capite.

8. Hoc loco differentiæ cauſa adhuc notamus, quod *Operatores* ſtricto ſenſu appellentur illi, qui non omnes promiſcue operationes chirurgicas, ſed aliquas tantum, easque æſtimatiſſimas in ſe recipiunt, eoque ipſo a reliquis Chirurgis diſtinguere ſeſe allaborant.

III. *CAVSÆ.*

1. Vera ætiologia affectuum, chirurgiæ *medicæ* ſubiacentium, altius ſa-

ne,

ne, quam vulgo eruitur, est fundata; & si hoc iustius considerare-tur, Chirurgi forte non ita faciles essent, sibi solis hoc negotium vindicandi.

2. Pathologia quidem *stasεos* humorum circa partes, & imminens inde *corruptio*, facilius adhuc comprehenduntur.

3. Sic etiam *decubitus* humorum ad partem affectam, qui diuturno com-meatu in consuetudinem adducti sunt, passim perspiciuntur & æsti-mantur.

4. Dignotio autem *mutuæ habitudinis* partium solidarum, & humorum ad easdem pertinentium & pertingentium, est sane res in hunc us-que diem abstrusissima.

5. Interea tamen hisce fundamentis innititur eximia illa differentia sta-sium & corruptionum, quæ e *diversis humoribus* in *diversis partibus*, præcipue anomalis, contingunt, e. g.

1) *Sanguis* quando *pauca* quantitate ad partes diffunditur *exsangues*, nascuntur inde

a) in *cute* corruptio erysipelatodes subtilis, tenuiter putredinosa, fermentescens.

b) in *profundioribus* membranaceis & tendinosis partibus corruptio *phlegmonodes*.

c) in *glandulosis* salivalibus & lactiferis locis, præcipue si quantitas subsistentis sanguinis *largior* fuerit, putredinoso-salina, eli-quescens, fœtens, erosione sua solidas partes depascens, *cancrosa* seu phagedænica corruptio.

2) E congestione *seroso-lymphatica*, *puriore* & *fluidiore*, citra san-guinis notabilem concursum, subnascuntur *ulcerationes* sim-plices.

3) Ex eadem magis *lymphatica*, quam seroso-salsa stagnatione, na-scuntur in partibus porosis, laxis ac mollibus, tumores *œde-matosi*.

4) Quod etiam contingit, si *lymphatica* & *seroso-salsa* stagnatio *coniunctim* in viscositatem & mucositatem degenerat.

5) E *lymphæ* vero *glutinosæ decubitu*, seu etiam *stasi*, præcipue cir-ca partes superficiales, proveniunt *scirrhi* & profundiores len-tescentes obstipationes.

6. Synopsin itaque ætiologiæ affectuum chirurgiæ *medicæ* sequentibus exhibemus. Videlicet generalis differentia consistit

1) in diverſitate humorum.
2) in diverſitate partium *ſolidarum*, quatenus ejusmodi humoribus acceſſum præbent *ordinarium*.
3) in diverſitate partium *ſolidarum*, quatenus ad *accretionem* ſeu *excreſcentiam* & erroneas illius ſtructuras proniores ſunt.
4) in diuerſitate partium *ſolidarum*, quatenus ad *ſenſum* habiliores ſunt.
5) in diuerſitate *decubitus* ſeu *motus humorum extraordinarii* ad eiusmodi partes, quæ vel in capacitate ſua alteratæ ſunt, vel ſenſu moleſtiore affectæ affuſionem illam humorum prouocant.
6) Denique in plane *ſpecificis fermentativis*, *contagioſis* corruptelis, quarum manifeſtus agendi modus liquidò expediri non poteſt; qualis corruptela ſpecifica in *lue venerea* occurrit.
7) Ex hisce ſimplicibus quaſi paſſionibus tandem eruendi ſunt *compoſiti* illi affectus, qui e corruptione ſubſtantiæ *ſanguineæ* & *lymphatico-ſalivalis* proueniunt; cujusmodi exemplum habemus in *cancro*, qui ſphacelum veluti *ulceroſum* ſeu putrefactionem *ſalitam* exhibet.

7. De *humorum* corruptione, gradu differente, ſequentia adhuc notanda veniunt.
1) *Sanguis*, ſtricte dictus, corruptioni putredinoſæ, celerrimæ, penetrantiſſimæ & agiliſſimæ ſubjacet; cuius rei ſpecimen habemus in *ſphacelo*.
2) *Lymphalis* & *ſalivalis* humor poſt ſanguinem proximum corruptionis gradum obtinet. Conſtat hic humor, præcipue *ſalivalis*, fermentantibus miaſmatibus, tenuibus tamen & paucis. Vnde cito quidem, ſed non copioſe fermenteſcit. Si hoc fermentum tenue penitus exhalet, remanet materia vappida & tenax, quæ in ſtaſes lentas & tandem ſcirrhos tranſit.
3) *Serum* minime omnium aptum eſt ad putredinoſam celerem corruptionem. Vnde nec eius corruptela, quæ ſalſa eſt, celeriter diffunditur.
4) *Spermatica* materia eſt quidem mixta, ad mucoſam tamen corruptionem promptior, & hinc plus ſalinæ corruptionis ſubit; id quod videmus in gonorrhœa maligna, quæ corruptionem quidem putrilagineam, magis tamen ſalinam exhibet.

5) *Lac* ſimilem habet corruptionem. Primum enim in mammis ſcirrhi enaſcuntur, qui deinde ſucceſſive in ſalſam ac erodentem tranſeunt corruptionem.

8. Hæc ſolida ſunt fundamenta ætiologica chirurgiæ medicæ, quæ licet primo adſpectu ſuperuacánea & hic loci minus quadrantia iudicari poſſent, uſum tamen eximium ſolertibus indagatoribus ſuo tempore exhibebunt.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Efficacia ipſius naturæ, vti in praxi medica, ita etiam in chirurgica eminenter concurrit. Artifex enim nihil magis fere poteſt, quam ſolas vias diſponere & impedimenta remouere. Reliquam vniuerſam reſtitutionem ſola natura perficit: nempe debitum tonum in ipſa parte reaſſumit, fibrillas ſolutas iterum conſarcit, fractis oſſibus callum inducit, pus generat &c.

2. Hæc eſt ratio differentiæ illius inſignis, cur in aliis citius, in aliis autem tardius læſio reſtauretur. In iunioribus enim natura vegeta promptius omnia peragit, e. g. vulnus citius conſolidat, neque etiam cicatricem tam inſignem relinquit; in adultis autem omnia tarde & languide ſuccedunt.

3. Huc etiam ſpectat *temperamentorum differentia*, ſecundum quam in ſiccioribus & agilioribus cholericis vulnera, ulcera &c. citius conſolidantur, quam in ſucculentis & ſegnioribus phlegmaticis. De prioribus Germani dicunt: Der Menſch hat eine heilbare Haut; de poſterioribus autem: eine äppiſche Haut.

4. Iudicioſam ἀκρίβειαν chirurgiæ medicæ quam maxime nobilitant motus humorum ad certam partem *periodice* aſſuefacti. His enim præſens affectus non ſolum pertinaciter ſuſtentatur, verum etiam e friuola ſæpe cauſa, licet ſollicite curatus fuerit, inopinato recrudeſcit, vel ad minimum molimina ſpaſmodica efficit, aut translationes ad loca periculoſiora.

5. Hæc res, vt intimius conſideretur, ita digna eſt, vt etiam in ipſis *fonticulis*, qui iuniore ætate inuſti & notabili affluxu diutius geſtati ſunt, eximia circumſpectione opus ſit, ſi eosdem ad conſolidationem admittere audeamus. Idem obſeruari meretur in *ſcarificatione* frequentius celebrata, & hac ratione in conſuetudinem deducta.

6. Ad prognoſin in chirurgia tam medica, quam inſtrumentali, feliciter

ter formandam, ſollicite attendenda eſt differentia inter *ſtaſes* humorum ſeu tumores, & inter *concretiones*, ſeu excreſcentias: hæ enim nulla discuſſione, ſed ſola conſumtione tolli poſſunt.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Chirurgiæ inſtrumentalis.*

a) Hæc duas involvit operationes, quæ ſunt

1) *Syntheſis*, quæ ſeparata coniungit. Ad hanc claſſem pertinent: vulnera, ulcera, procidentiæ, luxationes, fracturæ, caries oſſium &c.

2) *Diæreſis*, quæ coniuncta ſeparat. Huc referuntur: Arteriotomia, venæſectio, ſcarificatio, fonticuli, ſetacea, hirudinum applicatio, clauſarum partium apertio, paracenteſis thoracis, abdominis, apertio abſceſſuum, fiſtulæ, vſtiones, trepanatio, raſio, ſerratio, catheteriſmus, lithotomia, dentium euulſio, fœtus mortui & ſecundinarum extractio, globulorum plumbeorum, ſagittarum, feſtucarum e vulneribus eductio, artuum amputatio, mammæ cancroſæ exſtirpatio, polypi narium extractio &c.

b) Hisce duabus operationibus nonnulli auctores tres adhuc ſpecies adnumerant, nempe

1) *Exæreſin*, quæ ſuperflua & heterogenea removet.

2) *Proſtheſin*, quæ defectum naturalem compenſat.

3) *Diorthoſin*, quæ malam conformationem corrigit. Sed tres hæ operationes ad duas priores commode poſſunt reduci.

c) Ad hasce operationes dextre peragendas requiruntur

1) *Inſtrumenta* varia artificioſa, de quibus tabula ſecunda ſyllabum ordine alphabetico exhibebimus.

2) Vniuerſus *deligationis apparatus*, e. g. ſplenia, plumaceoli, turundæ, faſciæ &c. de quibus omnibus Tabula tertia agemus.

2. *Chirurgiæ medicæ.*

1) Hæc expoſcit discuſſiones, præuias humorum præparationes, tempeſtivas reſolutiones, adſtrictiones, emollitiones, mundificationes, roborationes, conſolidationes, & præcipue etiam temporis ad ſecandum, inurendum, conſolidandum, iudicioſam directionem.

2) In hisce omnibus ſalutares motus naturæ, qui æque ac in affectibus

bus medicis primarium momentum curæ abſoluunt, probe obſeruentur, adiuventur, & pro cynoſura habeantur.

3) Et quoniam affectus, ad *medicam* chirurgiam ſpectantes, vel *humorum* vel *motuum* vitia pro fundamento habent, hæc omni ſollicitudine diſtinguantur, & ſingula, uti decet, tractentur; quod ad evitandam confuſionem, in hoc cenſu familiariſſimam, obſervandum eſt.

4) Verum, ut recte procedatur, ſequentia probe conſiderentur.

a) Quomodo ſe habeant humores & partes ſolidæ ad varias actiones.

b) Cui corruptionis ſpeciei quilibet humores expoſiti ſint, quando ſeorſim, & contra quando cum aliis iuncti in corruptelam abeunt.

c) Indoles illius corruptionis quoad effectum conſideretur.

d) Modus infringendi & corrigendi talem corruptionem diſcatur.

e) Huic ſubiungatur methodus, quæ portiones corruptas auferre docet.

f) Hanc ſequitur methodus præſervatoria, quæ partem iam mundatam a repullulante corruptione defendit.

5) Remedia, quibus chirurgia medica dictos fines obtinet, ſub variis formis apparent. Sunt emplaſtra, cataplaſmata, fotus, epithemata, vnguenta, balſama, gargariſmata, clyſteres & aliæ iniectiones, de quibus omnibus ſuo loco per ſpecies dicemus.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Chirurgia ab antiquiſſimis temporibus eſt nobiliſſima pars artis medicæ. Hinc indigne agitur cum illa, quando ad nudam empiriam relegatur. Sunt enim partes vnius excellentis ſyſtematis, quæ pulchre inter ſe conſpirant, & neutra ſine altera ſubſiſtere poteſt.

2. *Medica* chirurgia ordinarie fere *inſtrumentali* debet ſuccurrere, non æque frequenter inſtrumentalis medicæ. Ita v. g. *vulnus* ſola medicamentorum applicatione frequentiſſime reſtituitur. Sic etiam *vlcera* lenium ſepticorum conueniente vſu, & debitorum ſarcoticorum ſubiunctione, citra chirurgiam inſtrumentalem commodiſſime ſæpius reſarciuntur.

3. Vi nominis quid denotet chirurgia, notum quidem eſt; non minus autem, quousquè illa hodie extendatur. Multi enim Chirurgi

non

non ſolum Chirurgiam *medicam* ſibi quaſi vindicare cordi habent, ſed & in therapiam medicam falcem communiter mittunt.

4. Duplex huius rei eſt fundamentum, nempe
   1) Chirurgorum *empiria* ſine iudicio. Certe enim Chirurgi, quo peritiores, eo prudentiores in hoc paſſu ſe gerunt, bene conſiderantes, quod chirurgia *medica* ſit res altioris indaginis.
   2) Medicorum *conniventia*, in ſocordiam usque prolapſa. Nam ſi Medici non ſolum ad dexteritatem manualem & mechanico-inſtrumentalem, ſed & ad efficaciam alteratiuam, pharmaceutico-therapeuticam, recte diſcendam & ordinandam, animum magis applicarent, & in empiricorum experientia, faſtuoſe iactata, non ſimpliciter acquieſcerent, fons univerſi huius mali multum tolleretur.

5. Quam parum certi, tam quoad cauſas, quam effectus, imo ipſas hiſtorias in chirurgicis ſcriptis deprehendendum ſit, experientia docet. Non deeſt quidem apparatus librorum & inſtrumentorum chirurgicorum, non deſunt etiam variæ variorum caſuum hiſtoriæ, ſed deficit undique connexio.

6. Plerique ſcriptores inſtrumentalem tantum chirurgiam tractant, pauciores humorum contemperationem, præſeruationem, corruptionum ſalſarum cohibitionem, reſtaurationis ſtructuræ vera impedimenta & emolumenta.

7. Optandum ſane eſſet, vt plures tales Medico-Chirurgi, quales fuerunt: *Fabricius ab Aquapendente*, *Hildanus* & *Scultetus*, reperirentur. Hi enim a nudis empiricis longe diſtant.

8. A Chirurgis autem, vti hodie plerique ſunt, nemo poſtulabit, vt ſciant methodum & remedia, quæ nimiam humorum *ſtagnationem*, & importunum *affluxum* diſſipent, *inflammationem nimiam* discutiant, *moderatam* vero, tanquam neceſſariam & ſalutarem, tolerent, penitiorem corruptionem præoccupent, nimiam ſenſationem mitigent, nimiam nervorum irritationem demulceant, & energiam vitalem excitent.

9. Hinc mirum non eſt, quando ſonticos affectus e. g. vulnera cum laceratione, gravi contuſione, ardore & ſubnato infarctu inflammatorio *ſoli* in ſe recipiunt, atque vel per formulas nimium humidas, vel præter rem acres, vel per intempeſtiva refrigerantia, & coagulan-

lantia, vel cum neglectu ſufficientis abſterſionis, vulnera talia tractant, ut corruptiones ad ſphacelum usque inde oriantur.

10. Item erysipelatodem, vel plegmonodem (artuum inprimis inferiorum) inflationem, quæ vel a longa aſſuetudine repullulat, vel prorſus apoſtaſi acuta in artum irrumpit, quis tali artifici temere committet, qui non abunde perſpicit, quantum refrigerando, humectando, emolliendo & relaxando periculi inducatur.

11. Unde profecto non ſemper e fonte *malitiæ* derivandum eſſe credimus, quando Chirurgi contumeliam illam ferre debent, ac ſi vulnera, ulcera & alios affectus, ſibi commiſſos, protrahere, & lucri cauſa in deteriorem prius ſtatum deducere ſoleant. Certe ab ignorantia effectuum remediorum, quæ applicant, potiſſimum hoc dependet.

12. Pluribus hæc indicare liceat. *Retropulſiones* humorum repentinæ & ſimultaneæ per intempeſtiva adſtringentia topica quam familiariter occurrant, & quæ damna inde oriantur, res ſatis nota eſt. Qui ſubtilius incedunt, & ſubtiliſſimas tantum particulas retropellunt, nihilominus ſontica pathemata producunt, nempe reliquarum ſegniorum partium indurationem & ſcirrhoſam conſtitutionem.

13. Porro: licet doceantur vulgo Chirurgi, quod in *gravibus vulnerationibus* remedia *defenſiva*; in *apoſtematibus* duriorem adhuc ambitum *emollientia* & *reſolventia* præmittere debeant: præpoſtere tamen utplurimum circa has res verſantur.

14. Ut itaque Chirurgia *medica* ſuo juri reſtituatur, ubique conſiderandum eſt, quod remedia, quæ a Chirurgis *exterius* applicantur, & craſeos humorum, intra ſolidas partes ſtagnantium, aut jam ibidem corruptorum, alterationi deſtinantur, Medicis, tam quoad inventionem, quam inventarum formularum ordinationem, incumbant.

15. Hinc Chirurgorum officium eſſet, ut in talibus læſionibus, quarum ſalutaris cura remediis potius quam inſtrumentis impetrari debet, Medici conſilium tempeſtive poſtularent.

16. Vulnera quidem recentia, non admodum gravia, contuſiones, ſuppurationes, fracturas, ulcerationes ſimplices, ambuſtiones, luxationes & ſubluxatorias diſtorſiones recipere in ſe poſſent. Qui vero affectus a cauſis internis vel nati ſunt, vel ſuſtentantur, in illis Medici conſilio opus eſt.

17. Tales ſunt: Ulcera cacoëthea, tumores phlegmonodes contumaces, ſcirrhi ſanguinei, inprimis autem in partes ſanguineas innidulati, eryſipelata ab interna apoſtaſi extrorſum protruſa, & ex his rebus naſcentia cancroſa, phagedænica, cavernoſa, & tandem ſphaceloſa ulcera, cum ſpaſticis doloribus, congeſtionibus, quas vulgo *affluxum humorum* appellant, & cum cacochymia individuali.

18. Multo magis Chirurgi arcendi ſunt a negotio ſanguinis *hæmorrhoidalis*, *menſium*; item ab *oculorum*, *aurium* & *dentium* affectibus, qui a conſenſualibus rheumatico-arthriticis pathematibus dependent. In hoc enim negotio ſalutares naturæ motus pro re noxia communiſſime declarant, oppugnant, atque ita ſonticum damnum inducunt.

19. Sic etiam a *luis venereæ* curationibus, tam per *ſudoriferam*, quam *ſalivatoriam* methodum, abſtinere deberent.

20. *Oedematoſi tumores*, *ulcera* longo affluxu ſuſtentata, cum doloribus, ardoribus & rheumaticis pathematibus conjuncta; Item *ulceroſæ emerſiones* a cacochymia ſecedentes & procedentes, ſolis Chirurgis tradi non debent.

21. In læſionibus partium glanduloſarum, tendinoſarum, ligamentoſarum, nervearum, vaſculoſarum, inprimis arteriarum, Chirurgus ſine alterius ſocia opera & conſilio tractationem in ſe recipere minime deberet.

22. Quamquam autem *medica* chirurgia Chirurgis denegetur, res ipſæ tamen, per illos præſtandæ, ſatis clamitant, quod amplus adhuc campus relinquatur, in quo ingenia ſua & induſtriam exercere poſſint. Quæ enim ad manuales operationes dexteritas, quæ animi conſtantia (timorem & audaciam excludens) quæ frequentes exercitationes requiruntur? Unde antiqui cor leonis, oculos falconis & manus virginis ipſis exoptarunt.

23. Diſcant *anatomiam*, ut partium, quas tractare debent, numerum, ſitum, conformationem, connexionem & officium ſufficienter perſpiciant.

24. Diſcant, ſi poſſint, ſolida fundamenta phyſiologica & pathologica, ut intelligant temporis momentum, quod a natura in ſpontanea ſtructuræ reſtauratione adhibetur. Hac enim ratione in caſu neceſſitatis, abſente Medico, proſpicere ſibi poſſent. Quo intuitu quivis Chi-

Chirurgus probatiſſima remedia, a Medico ſibi tradita, ſemper parata habere deberet, quibus ſine damno uti poſſet, donec Medicum in auxilium vocaverit.

25. *Medici* autem *medicam* chirurgiam ita cordi habeant, ut ſit in illis, quod in arte eſt, præſidium, ne deriſui & opprobrio Chirurgorum ſe exponant. Neque vero negligant diſcere etiam manualem adminiſtrationem, ad minimum quod ad ocularem inſpectionem attinet. Licet enim hanc Chirurgis ordinarie relinquere debeant, occurrunt tamen ſubinde casus neceſſitatis, in quibus Medici chirurgiam inſtrumentalem æque feliciter, ac Chirurgi chirurgiam medicam, poſſent adminiſtrare, teſtantibus antiquorum Medicorum exemplis.

26. In primis Medici officium eſt, ut in ſolidarum partium læſionibus judicet, an quid præſto ſit, quod inſtrumentali opera corrigendum; an vero ſolius naturæ efficacia reſtauratio ſperanda, illaque provocanda & ad majorem energiam excitanda ſit.

27. Ceterum, quoniam nexus medicinæ & chirurgiæ ita perpetuus & individuus eſt, ut neutra pars ſola ſubſiſtere poſſit, optanda ſane eſſent tempora, quæ in miſeriæ humanæ ſalutem omne diſſidium, quod animos utrinque disjungit, removerent.

28. Et ne ea, quæ de Chirurgorum limitibus jam indicari debuerunt, a partium ſtudio producta, & litem ſuſtentantia judicentur, teſtamur, quod ſcripta ſint cum reſpectu ad mores, uti plerumque ſunt, corruptos, non autem ut mortalium lædatur quisquam. Nemini enim invidebimus, qui Chirurgi nomine Medici officio dextre fungi poterit. Quoniam autem rariſſime hoc reperitur, quis inique interpretabitur, ſi abuſus talium rerum, quæ vitam humanam concernunt, indigitatur.

TABVLA II.
DE
INSTRVMENTIS CHIRVRGICIS.

I. *DEFINITIO.*

Inſtrumenta chirurgica ſunt machinæ artificioſæ, quæ vel e metallica, vel lignea, vel vitrea vel alia materia parantur, & operationibus manualibus, dextre & commode peragendis, inſerviunt.

II. *SPECIES.*

Præmittimus ſyllabum inſtrumentorum, ut tirones aliqualem inde præcognitionem acquirant, atque ita caveatur tædium, quod lectione harum tabularum excitari poſſet, ſi explicationes machinarum ex aliis auctoribus prolixe quærere deberent.

1. *ACVS* variæ magnitudinis & formæ ad chirurgiam inſtrumentalem requiruntur, e. g.
   1) *Acus magna & obtuſa*, qua filamenta per vulnera ducuntur. Adhibetur etiam hæc acus ad *ſetaceum.*
   2) *Acus* ad *labium leporinum* cum duobus peculiaribus inſtrumentis, quibus labia utrinque comprehenduntur & æqualiter abſcinduntur.
   3) *Acus rectæ & curvæ* ad vulnera configenda.
   4) *Acus* ad *catarractam* deponendam. Ad hanc operationem duplices acus auctores excogitarunt, quarum una eſt *mucronata*, quæ oculum pertundit, altera eſt *obtuſa*, qua catarracta ſupprimitur.
   5) *Acus aurea* vel *argentea* ad aures perforandas.
   6) *Acus* ad *paracenteſin* vid. *trocart.*
   7) *Acus*, qua trajicitur mamma *cancroſa* exſtirpanda.
   8) *Acus Iaponicæ*, quibus ſe pungunt Indi. Harum etiam mentionem facere liceat.
2. *AMBE HIPPOCRATICA* cum reliquo apparatu ad repoſitionem oſſis humeri luxati adhibetur.

3. *AN-*

3. *ANNVLVS ÆNEVS* oculo firmando admovetur, ut operationes in illo tanto certius & accuratius fieri poſſint. e. g. quando pterygium exſcindendum eſt.

4. *BOVTON* eſt inſtrumentum, quod in lithotomia uſu venit.

5. *BRACHERIVM* ſeu *Amma* eſt vinculum hernioſis applicandum. Germanice ein Bruch-Band. Ejusmodi vinculorum varia ab auctoribus hodie excogitata ſunt. *Simplicia* bracheria vocantur, quæ unicum tantum habent ſcutum; *duplicia*, quæ ob herniam in utroque latere duplex ſcutum expoſcunt. Antiquorum bracheria, quæ e linteo, corio, goſſypio, parabantur, retinendis inteſtinis non ſufficiebant. Hinc recentiores cingulum e ferro, ſcutum autem e corio illo ſtabiliſſimo, quod Pfund-Leder vocant, item e ligno obducto ſatis commode conficiunt.

6. *CANALIS LONGVS*, in quem pes reponitur, quando os tibiæ vel femoris fractum aut luxatum eſt. Orichalceus vulgo eſt, & tribus conſtat partibus, quæ per vertebras cohærent.

Huc etiam pertinet inſtrumentum illud, quod a Gallis *faux fanons*, a noſtratibus eine Stroh-Lade appellatur. Conficitur e duobus bacillis, proportionate longis, ſtramine obductis & linteo involutis.

7. *CANNVLÆ*, german. Röhrlein, ſunt variæ e. g.

1) Cannula *ferrea* ad fonticulos, *ſuturæ coronali* inurendos. Huic cauterium ignitum intrudunt, auctore *Fabr. ab Aquapendente*.

2) Cannula poſt *bronchotomiam* applicanda ſecundum *Caſſerium*.

3) Cannula, quæ *fiſtulæ lacrymali* applicatur, quando caries in illa per cauterium, huic cannulæ immittendum, exſtirpanda eſt.

4) Cannula ad *paracenteſin* thoracis, abdominis, vid. *trocart*.

5) Cannula *naribus* immittenda, e. g. in *ozæna* cauterio exſiccanda.

6) Cannula *vaginæ* uteri applicanda, ut per illam in prolapſu vel aliis matricis affectibus medicamina, & ſpeciatim ſuffimenta admittantur.

7) Cannula ad *ulcera ani*, per cauterium exſiccanda.

8. *CATETER* eſt inſtrumentum argenteum cavum, & altera parte curvum, quod veſicæ immittitur, ad urinam retentam evacuandam. Huic machinæ tubuloſæ immittitur aliquando aliud inſtrumentum, *itinerarium* dictum, ad calculum veſicæ explorandum. Dan-

tur etiam cateteres ferrei ſulcati, qui ad lithotomiam adhibentur.

9. *CAVTERIVM* eſt inſtrumentum e ferro utplurimum confectum, quo candefacto variæ corporis partes ob varias cauſas & reſpectus inuruntur. Magnitudine & forma variant cauteria. Alia cum cannula, alia ſine illa applicantur. Quadraginta circiter excogitata ſunt, cum tamen pauciora ſufficere poſſent.

10. *CIRCVLVS* ſeu *ANNVLVS VTERINVS* eſt inſtrumentum ex ebore vel ligno buxeo confectum, quod vaginæ uteri applicatur ad prolapſum illius impediendum. Conf. *Mauriceau in tractatu de morbis gravidarum.* Item *Scultetus.*

11. *CLYSTER*, *clyſterium* ſeu *clyſma* ſtrictiore quidem ſenſu denotat liquidum remedium, quod inteſtino recto injicitur, a κλύζω abluo, latiore autem acceptione denotat ſæpiſſime ipſum inſtrumentum, quo liquidum tale immittitur. Novum ab Anglis excogitatum hodie innoteſcit, quo *fumus tabaci* inteſtino, ad alvum ſolvendam, injicitur. Germanice ein Tabacks-Clyſtier. Vid. *Deckerus* pag. 705. Aliis etiam cavitatibus liquores tales immittuntur, e. g. *utero*, *auribus* &c. Vid. *ſyringa.*

12. *COCHLEA.* Hoc nomine venit inſtrumentum, quod cochleæ inſtar flexuoſam habet circumgyrationem, german. eine Schraube, e. g. cochlea ad os apertum ſervandum, Mund-Schraube. Vid. *dilatatorium oris.*

13. *COCHLEARIA* diverſæ figuræ & magnitudinis uſu veniunt, e. g.

1) *Cochlear parvum* & *rotundum*, quo *uvulæ* medicamina applicant, & pulveres vulneribus inſpergunt.

2) *Cochlear* ad tegendum oculum, quando cauterium in *fiſtula lacrymali* applicatur.

3) *Cochlear* ad *calculum* eliminandum &c.

14. *CONDVCTOR* eſt inſtrumentum ſulcatum, quod cultrum inciſorium quaſi ducit, ne extra orbitas vagari & vaſa vel nervos lædere poſſit. Vocatur etiam *director.*

1) *Conductor mas* & *fœmina* ad *lithotomiam.*

2) *Conductor Hildani*, quem Galli *gorgoret* appellant, quemque etiam in *lithotomia* adhibent.

3) *Conductor ſubtilis* cum *cannula*, qui uſum habet in diæreſi palpebrarum concretarum.

15. *CRINALE INSTRVMENTVM* est machina ferrea, curva, cum cochlea umbellata, qua in *ægilope* & *fistula lacrymali* sinus anguli majoris comprimitur. Auctor est *Fabricius ab Aquapendente.*

16. *CVCVRBITA* seu *cucurbitula* est instrumentum notissimum, *sacrificationi* destinatum, german. Schröpf=Kopff. Quæ extra scarificationem adhibetur, *ventosa* seu *cæca* vocatur. Sunt etiam species cucurbitarum, quæ *oculares* dicuntur, quia per illas *aquæ ophthalmicæ* oculis commode applicari possunt.

17. *CVLTRI.* Horum ingens est numerus, e. g.

1) *Culter falcatus*, quo ante membri alicujus amputationem caro ad os usque inciditur.

2) *Culter bipennis*, seu qui utrinque acutus & insuper mucronatus est. Hoc cultrō sub amputatione artuum caro illa inciditur, quæ est inter duo ossa pedis vel brachii inferioris.

3) *Culter bipennis subtilior*, quo caput fœtus mortui aperitur, ut instrumento, ad id opus aptato, commode apprehendi & extrahi possit.

4) *Culter parvus* cum *nodulo*, qui, uti in nonnullis aliis operationibus usum habet, ita præcipue ad brachium fœtus mortui dissolvendum adhibetur.

5) *Culter* ad *cancrosam* mammam amputandam; cujus variæ dantur species.

6) *Culter* ad *fistulas* secandas. Vid. *syringotomus.*

7) *Culter lenticularis*, quo post *trepanationem* foramen scinditur æquale & lævigatur.

8) *Culter* ad *lithotomiam* cum *hamulo* & reliquo apparatu.

9) *Culter* ad operationem in *herniis* incarceratis. Hic plerumque circa manubrium lamina rotunda præditus est, ut intestinorum prolapsus sub operatione per illam impediatur.

10) *Culter* ad *phimosin*, novi usus.

11) *Culter rasorius*, præter usum ubique notissimum, adhibetur etiam in variis aliis operationibus, e. g. in cute capitis ad cranium usque incidenda, in *gummatibus gallicis*, in fœtu mortuo intra uterum dissecando.

12) *Culter* in cuspide *rotundus* & *obtusus* ad vulnera abdominis amplificanda.

18. *DENTISCALPIVM.* Hoc gingiva a dentibus ſeparatur, ad horum evulſionem facilitandam.

19. *DEPRESSORIVM INSTRVMENTVM.* Hoc *dura mater* ſub trepanatione modeſte deprimitur, ut ſanguis intra cranium & membranas collectus per foramen, modiolis factum, evacuetur.

20. *DILATATORIVM ORIS.* Hoc inſtrumento dentes, valide commiſti, diducuntur. German. eine Mund-Schraube. Vid. *Paræus* libr. IX. c. 25.

21. *DILATATORIVM INSTRVMENTVM,* quod ad aperturam ſub lithotomia amplificandam adhibetur.

DIOPTRON. Vid. *ſpeculum.*

22. *ELEVATORIVM* eſt inſtrumentum, quo cranium depreſſum elevatur. Dicitur etiam *vectis.* Varia auctores *elevatoria* excogitarunt, e. g.

1) Inſtrumentum *triangulare*, quod exhibet ferrum quadratum, faſtigiatum, ad externam cranii laminam perforandam, & terebram, ad cranium elevandum.

2) Inſtrumentum *triploides* ſeu *tripes* veterum.

3) Elevatorium *Hildani.*

4) Elevatorium *Paræi.*

EMBRYVLCVS. Vid. *hamulus.*

23. *EXCVTIA*, germanice Magen-Bürſte, eſt novum inſtrumentum, ubique nunc decantatum. Conficitur e pilis caprinis mollibus cum manubrio e filo ferreo, ſatis longo & ſerico involuto. Nonnulli loco pilorum caprinorum ſpongiam manubrio implicant, & hac ratione impedire intendunt ſenſum illum titillatorium, qui exoritur, quando excutia pharyngi ad cavitatem usque ventriculi immittitur.

24. *FERVLÆ* ſunt aſſulæ tenues & leviſſimæ, quæ fractis vel luxatis oſſibus, facta repoſitione, adaptantur. Germanice vocantur Schienen, & modo e cortice ferulæ, (unde nomen habent) modo e capſulis abietinis, modo e corio, modo e conglutinata papyro parantur.

25. *FORCIPES*, uti variæ ſunt, ita a figuris, uſibus & inventoribus nomina ſua utplurimum ſortiuntur, e. g.

1) Forceps *arteriæ*, qua hæc poſt amputationem membri comprehenditur, ut eo commodius poſſit ligari.

2) For-

2) Forceps *acuta* ad *calculum* nimis magnum in vesica confringendum.
3) Forceps ad *calculum* e vesica extrahendum.
4) Forceps *Helvetii* ad cancrum sub operatione comprehendendum.
5) Forceps polypi.
   a) *Recta* ad *polypum* e naribus removendum.
   b) *Curva*, qua *polypus*, qui per narium foramina ad fauces tendit, & suffocationem minatur, abscinditur, & per os extrahitur.
   c) *Alia* ad illum detorquendum.
6) Forceps *magna* & *acuta*, ad prominentiam ossium decerpendam, die Spitzen abzuzwicken.
7) Forceps *parva*, ad festucas & alia heterogenea e vulneribus extrahenda. Germanice das Korn-Zänglein.
8) Forceps *pelecanus* dicta, ad dentes molares extrahendos. Habet extremitatem incurvatam instar rostri pelecani. Tam commoda hodie talia sunt instrumenta, ut dentium etiam radices per illa possint evelli.
9) Forceps *dentaria* communis.
10) Forcipes aliæ *dentariæ* supersunt, quando neque pelecanus, neque dentaria communis officium præstant.
11) Forceps *rostrum corvinum* dentatum referens, qua dentium radices extrahuntur.
12) Forceps cum *rostro corvino* non dentato,
13) Forceps cum *rostro anserino*,
14) Forceps cum *rostro vulturino*,
15) Forceps cum *rostro psittacino*. Hæ quatuor forcipes in fracturis cranii adhibentur, ad frustula ossea auferenda.
16) Forceps *Volsella* dicta, qua itidem frustula ossea, globuli & alia peregrina e vulneribus extrahuntur. Præterea pilis, e palpebris evellendis, inservit. *Paulus Ægineta* ἀκανθάβολον vocat.
17) Forceps cum *rostro gruino* recta & dentata, quæ volsellæ officio fungi potest.
18) Forceps in *semicirculum* curvata, dentata & nodulo in apice instructa, ad res heterogeneas e. g. ossicula, spinas, ex imis faucibus educendas.

19) Forceps *ſpeculum oris* dicta, qua lingua & maxilla inferior deprimuntur, ut oris vitia perſpici & medicamina applicari poſſint.

20) Forceps *inciſoria*, qua tumores & carunculæ oris ſcinduntur.

21) Forcipes variæ ad *ſetaceum* in nucha *inurendum*.

22) Forceps ad *ſetaceum* in nucha *ſecandum*.

23) Forceps *deceptoria*.

26. *FORFICES* variant magnitudine, prout res vel craſſæ vel ſubtiles ſecari debent, e. g.

1) Forfex *magna* & *curva*, quæ variis uſibus, & ſpeciatim fiſtulis aperiendis deſtinata eſt.

2) Forfex *inciſoria*, quæ cartilagineis & calloſis partibus incidendis inſervit.

27. *FVRCA BIDLOI*, quæ ad *cancrum magnum* amputandum uſurpatur.

28. *GLOSSOCOMVM* eſt inſtrumentum oblongum, cavum & ad femoris proportionem adaptatum, ut fracto femori vel cruri poſſit applicari. Superiore parte trochleas utrinque ſingulas habet ad latera ſitas; inferiore parte inſtructa eſt hæc machina axe transverſo, ad quem laquei alligati nixum contrarium gemina tenſione toti membro efficiunt. Hodie non adeo eſt in uſu, quia aliud inſtrumentum minoris apparatus inventum eſt, quod reponendis fractis pedibus inſervit.

29. *HAMVLVS* eſt inſtrumentum, quo aliquid apprehenditur & elevatur, German. ein Haacke, e. g.

1) *Hamulus parvus*, *acutus*, & mucrone intus recurvatus. Hic in oculorum vitiis præcipue adhibetur, e. g. ad unguem levandum, ad palpebram attollendam &c.

2) *Hamulus*, qui *globulis* educendis inſervit.

3) *Hamulus duplex* ad *fœtum mortuum* extrahendum, *embryulcus* dictus. Hic ſtilo crenato inſtructus eſt, qui impedit, ne hamulus verſus uterum, ſed fœtum dirigatur.

Machinas illas, quæ κατ' ἐξοχὴν *inſtrumenta* appellantur, ſequente ordine ponimus.

30. *INSTRVMENTVM* ad *auditum difficilem*. Hujus generis machina tam commode hodie excogitata eſt, ut ſub capillis fictis poſſit abſcondi. Dicitur alias *tuba acouſtica*.

31. *IN-*

31. *INSTRVMENTVM* ad *gibbositatem* cavendam ubique hodie notum est.
32. - - ad *colla curva* restituenda.
33. - - ad *dentes* purgandos varia prostant.
34. - - ad *acus* tenendas. Germ. ein Nadel-Halter.
35. - - ad *aneurysma* post arteriæ læsionem sive cavendum, sive curandum.
36. - - *Bidloi* ad cancrum exiguum interpungendum.
37. - - quadratum & fastigiatum ad *cranii* externam laminam perforandam.
38. - - argenteum subtilissimum nostris temporibus excogitatum, ad *ductum lacrymalem* aperiendum.
39. - - ad *os lacrymale* perforandum & *cariem* in fistula lacrymali pertundendam.
40. - - ferreum, formam T referens, & fracturis *clavi-culæ* destinatum.
41. - - *perforativ* dictum, adhibetur sub initium *trepanationis*, item ad ossa in *spina ventosa* perforanda.
- - *GLAVBERIANVM* vid. *syringa.*
42. - - orichalceum cum cochlea umbellata ad *hæmorrhagias* sedandas, novæ inventionis.
43. - - *pedibus curvis* restituendis inserviens.
44. - - ad *phalangosin* auferendam.
45. - - ad ossicula & alia heterogenea ex imis faucibus extrahenda.
46. - - ad *phimosin* dilatando auferendam.
47. - - *RASORIVM* in variis operationibus adhibetur. German. ein Kratz-Eisen. Vid. *scalprum.*
48. - - *scarificationi* inserviens. Germanice eine Schröpff-Fliete. Simplex instrumentum per vulgus notum est, non æque novum illud, quod sedecim vulnuscula uno ictu infligit.
49. - - ad *strabismum* infantum, a *Solingio* inventum.
50. - - ad *tonsillarum* abscessum interne aperiendum.
51. - - *Hildani* ad *uvulam* ligandam, & aliud ad eandem discindendam.

52. *INSTRVMENTA* aliqua ad *urinæ incontinentiam*, quorum unum clauſtrum quaſi refert, virgæ applicandum, ne urina præter voluntatem poſſit emitti.

- - *DILATATORIVM* vid. *forceps ſpeculum oris* dicta.

53. - - cum cochlea ad *cubitum rigidum* paulatim flectendum.

54. - - *ALPHONSINVM* ſeu *roſtrum gruinum* dictum, quo omnia heterogenea a vulneribus ſclopetariis extrahi poſſunt. Conf. forceps *volſella* & cum *roſtro gruino*.

55. - - quo *pes contractus* ſenſim extenditur.

56. - - ad curandas carunculas in meatu urinario, ab *Aquapendente* inventum.

57. *LANCEOLA* vel *lancetta* eſt cultellus utrinque acutus, hodie uſitatiſſimus in venæ ſectione & abſceſſibus aperiendis.

58. *LORVM HILDANI*, duobus hamulis præditum, quo extenſiones in fracturis & luxationibus peraguntur. Datur etiam *lorum* commodum ad ligandos *fonticulos*, cujus latitudo eſt duorum digitorum, cum *hamulo* in una, & in altera extremitate cum *lamella*, foraminibus perforata.

59. *MACHINA TRACTORIA VITRUVII* ad extenſiones artuum in luxationibus & fracturis uſurpatur. German. der Rollen-Zug.

60. *MALLEVS LIGNEVS* plumbo refertus in amputatione digitorum, cubiti & radii capitibus adhibetur. Malleus autem *ferreus*, quem olim ad particulam cranii ſeparandam adhibebant, non magis eſt in uſu. Nam hujus loco recentiores utuntur forcipibus & ſerrulis.

METRENCHYTES vid. *clyſteres*.

61. *MODIOLVS* vocatur illa pars *trepani*, quæ circa os perforandum circumvolvitur. Duplex eſt, unus cum clavo, qui *mas* nominatur, alter ſine clavo, qui *fœmina* dicitur. Beneficio modioli *maſculi* cranio veſtigium aliquod imprimitur, ut deinde *fœmininus* eo firmius inſiſtere poſſit. Conf. *trepanum*.

62. *MENINGOPHYLAX* ſeu *membranæ cuſtos Celſi* eſt lamina argentea, qua Chirurgi utuntur in magnis cranii depreſſionibus & fracturis, in quibus cranium ter vel quater *trepano* perforandum eſt. Sub his operationibus repetendis lamina hæc inter calvariam & duram matrem

trem ponitur, ut pars ejus exterior, quæ levis est, cerebro propior sit, ne acumine forcipum vel serrularum membranæ pungantur vel incidantur. Hodierni Chirurgi simile quoddam habent instrumentum, quod *vectem* vocant. Vid. *elevatorium*.

63. *MENSA*, quæ ad lithotomiam inventa est, pauciſſimis operatoribus usu venit.

NILEI PLINTHIVM vid. *plinthium*.

64. *OCVLVS vitreus* vel *aureus*. Hæc artificiosa machina ab illis gestatur, qui naturali oculo privati sunt. Exacte respondet oculi orbitæ. Inventor est *Fabricius ab Aquapendente*. Aureus oculus, pondere suo molestus, continuum fere humorum affluxum & lippitudinem prolicit, vitreus autem ob fragilitatem a causa quadam violenta multam circumspectionem exposcit.

OTENCHYTES vid. *clysteres*.

PELECANVS vid. *forceps*.

65. *PESSVS* vel *PESSARIVM*. Denotat vel instrumentum perforatum (*vid. circulus uterinus*) vel remedium topicum, sinui pudoris applicandum.

66. *PHLEBOTOMVS* generatim vocatur instrumentum illud, quo vena secatur. Duplex hodie receptum est: unum quod celeri per digitum pulsu venæ infligitur, & germanice vocatur ein Schneller, Spring-Stöcklein; alterum, quo vena levi incisione aperitur, vocatur *lanceola*, quam vide suo loco. Antiquorum phlebotomus, Fliete, Laß-Eisen vocatus, exoluit.

67. *PILEVS ARGENTEVS*, ubique perforatus, exulceratis nutricum papillis solet applicari & papilla vaccina (Kuh-Striche) obduci, pro commodiore lactatione. Paratur etiam e ligno vel cera alba.

68. *PLINTHIVM NILEI* est machina ad similitudinem *tractoriorum* quadratorum oblongorum parata. Ad cubiti luxati repositionem adhibetur, nempe quando neque per fasciam, alæ subjectam, neque per linteum glomeratum cubitus luxatus reponi potest, scalæ hæc machina alligatur & cubitus extenditur.

RHINENCHYTES vid. *clysteres*.

ROSTRVM vid. *forceps*.

69. *REMORA HILDANI* in luxationibus humeri ad *inferiora* alæ ſubjicitur, ut nodus humeri capiti reſpondeat, & remoram clavus firmet. Sed *ſcamno Hippocratis* luxationes felicius reſtituuntur.

70. *SCALPELLVS* & *SCALPRVM* a nonnullis auctoribus pro ſynonymis habentur, a plurimis autem diſtinguuntur, nempe per *ſcalpellos* ſignificant omnis generis *cultellos*, e. g.

1) *Scalpellus falcatus*, ad ſeparandas a ſe invicem palpebras.

2) *Scalpellus* ad *vulnera* in thorace & abdomine dilatanda.

3) *Scalpelli myrtiformes*, qui formam foliorum myrti in extremitate referunt.

4) *Scalpellus annulo incluſus*, qui ad ſuppuratas mulierum mammas aperiendas præcipue adhibetur. Plura videantur ſub *cultris*.

Scalprorum autem nomine illis veniunt inſtrumenta, quibus oſſa raduntur, & proin *ſcalpra raſoria* audiunt. Conficiuntur ex optimo chalybe, ut aciem acquirant, qua ratio promptiſſima fieri poſſit. Pro oſſis radendi conditione ſcalprum vel majus vel minus requiritur, e. g. oſſa carioſa femoris, tibiæ, humeri ſcalprum validius, quam fiſſuræ cranii capillares abradendæ expoſcunt.

Scalprum etiam vocatur inſtrumentum illud, quo capita digitorum, cubiti, & radii amputantur, germ. ein Meiſſel.

71. *SELLA OBSTETRICALIS* variarum datur inventionum, e. g. ſella *Moſchii*, a *Foreſto* libr. XXVIII. obſerv. 73. allegata.

72. *SCALA* ad repoſitionem articulorum adhibetur. Quatuor illæ *trochleæ*, quas hæc ſcala habet annexas, ad uſum *Plinthii Nilei* ſpectant.

73. *SCAMNVM HIPPOCRATIS* partibus luxatis reſtituendis valde idoneum eſt.

74. *SERRA* eſt vel magna, qua artus ſphaceloſi amputantur, vel parva, qua digiti manuum & pedum deſecantur.

75. *SETACEVM* germ. ein Börſtgen, ad *coronam trepani* purgandam adhibetur. Quare cum operatione illa, quæ *ſetacei* nomine venit, non eſt confundendum.

SIPHO vel *SIPHVNCVLVS* vid. *ſyringa*.

76. *SPATHA CELSI* eſt ſcalpellus utrinque acutus, quo vulnera capitis in crucem vel triangulum dilatantur, quoque paracenteſis thoracis aliquando peragitur.

77. *SPA-*

77. *SPATHA* vel *SPATHVLA* designat instrumentum ex argento, ferro vel ligno confectum. Vocatur etiam *rudicula*. Magnitudine uti differt, ita modo ad linguæ depressionem, modo ad emplastra & unguenta, corio aut panno obducenda, modo ad medicamina chirurgica agitanda adhibetur.

78. *SPECILLVM* vel *SPECVLVM*, german. ein Sucher, gall. *une sonde*. Varius hujus instrumenti est usus, modo enim ad vulnerum & fistularum statum explorandum, modo ad quid extrahendum, extendendum, findendum, injiciendum & inspergendum adhibetur. Hic latior usus latiorem hujus vocabuli infert significationem, & varia quoque nomina, e. g.

1) *Speculum oculi*, quod ad oculum firmandum in cataracta deponenda adhibetur.

2) *Speculum ani* ad eundem distendendum.

3) *Speculum uteri* ejusdem usus. Datur speculum *magnum*, quod tantum adhibetur in fœtu mortuo incidendo, vel ulceratione inspicienda.

4) *Speculum oris* vid. *forceps* num. 19.

5) *Specillum cum cannula* vid. *conductor*.

6) *Specillum compositum*, cujus una extremitas est lata, scrutationi inserviens, altera cochleam habet acuminatam, quæ linteo carpto circumvolvitur, ad sordes vulnerum, ulcerum & fistularum detergendas.

79. *STVPHA LACONICA*, german. der Schwitz-Kaste, ubique notissima est.

80. *STYLVS*. Hoc nomine diversa veniunt instrumenta teretia & acuminata, quæ modo ad explorandum, modo ad intrudendum, modo ad alias operationes adhibentur.

81. *SYRINGA* denotat instrumentum concavum, quo liquores in diversas corporis cavitates injiciuntur, interdum etiam ex iisdem educuntur, e. g. sanguis e vulneribus. Dicitur quoque *fistula*, *siphunculus*, *sipho*, german. eine Sprütze. Variæ dantur species, e. g.

1) *Syringa auricularis*, *otenchytes* dicta, qua liquores in aures injiciuntur, ad ulcera abstergenda & consolidanda.

2) *Syringa enterenchytes* appellata, germ. eine Clystier-Pfeife. Præter ea, quæ superius de *clysteribus* diximus, notandum, quod syringæ quædam formam *cateteris curvati* referant, quibus ægroti sibi-

ſibimetipſis clyſterem applicare poſſint; quæ tanto commodiores ſunt, ſi conditio ſubjecti frequentem *enematis* uſum poſtuſet, e. g. in pertinaci alvi conſtrictione. Vid. *clyſter*.

3) *Syringa uterina*, a *Galeno metrenchytes* vocata, german. Mutter-Clyſtier. Huc pertinet *inſtrumentum Glauberianum*. Ad evitandum autem pudorem excogitatus eſt *tubus*, multis foraminibus perforatus, qui *ſyringæ* accommodatur, ut ſibimetipſis liquorem infundere poſſint ægrotæ.

4) *Syringa rhinenchytes* dicitur, quo aliquid in nares immittitur.

5) *Syringa* argentea, tenerrima, ab *Anello* nuper excogitata, quæ ad liquorem in ductum lacrymalem injiciendum adhibetur.

82. *SYRINGOTOMVM* eſt cultellus ad *fiſtulas* incidendas. German. ein Fiſtel-Meſſer. Speciatim ad fiſtulam *ani* culteli tales artificioſe hodie excogitati ſunt.

83. *TEREBRA* & *TEREBELLA* vocatur inſtrumentum illud, quo oſſa capitis & aliarum partium perforantur. German. ein Bohrer, græce τρύπανον. Varie differunt hæ machinæ, aliæ enim ſunt rectæ & acutæ, aliæ ſerratæ, cavæ, &c. v. g.

1) *Terebra* ſeu *trepanum abaptiſton*, ad os cranii perforandum. Conferatur *modiolus*.

2) *Terebra triformis* & *triplois*. Hæ in cranii vulneribus uſitatæ ſunt.

3) *Terebra Maggii* ad globulos extrahendos, german. ein Kugel-Bohrer.

4) Huc etiam pertinet inſtrumentum, quod *Mauriceau* ad extrahendum fœtum mortuum, qui caput exporrigit, commendat. Gall. *Tire-tete*, german. der Kopf-Zieher. Ut firmius applicari poſſit, fonticulus cultro bipenni antea aperitur.

84. *TORCVLAR* recentiorum, gall. *tournequet*, compreſſioni vaſorum in hæmorrhagiis ſiſtendis conducit.

TREPANVM vid. *modiolus*, *terebra*, *vertibulum*.

85. *TROCART* vel *TROISCART* eſt cannula acu inſtructa, & paracenteſi cuicunque deſtinata. Differunt quidem hæ cannulæ magnitudine, omnes tamen foraminibus perforatæ ſunt, ut, dum vulnus apertum ſervant, colluvies per illa exire poſſit. Differunt etiam *acus*, quibus ſcrotum, umbilicus, &c. perforantur, aliæ enim ſunt tricuſpides, rotundæ aliæ. Ad paracenteſin in *oculo* inſtituendam,

item

item ad *bronchotomiam* ſubtiliſſima cannula cum acu requiritur.

TVBVS, *TVBVLVS* vid. *cannulæ*, item *ſyringa*.

86. *VERTIBVLVM MODIOLORVM* eſt altera pars *trepani*, nam hoc conſtat ex *modiolo* & *vertibulo* ſeu manubrio.

VECTIS vid. *elevatorium*.

VOLSELLA CELSI vid. *forceps*.

87. *VITRVM* quo papillæ, ſi nimis lateant, & lac e mammis eliciuntur, german. Zug-Glas.

ZONA HILDANI vid. *lorum Hildani*.

TABVLA III.
DE
FASCIIS.

I. *DEFINITIO.*

Faſcia eſt linteum indefinitæ magnitudinis, quod variis uſibus chirurgicis, & inprimis univerſo deligationis apparatui obfirmando inſervit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differt quidem *faſcia* a *faſciatione*, ut pars a toto. Nam faſcia eſt ſimplex vinculum, german. die Binde, faſciatio autem eſt ipſa operatio, lege artis inſtituta, ad quam non ſolum faſcia, veterum etiam *ſplenia*, *emplaſtra* & alia, quæ ſolent adhiberi, pertinent, germ. ein Verband, gall. *une bandage*.

2. Ab auctoribus autem per *ſynecdochen* ſæpius inter ſe permutantur; ita v. g. per faſciam *repentem* non ſubaudiunt linteum illud ſimplex, ſed faſciationem talem, cujus circumductiones *repentem* ſeu *ſpiralem* exhibent figuram. Sic etiam per gallicum vocabulum *bandage* ſæpiſſime ſimplex tantum faſcia ſignificatur.

3 Differunt faſciæ

1) ratione *materiæ*. Licet enim in definitione *linteum*, e quo communiſſime parantur, tantum nominatum ſit, dantur tamen nonnul-

nullæ, quæ e *goſſypio*, Barchet, corio, panno laneo &c. conficiuntur.

2) ratione *formæ*.
   a) Aliæ enim ſunt longæ, aliæ breves, aliæ latæ, aliæ anguſtæ.
   b) Aliæ ſunt *ſimplices*, quæ ex unico tantum linteo parantur; aliæ ſunt *compoſitæ*, quæ e pluribus linteis ſeu faſciis aſſutis & multis capitibus conſtant.

3) ratione *nominis*. Adeptæ enim ſunt nomen ſuum
   a) Aliæ ab inventoribus;
   b) Aliæ a figura, quam exhibent;
   c) Aliæ a circumductionibus ſeu *dolabris*, quibus alligantur;
   d) Aliæ a partibus, quibus applicantur, vel e quibus partibus faſciæ conſtant.

4) ratione *uſus*.
   a) Aliæ enim ad varias deligationes poſſunt adhiberi, & hinc *communes* dicuntur;
   b) Aliæ certæ cuidam parti deligandæ tantum inſerviunt, & hæ *propriæ* appellantur;
   c) Aliæ & plurimæ deligationis univerſum apparatum firmiter tenent, nempe plumaceolos, emplaſtra, ſplenia &c.
   d) Aliæ hæmorrhagiis vulnerum ſedandis inſerviunt;
   e) Aliæ ſanguinis ad caput congeſtiones cavent, vel dolores inde provenientes mitigant;
   f) Aliæ tumoribus pedum œdematoſis medelam adferunt;
   g) Aliæ hydrocephalo infantum tollendo deſtinatæ ſunt;
   h) Aliæ expreſſionem materiæ, in fiſtulis contentæ, promovent;
   i) Aliæ membris luxatis & fractis reponendis, & in ſitu ſuo debito retinendis inſerviunt;
   k) Aliæ labia vulnerum contrahunt;
   l) Aliæ partem læſam ab injuriis defendunt;
   m) Aliæ partem in extenſione retinent; de quibus omnibus ſub quavis faſcia plura dicemus.

4. Porro dividuntur faſciæ
   1) in *epideſmides*, quæ alias tegunt,
   2) & *hypodeſmides*, quæ ſub prioribus latitant.

5. De-

5. Denique quævis fascia dividitur
   1) in *corpus*, quod medium locum occupat,
   2) & *capita*, quo nomine omnes extremitates veniunt.

III. *SPECIES FASCIARVM.*

A. *Communium*, seu quæ variis partibus possunt applicari.

1. Fascia *continens*, vulgo *contentiva.*
   1) Omnes quidem fasciæ apparatum deligationis firmiter tenent, & hinc appellari possent *continentes.*
   2) Speciatim autem hoc nomine venit fascia quædam simplex, minoris longitudinis.
2. Fascia *iniens*, *incarnans*, gall. *unissant.*
   1) Est fascia in duo capita voluta, longitudine ad tres circiter ulnas, latitudine ad duos digitos transversos accedens.
   2) In medio foramen habet, quod secundum filorum tractum per tres latos digitos scissum est, labiis vulnerum conjungendis inserviens, dum unum fasciæ caput per hoc foramen trajicitur, & deinde capita supra vulnus firmiter stringuntur.
   3) Applicari autem in iis tantum potest vulneribus, quæ secundum *longitudinem* partis facta sunt, in vulneribus vero transversim inflictis (quæ in artubus sæpius contingunt) non habet locum.
   4) Quando primum solvitur, fieri id debet manu modesta, & quidem circa tertium demum diem.
   5) Itaque hæc fascia vulnera, secundum longitudinem excurrentia, conjungit, hæmorrhagiam compescit, tempus ordinariæ consolidationis imminuit, fœdam cicatricem impedit.
3. *Dividens.*
   1) Est fascia in duo capita voluta, longitudinis quinque circiter ulnarum, & duorum digitorum latitudinis.
   2) Coalitum partium læsarum impedit.
   3) Hinc in ambustione & ulceratione digitorum, ne illi concrescant, adhibetur.
   4) Sic etiam, quando vulneri, ulceri vel fistulæ applicatur, illorum unionem impedit.
   5) In ambustione colli applicata illius incurvationem, a cutis constrictione metuendam, præcavet.

4. *Repens* seu *ascialis*.
   1) Nomen habet a circumductionibus, quæ *spiralem* & *repentem* quasi figuram exhibent.
   2) Veteres partibus inflammatis hanc fasciam applicabant, ad affluxum humorum intercipiendum, sed hodie exolevit, & illius loco substituta est fascia sequens.
5. *Dolabra*, gallice *dolaire*.
   1) Nomen accepit a dolabris, quas applicata efformat.
   2) Circumductiones ita concinnatas habet, ut una duas partes alterius tegat.
   3) In tumore pedum œdematoso, & quidem inferius incipiendo, applicatur ad affluxum impediendum.
6. *Obtusa* seu *sima*, gallice *mousse*.
   Hujus circumductiones paulo remotius a se invicem distant, quam fasciæ præcedentis, ita ut una tertiam partem alterius tegat.
7. *Expellens*, vulgo *expulsiva*.
   Easdem cum fascia repente habet circumductiones. Præter usum communem fistulis deligandis specialius destinatur. Applicatur autem cum hac encheiresi, ut circa *fundum* illius arctius, circa *oram* vero laxius imponatur, ad materiæ effluxum promovendum. Sinus, quando recens est, hac constrictione ad consolidationem simul perducitur.
8. *Funda*.
   1) A figura, quæ facta fasciatione exhibetur, nomen habet.
   2) Inventor est *Galenus*, qui eam *libro de fasciis* descripsit.
   3) Est fascia composita, quatuor constans capitibus.
   4) Vsum habet in læsione capitis, fractura ossium nasi, labio leporino & oris adfectionibus; item in artubus luxatis, in quo casu minoris est magnitudinis; quæ generatim pro partis adfectæ conditione debet esse proportionata.
9. *Circularis*.
   1) Licet circumductionibus circularibus omnes fere fasciæ vel incipiant, vel desinant; hoc tamen nomine specialiter venit fascia simplex in unum caput voluta.
   2) Longitudo ad quatuor ulnas, latitudo autem ad tres digitos transversos accedit.

3) Par-

3) Partibus amputatis applicatur, ut deligationis apparatus firmiter detineatur.

B. *Propriæ*, quæ certis quibusdam partibus deſtinantur.

I. *Capitis faſciæ.*

1. *Capitium ſimplex*, gallice *couvre chef ſimple.*

1) Paratur e linteo unius ulnæ longitudinis & ſesqui pedis latitudinis.

2) In vulnere capitis & fractura cranii adhibetur.

2. *Capitium duplex*, gallice *couvre chef double.*

A priori quoad uſum & applicationem parum differt.

3. *Capitium magnum*, gallice *le grand couvre chef.*

1) Paratur e linteo ſatis magno & forti, vulgo einer groſſen Serviette, cujus latitudo ad minimum ſesqui ulnam refert, longitudo vero latitudinem paululum ſuperat.

2) Linteum hoc ſecundum longitudinem duplicatur, ita quidem, ut una pars præ altera duorum digitorum latitudinem promineat. Media lintei duplicati pars nova duplicatura notatur.

3) Linteum, capiti imponendum, utraque manu inter pollicem & digitum indicem prehenditur æquali diſtantia a medio in linteo notato. Pars prominens ſeu latior indici incumbit, reliqui vero digiti inſerviunt ad linteum expandendum, ne apparatus ſpleniorum, plumaceolorum &c. in applicatione turbetur.

4) Deinde capiti ita imponitur, ut pars lintei minus lata in ſuperciliorum regione capiti incumbat, latior vero, quæ & inferior eſt, ſupra naſi radicem propendeat.

5) Extremitates exteriores ab adſtante recta linea inferius protrahuntur & ita tenentur, dum Chirurgus alteras extremitates, interiores ſcilicet, inferius circa mentum ægroti plenis manibus arripit, & manus extendendo eas ſurſum & deorſum ad cervicem adducit, ibique bene diſpoſitas acu firmat.

6) Eodem quoque manuum motu lintei in faciem prominens pars ſurſum reflectitur, & ita oculi ab hoc impedimento liberantur.

7) Extremitates, ab adſtante apprehenſæ, nodo eleganti ſub mento nectuntur. Reliquum, quod de linteo circa collum de-

pendet, vel ibi pro fovendo collo relinquitur, vel in nimio calore ad caput reflectitur, ibique acubus firmatur.

4. *Capitium triangulare*, gallice *le couvre chef en triangle.*

1) Paratur e linteo quadrato, non tamen ita magno, uti antecedens, in triangulum duplicato. Strophiolum quadratum sæpe sufficit.

2) Linteum ita duplicatum constituit tres angulos seu extremitates, anteriores duas & posteriorem unam. Extremitates anteriores duplicantur pro media lintei parte notanda.

3) Deinde linteum eadem ratione, ac præcedens, inter pollices & indices prehensum, superciliorum regioni imponitur, ut media lintei pars, quæ æquali distantia inter pollices est, mediam inter oculos partem tenere conspiciatur.

4) Quo facto extremitates lintei anteriores cervicem versus & supra tertiam, quæ posterior est, extremitatem ducuntur, mutatisque ibidem manibus & omnibus rite dispositis extremitates antrorsum ad frontem reducuntur, ibique vel nodulo vel acu firmantur.

5. *Fascia Hippocratis*, gallice *bonnet d' Hippocrate.*

1) Latitudo est unius ulnæ majoris, longitudo autem unius minoris.

2) Eundem usum cum capitio *simplici* & *magno* habet.

6. *Fascia sex capitum*, seu *cancer Galeni*, gallice *le bandage de Gallien a six chefs.*

1) Paratur e linteo unius ulnæ longo & dimidiæ lato. Linteum secundum longitudinem duplicatur, reiteratur duplicatura secundum longitudinem ad manus latitudinem, deinde longitudo triplicatur, & secundum plicas factas inciditur linteum, quod sex erit capitibus instructum.

2) Applicatur eadem methodo, ac reliqua capita, nisi quod secundum latitudinem imponatur, ita quidem, ut extremitas anterior ante oculos dependeat.

3) Capita duo posteriora ordine applicationis sunt priora, dum aliquo modo complicata a cervice versus frontem ducuntur, ibique acu firmantur.

4) Hæc excipiunt capita anteriora, quæ ab oculis ad supercilia usque

usque reflexa, & a fronte versus cervicem ducta, ibidem pari ratione adnectuntur.

5) Capita media vel sub mento vel sursum vertici imposita conjunguntur.

6) Hæc fascia cum prioribus ejusdem usus est, omnes vero inserviunt ad apparatum remediorum & spleniorum post operationem, in capite factam, continendum.

7. *Cancer Sculteti.*

A priori in eo tantum differt, quod octo capita habeat. Sed quidquid æque bene fieri potest per pauciora, non debet fieri per plura.

8. *Capitalis, reflexa*, gall. *capeline.*

1) Paratur e linteo in duo capita voluto, cujus longitudo ad sex & plures ulnas accedit, latitudo autem est trium circiter digitorum.

2) Os coronale vel occipitis, si dimotum fuerit, fronti, vel occipiti applicatur.

3) Ossa autem *bregmatis*, quando ab invicem secesserunt, tum laterali capitis regioni apponitur.

4) Veteres pro *hydrocephalo* tollendo eandem adhibebant, ut caput ubique comprimeretur, atque ita seri stagnatio sive in partibus externis, sive internis facta, tolleretur.

5) In capitis dolore, a congestione sanguinis producto, egregium adfert solamen, fibras enim nimium extensas coarctat, & hac ratione sensibilitatem notabiliter minuit.

9. *Regia*, gallice *bandage royale.*

1) Formatur e linteo in unum caput voluto, sex ulnarum longitudinis, & duorum pollicum per transversum latitudinis.

2) Cum *discrimine* eandem habet utilitatem.

10. *Scapha.*

1) Nomen obtinet a figura, quam fascia applicata exhibet. Sive enim in fronte, sive in occipite fiat applicationis initium, utroque modo scapha provenit.

2) Paratur e linteo in unum caput voluto, cujus longitudo est quinque ulnarum, latitudo autem duorum digitorum per transversum.

3) Eundem cum sequente habet usum.

11. *Discrimen.*

1) Nomen inde sortitur, quod circumductionibus suis caput quasi discriminet, seu disterminet.

2) Paratur e linteo in unum caput voluto, cujus longitudo est quatuor ulnarum, latitudo autem duorum per transversum digitorum.

3) In sectione venæ frontis solet adhiberi, & uti simplicissima est fascia, ita etiam plurimis usu venit in hujus venæ sectione.

12. *Solaris*, gall. *solaire.*

1) Inventor est *Verduc*, qui tractatu suo edit. germ. pag. 414. eandem descripsit.

2) Nomen accepit a radiis solaribus, quos circumductiones ejus referunt. Hinc etiam quibusdam *stellaris* audit.

3) Paratur e linteo in duo capita voluto, cujus longitudo ad quinque ulnas accedit, latitudo autem unum tantum pollicem explet.

4) Commendatur post *arteriotomiam*, ut arteria *temporalis* secta firmiter comprimatur & consolidatio hac ratione promoveatur.

5) *Scultetus* similem fere ad arteriam ligandam demonstrat fasciam plures tantum habet circumductiones.

13. *Oculus simplex*, gall. *l' oeil simple.*

1) Formatur e linteo in unum caput voluto, longitudinis ulnarum duarum & dimidiæ, latitudinis duorum pollicum transversorum.

2) Adhibetur, quando unus tantum oculus est læsus, ad illum tegendum & remedia applicata firmiter retinenda.

3) Quæ *monoculus* dicitur fascia, eundem habet usum, longitudine autem & levibus applicationis circumstantiis ab *oculo simplice* differt.

4) *Vmbellatam* veterum quære Tab. II. *crinale instrumentum.*

14. *Oculus duplex*, gall. *l' oeil double.*

1) Paratur e linteo in duo capita voluto. Longitudo quinque habet ulnas, latitudo autem duos digitos transversos.

2) Vsu venit, quando uterque oculus deligandus est.

15. *Triangularis oculorum.*

1) Pa

1) Paratur e linteo quadrato, in triangulum complicato, cujus media pars oculo læso applicatur.

2) Cum prioribus eundem habet usum.

3) Vulnera superciliorum, secundum longitudinem facta, requirunt fasciam *unientem* seu *incarnantem*, de qua superius diximus.

16. *Accipiter.*

1) Nomen accepit a figura. Facta enim fasciatione circumductiones referunt mitram accipitris, rei venaticæ inservientis.

2) Fasciatio hæc, quæ etiam veteribus cognita fuit, paratur ex linteo triangulari, naso ægrotanti proportionato, cujus angulis linteum latitudine minimi digiti assuitur.

3) Linteum superius, quadrantem ulnæ longum, pileo nocturno adfirmatur. Das Band wird an einer Nacht-Mütze beveſtiget.

4) Linteà lateralia vero, quorum quodvis sesqui ulnam longum est, versus occiput ducuntur, & cruciatim ibi dispositа versus nasum sub utroque zygomate redeunt, supra nasum denuo crucem formant, & quibusdam circularibus ductionibus pro longitudine linteaminum in capite factis acu vel filo firmantur.

5) Vbi hoc linteum naribus respondet, ibi foramina in illo incidi debent pro commodiore respiratione.

6) Deligationi ossium nasi fractorum inservit.

7) Lateralibus nasi partibus non nimis firmiter alliganda est, ne ossa e debito situ moveantur, & nasus deformis reddatur.

8) Ex eadem ratione *fossa Amyntæ* a *Verduckio* rejicitur, qui ossa deprimit, atque ita deformitatem adfert.

9) *Funda*, quæ similem cum *accipitre* habet usum, sub fasciis communibus jam descripta est.

17. *Fascia*, quæ post *venæ nasalis* sectionem solet adhiberi, a *discrimine* in eo tantum differt, quod non in loco venæ sectæ, sed in fronte terminet.

18. *Fascia ad aures.*

1) Hæc figuram T refert. Componitur enim e fascia duplice æqualis longitudinis, ad ulnas quatuor se se extendentis, & æqualis etiam latitudinis, quæ est duorum per transversum digitorum.

2) Aurium vulneribus & ulceribus deligandis, & remediis applicatis firmiter tenendis, inservit.

19. *Pertuſa.*

1) Hæc conſtat linteo, trium ulnarum longitudine, & unius tantum digiti transverſi latitudine.

2) In *labio leporino* genas adducit, ne labia ab acubus lacerentur, & ſic univerſa operatio irrita reddatur.

3) *Funda*, quam ſub communibus faſciis deſcripſimus, in *labio leporino* etiam poteſt applicari, *pertuſa* autem palmam ei præripit.

20. *Capiſtrum ſimplex*, gall. *cheveſtre ſimple.*

1) Paratur e linteo, in unum caput voluto, quatuor ulnarum longitudine, & duorum per transverſum digitorum latitudine.

2) Adhibetur in luxatione & fractura *maxillæ inferioris.*

21. *Capiſtrum duplex*, gall. *cheveſtre double.*

1) Paratur e linteo, in duo capita voluto, longitudinem habet ſex ulnarum, & latitudinem duorum pollicum.

2) Vſu venit in *maxilla inferiore*, utrinque luxata vel fracta.

3) *Alia* adhuc *faſcia* in fractura & luxatione maxillæ inferioris ſolet adhiberi, quæ a *funda*, ſuperius deſcripta, parum recedit. Habet enim quatuor capita, quæ e linteo ter duplicato conſtant, & ſingula longitudinem referunt duarum palmarum. Media pars *foveam* refert, quæ læſæ maxillæ apponitur.

22. *Continens capitis*, vulgo *contentiva capitis*, gall. *le diviſif à deux chefs.*

1) Conſtat e linteo in duo capita voluto, decem ulnarum longitudinis, & duorum digitorum latitudinis.

2) Artificioſæ paululum ſunt illius circumductiones. Nam tractus illarum non ſolum caput percurrunt, ſed etiam ad nucham, axillas & pectus deferuntur.

3) Caput firmum & æqualiter erectum tenet, unde egregii eſt uſus, quando unus vel alter muſculus extenſione, diſſectione, ambuſtione, læſus, atque ita capitis extenſio & erectio impedita eſt.

4) Ante ejus applicationem alia faſcia vertici imponi debet, cujus una extremitas ante faciem longitudine proportionata, altera vero de nucha infra ſcapulas usque pendet.

5) Tum ſupra hanc faſcia illa, numero primo deſcripta, applicatur.

6) In-

6) Incipit a fronte verſus nucham, ibique cruce per appoſitionem faſciæ formata ad axillas pergit & ſub illis ducta denuo in nucha cruciatim apponitur. De nucha redit ad frontem, de fronte, ut antea, ad nucham, de nucha ad axillas & ſub illis verſus pectus.

7) Jam extremitas alterius faſciæ, quæ de facie dependebat, verſus nucham reflectitur, ut faſcia cruciatim in thorace diſpoſita, & a thorace ſuper axillas ducta, in dorſo ſuper extremitatem, a fronte reflexam, cruciatim moveri, eamque ſatis firmare poſſit. Quod eo magis fit, quando adhuc ductiones quædam circulares ſupra illam fiunt.

23. *Continens colli.*

1) Eſt faſcia compoſita. Duobus enim linteis conſtat, quorum unum, quod *ſcapulare* mentitur, eſt ſesqui ulnæ longitudinis, & duorum fere digitorum latitudinis; alterum autem eſt faſcia circularis, & ad duas circiter ulnas longitudine ſua accedit, latitudine vero trium eſt digitorum.

2) Remedia, quæ collo applicantur, firmiter tenet.

24. *Scapularis*, gallice *ſcapulaire.*

1) Nomen ſortitur a ſcapulis, quibus applicatur.

2) Paratur e linteo indefinitæ longitudinis. Quando enim læſionibus pectoris deligandis inſervit, longitudinis eſt minoris, majoris autem in læſionibus abdominis ligandis. Latitudo ad quinque aut ſex digitos accedit.

3) Faſcia hæc ad dimidiam partem ab una extremitate diſſinditur, vel tanto foramine in medio præditur, ut ægrotantis caput per illud trajici poſſit.

4) Conducit ad firmandam faſciam *circularem*, pectori vel abdomini applicatam, ne e loco ſuo, quod facile contingit, dimoveatur.

25. *Cataphracta*, gall. *plaſtron*, ein Küraß.

1) Nomen ſortitur a figura, quam applicata faſcia exhibet.

2) Amplum involvit apparatum & magnitudine omnes faſcias ſuperat.

3) Conſtat quatuor capitibus, quorum duo, de collo ſuſpenſa, æqualem habent longitudinem, ad integram circiter ulnam accedentem, latitudo utrinque palmam refert.

4) Reliqua duo capita, quæ pectori applicantur, latitudinem quidem habent æqualem, dimidiam videlicet ulnam explentem, longitudinem autem inæqualem; unius enim capitis longitudo eſt circiter unius ulnæ, alterius autem intra palmam majorem ſubſiſtit.

5) Pars faſciæ media (nempe ab *inciſura* illa *ſemilunari*, quæ duobus capitibus oblongis interponitur, ad extremitatem usque computando) unius circiter ulnæ eſt longitudinis.

6) Firmat hæc faſcia pectoris & abdominis deligationes, faſcia circulari factas.

26. *Quadriga.*

1) Nomen habet a figura. Nam circumductiones ejus, quæ cruciatim excurrunt, ſimiles ſunt habenis illis, quibus quatuor equi, currum trahentes, reguntur.

2) Dicitur etiam a nonnullis *cataphracta*, quoniam & hujus formam aliquo modo exhibet, ſed hoc intuitu cum præcedente faſcia non eſt confundenda.

3) Paratur e linteo in duo capita voluto, ſex vel octo ulnarum longitudinis & trium per transverſum digitorum latitudinis.

4) Adhibetur in fractura & luxationibus coſtarum, ſterni, vertebræ dorſi ac lumborum, præſertim proceſſus ſpinalis.

5) Circumductiones ita artificioſæ ſunt, ut *dolabræ*, ſeu *tractus inferiores* loco faſciæ *circularis*, *ſuperiores* autem loco *ſcapularis* inſerviant.

27. *Stellata*, gall. *etoilé.*

1) Ita vocatur a dolabris ſeu circumductionibus ſuis, quæ in dorſo cruciatim excurrunt, & ſtellam exhibent.

2) Paratur e linteo in unum caput voluto, longitudinis quatuor vel ſex ulnarum, latitudinis trium ad minimum digitorum.

3) In ſcapula fracta firmiter tenenda & ſuffulcienda adhibetur.

28. *Vinculum Soſtrati*, quod *Galenus* deſcribit, & in fracturis coſtarum commendat, exolevit, ob faſcias, quæ ad hunc finem hodie proſtant, commodiores.

29. *Faſcia Heliodori.*

1) Ab inventore nomen habet. Dicitur etiam a quibusdam faſcia *Tau*, quia figuram litteræ T exhibet.

2) Eſt

2) Eſt vel *ſimplex*, quæ quatuor capitibus conſtat, vel *compoſita*, quæ ſex habet capita.

3) Singula capita latitudinem habent duorum digitorum, longitudinem autem unius circiter ulnæ.

4) Simplex adhibetur, quando *unica* tantum mamma deliganda eſt, compoſita *duabus* deligandis inſervit.

5) Nempe duobus capitibus regio ſub mammis cingulo quaſi circumdatur, altera duo capita ſurſum ducuntur.

30. *Mammillaris.*

1) Eſt compoſita & conſuta *funda* & *ſimplici* quadam faſcia in duo capita voluta.

2) In medio ſacculum format, mammæ includendæ accommodatum.

3) *Funda*, quæ hic applicatur, longitudinem habet unius & dimidiæ ulnæ, latitudinem vero duarum palmarum. Capita ſex habet æqualia utrinque ad dimidiam ulnam disciſſa.

4) Altera autem ſimplex faſcia ita cum *funda* conſuitur, ut in medio burſulam illam, ſeu ſacculum modo dictum exhibeat.

5) Uſus hujus faſciæ ex ipſo nomine & deſcriptione conſtat, & præ faſcia *Heliodori* caput effert.

31. *Cingulum umbilicale.*

1) Hanc faſciam prolixius deſcribit *Scultetus armament. chirurg.* Tab. XXXVIII. fig. VIII. ſed minori apparatu parari poteſt.

2) Uſu venit in hernia umbilicali. Hæc enim ſi recens adhuc fuerit, hac faſciatione ſola reſtaurari poteſt.

32. *Suſpenſorium penis.*

1) Eſt faſcia compoſita, quinque conſtans capitibus.

2) Paratur baſis quaſi e linteo duarum palmarum longitudinis & unius palmæ latitudinis.

3) *Cingulum*, quod abdomini applicatur, longitudine eſt fere duarum ulnarum, latitudine trium aut quatuor pollicum.

4) In medio cinguli appenditur faſcia longa, quæ *ſcapularis* officium ſubit, humero imponitur, & in dorſo cum cingulo iterum firmatur.

5) Linteo oblongo quadrangulari, quod e baſi procedit, appenduntur duæ faſciæ, quæ longitudine ulnam, latitudine duos digitos habent, per femoris flexuram ducuntur & cingulo alligantur.

6) Remedia admota firmiter tenet, & penem inflammatum abdomini adducit, ut adfluxus humorum imminuatur.

33. *Suſpenſorium ſcroti ſacciforme*, gall. *la poche.*

1) Hæc faſcia, Chirurgis notiſſima, quatuor conſtat capitibus.

2) Longitudo duorum capitum ſuperiorum, quæ per oſſa coxendicum circulariter ducuntur, proportionem habere debet cum corpore, ſive exili, ſive craſſo.

3) Inferiora duo capita per femora prope perinæum ducuntur & cingulo nectuntur.

4) Sacculus, qui medium locum occupat, prope cingulum amplus, inferius autem ſucceſſive mucronatus eſt. Longitudo octo vel decem pollices refert.

5) Paratur hic ſacculus e linteo, inferius ad ſemilunarem figuram diſciſſo, & deinde iterum conſuto. Inſuper foramine, pro penis tranſitu, ſuperius præditus eſt.

6) Uſus eſt ſcrotum tegere, deligare, elevare, quod vel ipſius nomen innuit. Unde in ſcroti tumoribus & aliis ipſius læſionibus, facta perforatione cum acu *paracentica*, remedia applicata firmiter tenet.

34. *Suſpenſorium ſcroti inciſum*, gall. *ſuſpenſoir de la bourſe.*

1) Conſtat itidem e quatuor capitibus, quorum duo ſuperiora cingulum formant, inferiora autem duo juxta perinæum per femora ducuntur, & cum poſtica parte in cingulo firmantur.

2) Ea tamen inter hanc & priorem faſciam intercedit differentia, quod hæc ſacculi formam non referat, & duo illa capita, quæ linteo triangulari inferius appenſa ſunt, diſtinctim cingulo annectantur. Bina hæc capita longitudinem habent ſesqui ulnæ, latitudinem autem duorum digitorum.

3) Portio triangularis ſuperior foramine, pro penis tranſitu, prædita eſt, & tam ſuperius, quam lateraliter ſpithamæ longitudinem & latitudinem refert.

4) Faſciam priorem commoditate ſuperat, & magis ſuſtentat. Æqualiter enim ac firmiter adduci poteſt.

35. *Subligaculum uteri.*

1) Conſtat quatuor capitibus, quorum duo abdomini, inſtar cinguli, applicantur, reliqua duo poſticæ parti in cingulo nectuntur,

tur, & per perinæum ad pudenda ducuntur, manente ano nudo.

2) Deligationis apparatum in pudendi læsionibus firmiter tenet.

36. *Funda ad lithotomiam*, gall. *la fonde pour la taille.*

1) Paratur e linteo quatuor capitum, formam duplicis *Tau* referente.

2) Capita duo superiora, abdomini applicata, cingulum constituunt.

3) Inferiora capita per perinæum (anum prætermittendo) in forma K versus scrotum ducuntur, & cingulo anterius nectuntur.

4) Postremum totus deligationis apparatus firmatur sive fascia scapulari, sive fascia, quæ *collare miseriæ*, gall. *le collier de misere* appellatur, a scapulari autem multum non differt.

37. *Fascia ad fistulam ani.*

1) Est fascia quatuor capitibus prædita, quorum singula longitudine & latitudine ventris capacitati respondere debent.

2) Duo superiora applicata cingulum constituunt, posteriora duo, quæ ad fasciæ hujus mediam partem currunt, posteriori ventris regioni admoventur, per perinæum & inguina trajiciuntur, atque cingulo anterius nectuntur.

3) Pars media, quæ posteriori ventris parti apponitur, est latitudinis trium digitorum

38 *Inguinalis simplex & composita.*

1) Cum fascia *spica*, de qua mox dicemus, prorsus conveniunt, excepta longitudine, qua hanc superant.

2) Simplex, unam tantum inguinis regionem, composita autem, quæ simplice duplo longior est, utramque tegit.

3) Adhiberi solet facta operatione *herniæ inguinalis* & *bubonoceles*, item post reductionem luxati ossis femoris, ad applicata firmiter tenenda & partes in debito situ servandas.

39. *Spica simplex.*

1) Nomen inde sortitur, quod circumductiones fasciæ hujus spicam fecalinam referant. Dicitur etiam *geranium* ob figuram, quam prope collum format triangularem seu deltoidem.

2) Paratur e linteo in unum caput voluto, sex ulnarum longitudinis & trium digitorum latitudinis.

3) Ad-

3) Adhibetur, quando unicum tantum os humeri luxatum vel fractum eſt, item in luxatione oſſis femoris coxendici imponitur.

40. *Spica duplex.*

1) Paratur e linteo in duo capita voluto, longitudinis decem ulnarum, vel, ubi capitulum humeri ob affluxum humorum in ſitu ſuo detineri non poteſt, ad brachium totum firmandum quindecim ulnæ requiruntur.

2) Adhibetur, quando utraque oſſa humeri luxata vel fracta ſunt, uſu etiam venire poteſt in quibusdam aliis deligationibus.

3) Ipſa applicatio difficilis quidem eſt, eximium tamen dextre peracta præſtat uſum. Brachium enim totum undique luxatum in ſitu ſuo firmiter tenet.

41. *Faſcia pro aneuryſmate.*

1) Ad *aneuryſmatis* deligationem non minimus apparatus requiritur; id quod ſuo loco demonſtrabimus.

2) Hic autem mentionem facimus machinæ, quam *Monſ. Bourdelot*, qui auctor eſt, *ponton* appellat.

3) Eſt nimirum lamina rotunda, ferrea, corio obducta, quæ ſtuppa interpoſita diſtinguitur, eundem in modum, uti *pilæ* in *bracheriis* parantur.

4) Filamenta ſupra & infra cubitum feruntur, & in parte brachii interna firmiter contrahuntur, ſupra medium laminæ foraminulis pertunduntur, ut lamina pro rei conditione ſtringi vel relaxari poſſit. Conferatur *Verduckius* de *aneurysmatis* operatione.

5) De machina illa, quæ *tournequet* vocatur, diximus jam Tabula præcedente.

42. *Faſcia poſt venæ ſectionem in brachio.*

Hæc non indiget prolixa deſcriptione. Ubique enim ſatis nota eſt, faſcia ſcilicet in unum caput voluta, duarum circiter ulnarum longitudine, & duorum per transverſum digitorum latitudine.

43. *Faſcia pro fonticulo in brachio.*

1) Veteres ſimplice tantum faſcia, e linteo parata, fonticulum deligabant, id quod & *Gallis* in hunc usque diem eſt familiare.

2) Re-

2) Recentiores autem excogitarunt laminam rotundam, ſive argenteam, ſive orichalceam, aliquo modo curvatam & interius obductam, frequentiſſimi hodie uſus.

3) Huic laminæ affigitur vinculum e corio cum foraminulis hodie pertuſis, quæ parvum uncum, vinculo appenſum, recipiunt, ut firmiter ſtringi vel laxari poſſit.

44. *Faſcia in luxatione ulnæ.*

Simpliciter hæc paratur e linteo, ſex ulnarum longitudine, & duorum digitorum latitudine.

45. *Mitella*, gall. *une echarpe.*

1) Paratur e linteo in triangulum complicato.

2) Subſternitur brachio ſtricte dicto, in luxatione vel fractura, ita ut incurvatum brachium corpori admoveatur & ſuſpendatur.

46. *Faſcia in luxatione carpi.*

1) Paratur e linteo in unum caput voluto, ſeptem ulnarum longitudinis, & duorum pollicum latitudinis.

2) Nonnulli tres ad hanc luxationem deligandam adhibent faſcias, ſed non opus eſt tali apparatu, uti bene monuit *Verduckius.*

47. *Faſcia in luxatione pollicis.*

Ad pollicis faſciationem *ſpica* ſesqui ulnæ longitudinis, & pollicis unius latitudinis adhibetur.

48. *Faſcia in fractura metacarpi.*

Ad hanc deligationem adhibetur faſcia in unum caput glomerata, quæ longitudine ſex ulnas, latitudine autem duos digitos habet transverſos.

49. *Chirotheca completa*, gall. *gantelet.*

1) Hoc nomine venit faſciatio, quæ inſtar chirothecæ integram manum tegit.

2) Peragitur linteo octo ulnarum longitudinis, & unius pollicis latitudinis.

3) Vſu venit in luxatione digitorum & ambuſtione illorum omnium.

50. *Chirotheca incompleta*, *le demi gantelet.*

1) Hæc faſcia applicatur, quando unus vel alter tantum digitus læſus eſt. Incompleta vocatur, quod primam vel etiam ſimul ſecundam phalangem non tegat.

2) Hinc longitudo ejus variat, modo enim unus tantum, modo plures digiti deligandi ſunt, latitudo cum priore eſt eadem.

51. *Faſcia poſt ſectionem venæ, ſalvatella dictæ.*

1) Hæc quodam modo convenit cum faſcia, quæ *l'etrier* dicitur, & in venæ ſectione pedis applicatur.

2) Conſtat linteo duarum & ſemis ulnarum longitudine, atque pollicis unius latitudine.

52. *Genuale*, gall. *Jarretiere.*

1) Sunt duæ faſciæ e linteo duplicato paratæ, quæ longitudine aliquot ulnas, latitudine autem tres pollices habent.

2) Vſu venit in *tithotomia*, ubi genubus applicatur, ad femora firmanda, ne ægrotans eorum motione operationem impediat.

53. *Teſtudo*, gall. *tortüe.*

1) Nomen habet a circumductionibus, quæ figuram teſtudinis exhibent.

2) Paratur e linteo in unum caput voluto quatuor ulnarum longitudine, ac duorum digitorum latitudine.

3) Adhibetur in luxatione *rotulæ ad latera.*

54. *Faſcia ad fracturam rotulæ in transverſum & luxatione ejus ſuperiore.*

1) *Cruciata*, gallice *chiaſtre* dicitur, quia litteram X hæc faſciatio refert.

2) Conſiſtit

a) ex linteo in utraque extremitate fiſſo, & in media parte pro magnitudine rotulæ exciſo.

b) Ex machina illa, Gallis *faux fanons*, Germanis eine Stroh-Lade, dicta, quæ ad latera rotulæ applicatur, ne conſtrictiones in hac operatione neceſſariæ, tendines & vaſa nimis comprimant.

c) Ex duobus ſpleniis, quorum alterum in parte ſuperiore, alterum in parte inferiore rotulæ circa linteum a) circulum agit.

d) Ex faſcia longitudine decem ulnarum & pollicis unius latitudine in duo capita glomerata.

3) Hæc faſcia circulum agit circa ſplenium ſuperius, eoque facto ſupra illud figuram litteræ X efformat, & quidem, quantum fieri poteſt, conſtringendo. Idem fit ſupra ſplenium inferius ſemper for-

fortiter conſtringendo, & hæc operatio repetitur tam circa ſuperius, quam inferius ſplenium.

4) His peractis ſupra rotulam ſplenium, magnitudini ejus æquale, applicatur, & extremitates prioris lintei a) fortiter verſus rotulam trahuntur, & ſuper eam cruciatim inſtar X diſpoſitæ circularibus dolabris firmantur.

5) Media pars, quæ exciſione in ſemicirculum reducta eſt, rotulæ, cui reſpondet, applicatur. Latior extremitas, quæ indiviſa manet ſuperius, ſuper os femoris ponitur. Duo autem capita lateribus oſſis tibiæ & fibulæ imponuntur.

6) Poſtea ſuperior & lata pars faſcia *circulari* firmiter ligatur capitibus duobus, quæ deorſum pendent, rotula tam diu attrahitur, donec debitum ſitum occupaverit, quæ deinde capita faſcia circulari itidem firmantur.

7) Aliæ adhuc faſciæ ad luxationem & fracturam rotulæ excogitatæ ſunt, inter quas eſt *funda Monſ. Petit*; ſed hæc, quam modo deſcripſimus, inſtar omnium eſſe poteſt.

55. *Faſcia aſcialis*, gall. *le bandage à dix huit chefs*.

1) Nomen habet a ſimilitudine, qua aſſeres refert. Germ. dicitur ein Buchband, quia capita ſibi ſunt impoſita, uti in libro folia.

2) Veteribus jam cognita fuit hæc faſcia, quam tamen diverſo modo parabant. Alii enim plura, alii pauciora capita efficiebant.

3) Recentiores parant illam e tribus linteis, quæ æqualiter ſibi imponuntur, laxe conſuuntur, & in quavis extremitate ter diffinduntur, ita tamen, ut capita, ubi disciſſa ſunt, exacte ſibi non incumbant, ſed quodvis caput digiti latitudinem præ altero porrigat, inſtar ſcalæ, ne preſſione unius vel alterius exſtantiæ dolor ægrotanti procreetur. Duo de viginti capita proveniunt, quorum ſingula ſpithamæ longitudinem referunt, media autem contigua pars palmæ latitudinem exhibet.

4) Latitudo autem generatim accurate non poteſt determinari, unum enim caput, uti modo dictum eſt, præ altero latius vel anguſtius eſt.

5) Uſu venit in fractura oſſis femoris, & præcipue etiam in fractura tibiæ, cum vulnere conjuncta; ubi vulnus quotidie debet deligari. Hæc enim faſcia ita poteſt ſolvi, ut membrum fractum intactum & in ſitu ſuo quietum relinquatur.

6) Hæc faſcia compoſita, dextre applicata, eſt uſus machinæ illius, quæ Gallis *faux fanons* dicitur, & quæ ad illam pertinent ſplenia, &, ſi fractura in tibia aut fibula, aut utraque eſt, ſolea. Sine his enim partium ſitus quam facillime poteſt mutari.

56. *Stapes*, gallice *l'etrier*.

1) Nomen obtinet a figura, quam applicata hæc faſcia refert.

2) Paratnr e linteo in unum caput voluto, trium ulnarum longitudinis & duorum digitorum latitudinis.

3) Uſu venit in venæ ſectione pedis.

57. *Sandalium*.

1) Ita vocatur, quia totum pedem involvit.

2) Paratur e linteo quinque circiter ulnarum longitudinis & duorum digitorum latitudinis.

3) Uſu venit in fracturis & luxationibus oſſium *tarſi*, *metatarſi* & *digitorum pedis*, item in ſeceſſione oſſis *fibulæ* a tibia.

58. De reliquo ad faſciationem apparatu tabula ſequente agemus, uti & præcedente nonnulla ad inſtrumenta retulimus, quæ a quibusdam ad faſcias referuntur, e. g. *bracheria*, Stroh-Lade, *crinale* inſtrumentum.

IV. *METHODUS APPLICANDI.*

1. Applicatur faſcia

a) vel parti *læſæ*, e. g. *incarnans* ad vulnera unienda.

b) vel *vicinæ*, e. g. *repens* in fracturis oſſium.

c) vel e diametro *oppoſitæ*, e. g. *ſpica* ſimplex vel duplex in fracturis vel luxationibus.

2. *Initium applicationis*.

1) Modo fit *capite*, quod cum faſciis ſimplicibus in unum caput volutis plerumque fieri ſolet.

2) Modo fit *proximo ab extremitatibus loco*, quod etiam in faſciis ſimplicibus evenit.

3) Modo fit parte media, quando ſcilicet faſciæ in duo capita volutæ, vel pluribus capitibus præditæ ſunt.

3. *Modus deligandi*.

1) Eſt vel *ſimplex*, qui uno ſemper tractu abſolvitur.

2) Vel

2) Vel *compoſitus*, qui diverſos habet tractus, & hi pro partis affectæ conditione mirum in modum variant.

4. *Simplex* eſt

1) Vel *æqualis*, ubi circumductiones æqualiter ſibi invicem incumbunt.

2) vel *inæqualis*, ubi circumductiones ſibi non reſpondent; de qua re diverſæ ſpecies ab auctoribus recenſentur.

a) *Aſcialis* circumductio dicitur, quando dolabræ ferratim ſe excipiunt, e. g. quando unum caput ab altero tegitur, & paululum tantum declinant.

b) *Sima* ſeu *obtuſa* vocatur, quando dolabræ paululum magis obliquæ fiunt, & hinc longius, quam *aſciales*, a ſe invicem diſtant, ubique tamen in declinando ſe ſe excipiunt.

c) *Repens* appellatur illa, quæ circumductiones format ſpirales, ſeu ſerpentis inſtar excurrentes, per aliquod intervallum a ſe invicem diſtantes.

d) *Inverſa* vocatur, quando ductus ejusdem faſciæ *repentis* ob partium inæqualitatem vertuntur, & duplicantur; id quod membro æqualiter ſuſtinendo præcipue inſervit.

5. Hæc de applicandi methodo generali ſufficiant. Specialem modum, quomodo ſcilicet quævis faſcia applicanda & quibus circumductionibus adornanda ſit, prolixius deſcribere, inutile cenſemus. Eſt enim res, quæ avtopſia ediſci debet, & hæc magis erit, quam diffuſiſſima deſcriptio. Tacemus quod cujusvis artificis ingenii & judicii acumen in hac re non ferat luſum puerilem. Sub obſervationibus tamen nonnulla adjiciemus, quæ tyronibus non poſſunt eſſe ſupervacua.

V. *OBSERVATIONES ET CAUTELÆ.*

1) Faſciæ parari debent e linteis, aliquo uſu jam attritis, ut eo molliores ſint & magis tractabiles; cavendo tamen, ne nimis fragilia lintea adhibeantur, alias ſub operationibus dilacerari poſſent.

2) Quo magis futuræ & nodi caveri poſſunt, eo magis æqualiter & ſine dolore conſtringunt, minoremque moleſtiam parti affectæ pariunt.

3) Sic etiam res ſe habet, quando lintea ſecundum ductum filorum ſeu rectitudinem ſtaminum ſecantur. Hac enim ratione firmius ligantur. Quæ vero per transverſum ſecta ſunt lintea, extenſione ſua facile remittunt, unde deligationis apparatus minus firmiter tenetur.

4) Chirurgus faſciarum puritatem ſibi habeat commendatam. Quando enim, quæ ulceribus admotæ fuerunt faſciæ, ſine prævia elutriatione de novo applicantur, id quod in noſocomiis ſæpiſſime contingit, ulcera redduntur deteriora, ſordida, putrida, vel excreſcentiæ fungoſæ producuntur.

5) Circumductiones quidem generatim modeſta manu peragendæ ſunt, cavenda tamen nimia laxitas, quæ partes & deligationis reliquum apparatum non firmiter tenet.

6) Poſt ſecundam vel tertiam circumductionem caput faſciæ probe firmetur, ut reliqua pars æqualiter poſſit alligari.

7) Neque etiam nimis ſtrictæ ſint circumductiones, ne ſtagnatio ſanguinis, tumor inflammatorius, gangræna & ſphacelus inducantur. Præcipue faſciæ in pectore & collo minus firmiter ſtringendæ ſunt.

8) Signum diagnoſticum debitæ applicationis hoc eſt, quando peripheria læſæ partis tumore ubique levi & molli conſpicienda venit, cum dolore tantum leviſſimo. Quando autem notabilem exhibet dolorem, conſtrictionis juſto majoris eſt indicium. Ubi plane nullus incommodus ſenſus obſervatur, ibi nimis laxe faſcia eſt applicata.

9) Faſciæ, quando ulceribus, apoſtematibus & fiſtulis applicantur, circumductiones, verſus orificium appropinquantes, paululum ſint laxiores, verſus fundum autem quodam modo ſtrictiores, ut materia e cavitate ſua expellatur.

10) In ariduris partium vulgo commendant ligaturam, in ſuperna parte laxam & ſub ipſa parte affecta paululum ſtrictam, ut major ſanguinis quantitas adduci, & pars nutriri poſſit. Sed hæ ſpeculationes plus damni quam ſolaminis parti adferunt, nempe tumorem, ſtaſin inflammatoriam, gangrænam, ſphacelum.

11) In quibusdam deligationibus circumductiones determinatæ ſunt obſervandæ, in pluribus vero illæ ſunt indeterminatæ & liberæ.

ræ. Exemplum determinatarum circumductionum in *ſpica* applicanda habemus, ubi brachium ab omni parte firmiter debet teneri.

12) Faſcia ad finem perducta caput ejus non in loco affecto, ſed remoto, acu vel conſutione firmatur.

13) Faſciæ neque nimis diu applicatæ ſerventur, neque nimis cito ſolvantur. Variat autem tempus pro conditione læſionis & ſenſibilitatis ſubjecti, e. g. in luxationibus & fracturis ante quartum diem, niſi gravia ſymptomata accedant, faſcia non ſolvitur; in vulneribus autem & ulceribus ſingulis diebus ad minimum ſemel removetur. In viris, præcipue robuſtis, diutius ſervantur, in fœminis, præſertim ſenſibilibus, citius ſolvuntur.

14) Faſcia quando ſolvitur, absque notabili læſæ partis commotione id fiat, e. g. in fracturis oſſium, ne pars e ſede ſua removeatur.

15) Quando faſcia ob materiam quandam, illi impactam, loco affecto firmiter adhæret, forti niſu non removeatur, conveniente calido humore prius humectetur.

16) Uti ubique juſtus ægroti & etiam partium ſitus ante faſciationem requiritur, ita cum primis artus, antequam ligentur, debitum ſuum ſitum habeant, e. g. pes extendendus, & brachium incurvandum eſt.

17) Chirurgus faſcias aliquas ubique ſecum portet. Vocatus enim ad vulnera gravia & ingentes hæmorrhagias, faſciis præparandis vel apportandis non conceditur tempus.

TAB.

TABVLA IV.
DE
RELIQUO APPARATU DELIGATIONIS
NEMPE
SPLENIIS, EMPLASTRIS, PLUMACEOLIS ET TURUNDIS.

I. SPLENIA.

1. *Splenia* dicuntur lintea illa ter, quater, sexies &c. duplicata, ita ut ad *splenis*, unde nomen habent, crassitiem accedant. Dicuntur etiam *plagulæ*, german. Bäuschlein, Compressen, comprimunt enim paululum partem, cui imponuntur.
2. Differunt ratione *figuræ*: alia enim sunt oblonga, alia quadrata, alia triangularia &c.
3. Ab his diversis figuris, & diverso applicandi modo varia accipiunt *nomina*, e. g. *splenium trapeziale*, *perforatum*, *longitudinale*, *circulare*, *pilare* seu *rotundum* &c. Quædam enim secundum longitudinem recte, quædam oblique, quædam transverse imponuntur.
4. *Magnitudo spleniorum* variat quidem pro partis affectæ conditione, & ob alias circumstantias; ubique tamen *emplastra*, quibus imponuntur, pollicis ad minimum latitudine debent superare.
5. Lintea, e quibus *splenia* parantur, uti munda & usu quodam modo contrita esse debent, ita a futuris, nodis, fimbriis, rugis, & aliis inæqualitatibus libera sint, ne dolorem inducant.
6. Quædam in una; quædam in utraque extremitate semel vel sæpius finduntur.
7. Interdum *sicca*; interdum *humida*, e. g. *analepticis, resolventibus, adstringentibus* imbuta imponuntur.
8. *Usus spleniorum* est

1) Ex-

1) Explere cavitates, ut deligatio æqualis & firma evadat.
2) Partem affectam a frigoris injuriis defendere, & placido calore fovere.
3) Remedia applicata firmiter tenere, & dolorifica incommoda, quæ *fasciæ* inferre possent, cavere.
4) Expulsionem materiæ heterogeneæ, in fistulis, ulceribus contentæ, promovere.
5) Consolidationem partium promovere.

II. *EMPLASTRA.*

1. Hæc licet per vulgus ita sint nota, ut dicere de illis supervacuum censeri posset; placet tamen ob ordinis rationem (ad apparatum enim deligationis pertinent) non prorsus illa prætermittere.
2. Extenduntur *emplastra* communissime super *linteum*, interdum etiam super *corium* vel *gossypium*; nonnunquam super *sericum*, præcipue, quando teneris partibus imponenda veniunt.
3. Variant *magnitudine:* alia enim sunt magna, alia media, alia minora, prout rei necessitas id requirit.
4. Variant etiam *figura:* alia enim rotundam, alia quadratam, alia ovalem, triangularem, semilunarem, scutiformem, trapezialem habent figuram. Alia crucem; alia litteram T vel Y referunt. Alia in medio sunt perforata; alia in una, alia in utraque extremitate sunt discissa; quæ omnia commodiorem utplurimum respiciunt applicationem.
5. *Consistentiæ* ratione emplastra debent habere *mollitiem durabilem*, ut commode possint tractari, neque supra partes ficcescant, vel duritie sua, præcipue quando removentur, multum incommodi adferant.
6. Hanc durabilem mollitiem accipiunt ab *oleosis*, quæ pro fundamento habent: Sive sit oleum *olivarum*, sive *terebinthinæ*; sive sint *pinguedines* animalium fluidiores; sive sit *acetum*, quod pro dissolutione *gummatum* adhiberi solet, &, præcipue si fortius est, promptam emplastrorum resiccationem impedit.
7. Si sub finem coctionis momentum pulveris *absorbentis* adjiciatur, consistentia subdeliquescens tanto magis inde enascitur.
8. *Camphora* etiam juvat emplastorum tractabilitatem. Quando enim *myrrhæ* optimæ vel aliis *gummi-resinis* pulverisatis miscetur, massam

inſtar ceræ reddit tractabilem. Prius autem camphora non debet miſceri, quam maſſa ab igne fuerit remota.

9. Conſiſtentia hæc mollis cum *lenta* & *viſcida tenacitate* ſeu *glutinoſitate* debet eſſe conjuncta, ut parti affectæ agglutinetur. Nanciſcuntur autem emplaſtra talem tenacitatem & glutinoſitatem a *gummi-reſinis*, e. g. *ammoniaco*, *galbano*, *bdellio*, *ſagapeno*.

10. Emplaſtra *nimium viſcoſa*, qualia ſolent eſſe *terebinthinata*, corriguntur additione *ceræ*, unde *cerata* appellantur, e. g. *ceratum* de *galbano*, de *ammoniaco Foreſti*, *ſantalinum*.

11. Addi ſolent emplaſtris *pulveres ſubtiles* efficaces, partim *ſiccantes* & *ſubadſtringentes*, e. g. radicum penetrantiorum, item pulveres metallici & minerales, e. g. colcothar vitrioli, crocus martis & veneris, minium, ceruſſa, lithargyrium, lapis calaminaris, tutia, pompholyx, imo ipſum ſulphur citrinum.

12. *Oleum olivarum* cum *lithargyrio*, præcipue vero cum *minio* coctum, omnes emplaſtri qualitates inducit, nempe juſtam conſiſtentiam, lentorem & viſcoſam tenacitatem.

13. Partibus *piloſis* quando emplaſtra imponenda ſunt, *pili* prius removeantur neceſſe eſt.

14. *Vſus* emplaſtrorum uti vulgo ultra metam extenditur, ita generatim notandum eſt, quod præcipue valeant emplaſtra ad remedia, parti affectæ applicata, firmiter tenenda; qualia ſunt pulveres, unguenta, turundæ &c. Specialis cujusvis emplaſtri uſus, e. g. glutinans, conſolidans, reſolvens, maturans, roborans, anodynus &c. ſuo loco indicabitur.

15. Ceterum tot emplaſtrorum in pharmacopœis proſtant compoſitiones, ut Medicus iisdem ſcopum ſuum ſufficientiſſime aſſequi poſſit, neque opus habeat extemporanea nova præſcriptione.

16. *Emplaſtorum* coctionem ſui juris faciunt Chirurgi, & vulgo ſcopum ſuum ponunt in tali conſiſtentia, quæ ſupra *alutam* extendi commode poteſt. De reliquo plurimi plane rudes ſunt, non conſiderando, quod indoles ſpecierum ad gradum coctionis valde diverſe ſe habeat. Neque ad animum revocant, an crama tale ſub coctione vires conſervet ad illum effectum, cui deſtinatur. Quare teneriores ac penetrantiores gummi-reſinoſarum portiones in auras plerumque diſſipant, daß es die Nachbaren riechen, wenn der Chirurgus Pflaſter kochet, oder cataplaſmata ſiedet. Tacemus ſolertes Practicos

ticos inconcinnas formulas diverſorum emplaſtrorum jam diu accuſaſſe. Emplaſtrum *diachylon ſimplex* & de *ranis Vigonis* cum *mercurio* ſpeciminis loco eſſe poſſunt.

17. *Diachylon ſimplex* ſuam exhibet efficaciam per mucilaginem tenacem, quæ poros quaſi glutinat, tranſpirationem impedit, & ita emollitionem ſubtus promovet. Quando autem majore quantitate coquitur, & deinde in repoſitoriis aſſervatur, brevi tempore ita ſicceſcit, ut tractabile eſſe recuſet, & fruſtra ſperatus effectus exſpectetur.

18. De *ranis Vigonis* cum *mercurio* magna fiducia inter Chirurgos celebre eſt, licet non ſolum ratione denominationis a paucioribus illis ranis abſonum, ſed tota reliqua compoſitione inane. *Zwelferus* non immerito deridet antiquam crudam deſcriptionem, nempe abſurdam illam exſtinctionem mercurii per *ſalivam jejuni* hominis. Sed & ipſa *Zwelferi* animadverſio & inſtructio ad ſuppoſitam efficaciam inutilis eſt. Licet enim ſolutio mercurii in *aqua forti* aut *ſpiritu nitri* contingat, effectus tamen mercurialis nucem caſſam valere non poteſt. Hinc coctiones tales meliore jure a Pharmacopœis exercitatis exſpectandæ eſſent; æſtimatio autem efficaciæ omni jure a Medico.

III. *PLUMACEOLI.*

1. Hi nomen retinuerunt a *plumis*, quas linteo inſutas antiqui adhibebant. German. Feder=Meiſſel. Adhibere etiam ſolebant lanam, goſſypium, fungos. Hodie autem e linteo carpto parantur, & germanice dicuntur Carpey=Bäuſchlein.

2. Pro vulneris diverſitate diverſam habet magnitudinem & figuram. Sunt autem in genere duplices: Alii enim latam, rotundam vel ovalem habent figuram, quibus vulnera teguntur, & hi ſpeciatim vocantur *plumaceoli*, gallice *plumaceaux*, Carpey=Bäuſchlein. Alii ſunt teretes, gallice *bourdonets*, german. Carpey=Welgern, quibus vulnerum cavitates, *turundarum* uſum reſpuentes, explentur.

3. Linteum, e quo *plumaceoli* parantur, debet eſſe purum, uſu quodam modo contritum, non adeo craſſum, ne vulneri incommodum ſit; neque nimis ſubtile, vel uſu nimium contritum, alias acceſſione cujuscunque materiæ facile coagulantur. Quapropter linteum *raſum*, geſchabte Leinrand, utpote nimis tenerum, adhiberi non debet, niſi in vulneribus exſiccandis & conſolidandis.

4. *Usus plumaceolorum* varius est
   1) Hæmorrhagiis sedandis inserviunt. Quam ob caussam prima deligatione vel sicci applicantur, quando scilicet tolerabilis est hæmorrhagia; vel in enormibus hæmorrhagiis pulveribus aut balsamis *stipticis* implentur.
   2) Vulnera & ulcera servant aperta, ne ante plenariam sui detersionem (ehe die Wunde einen frischen Grund bekommen hat) superficialiter coalescant.
   3) Legitimam consolidationem promovent, partim admovendo remedia digestiva, vulneraria balsamica sarcotica, partim exsiccando & imbibendo acrem humiditatem.
   4) Frigoris injurias a parte affecta arcent.
5. Non raro contingit, ut in profundis læsionibus plures applicandi sint plumaceoli, quo casu ille, qui primum immittitur, filo spithamæ circiter longitudinis præditus est, quo eductio illorum proxima deligatione eo commodius obtinetur.
6. *Petrus Dionis in operat. suis chirurg.* mentionem facit plumaceolorum *causticorum*, carnem luxuriantem absumentium. Parantur illi e linteis, fumo *sulphuris*, vel *nitri* prius impletis & deinde carptis.

IV. *TURUNDÆ.*

1. Hæ potissimum e linteo concerpto parantur. Germ. vocantur Wiecken, Meissel, gall. *tentes.*
2. Nonnullæ etiam e linteo non carpto, item e spongia præparata, radice gentianæ, argento vel plumbo parantur.
3. Cunei vel clavi figuram referunt. Magnitudo respicit læsionis conditionem.
4. Quæ profundis læsionibus pectoris vel abdominis applicantur, præ aliis capite rotundo magno, & insuper filo capaci præditæ esse debent, ne in cavitatem plane decidant.
5. Usum habent in vulneribus & ulceribus profundis.
   1) Per illas enim congrua remedia fundo læsionis possunt applicari & retineri.
   2) Imbibunt etiam & educunt materiam in læsione contentam, ne corruptionem æque prompte majorem contrahere & læsionem augere possit.

3) Plu-

3) Plumaceolorum inſtar vulnera & ulcera aperta ſervant, ne ſuperficialiter, ante plenariam ſui abſterſionem, coaleſcant.

6. *Cannulæ argenteæ* vel *plumbeæ* loco *turundarum* adhibentur, quando materia copioſa e cavitatibus educenda eſt. Hæ in vulnere retinentur, quam diu rei neceſſitas id efflagitat; interea exitus illarum *turundula* clauditur.

7. *Spongiæ* per coctionem præparatæ, deinde filo ſubtiliſſimo in formam clavi redactæ, ad vulnera amplianda conducunt. Imbibendo enim materiam ita intumeſcunt, ut vix educi queant. Unde Quell-Meiſſel vocantur. Caute adhibendæ ſunt, facile enim intumeſcentia ſua moleſtiam creant & irritationem.

8. Idem ſentiendum eſt, de illis, quæ e radice gentianæ vel aliis durioribus rebus parantur.

9. Hoc irritationis incommodum haud dubie anſam dedit, ut auctores quidam, inter quos præcipuus eſt *Belloſte*, omnem *turundarum* uſum rejecerint, dicentes: illas dolorem, humorum congeſtionem & inflammationem efficere, materiæ effluxum impedire, & vulnera in ulcera diducere.

10. Igitur ad evitandam utrimque offenſionem eo reſpiciendum eſt, ut *turundæ* ita molles & læſioni proportionatæ parentur, ne incommoda jam dicta exſpectanda inde veniant. Opus etiam eſt, ut juſtum tempus, quo plane auferendæ ſunt, obſervetur. Quam primum enim vulnus vel ulcus ſatis deterſum & depuratum eſt, ſenſim minuendæ & tandem plane removendæ ſunt *turundæ*, e. g. in vulneribus *ſclopetariis* poſt tertium diem *turundæ* magis nocent quam proſunt. Impediunt enim exitum puris & aliarum rerum heterogenearum. In vulneribus *faciei* plane rejiciendæ ſunt, nam deformes adferunt cicatrices.

TABULA V.

DE

TUMORIBUS INFLAMMATORIIS.

I. DEFINITIO.

Inflammatio est motus humorum in aliqua corporis parte ultra gradum naturalem auctus, quo principium vitale sanguinem, in veram stasin ibi deductum, resolvere & discutere intendit; vel, sin hoc obtinere nequeat, *sulphureas*, fermentativas, summe agiles particulas, in hac stasi contentas, subtrahere, & reliquam, minus noxiam, portionem in laudabile *pus* convertere conatur: ut hac ratione corruptio putredinosa, a stasi tali exspectanda, præoccupetur, & præceps fermentativa diffusio præscindatur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Tractavimus quidem negotium inflammationis in *tabulis medicis*, quoniam autem hæc materia in foro chirurgico non minimum sibi vendicat locum, & multi vulgo errores, imo gravissima damna, a perversa inflammationum tractatione originem sumunt, non superfluum erit, plura de hac re adjicere, & ea, quæ jam dicta sunt, ulterioribus notis illustrare.

2. *Tres* inflammationis *species*, nempe *erysipelaceam*, *phlegmonodeam* & *apostematosam* tabula *medica* explicavimus. His adjicimus specialiores differentias.

   1) *Erysipelas* differt a *phlegmone*, quod in *latum* tantum sit diffusum, & cutis *tantum* inflammationem exhibeat. Quando autem tam in *latum*, quam in *profundum* tendit, *phlegmone* appellatur.

   2) In *erysipelate* color magis ad flavedinem, in *phlegmone* autem ad ruborem excedit.

   3) *Erysipelas* mutat subinde sedem suam, & ex uno in alium locum cedit, augmenta etiam celeriter sumit; *phlegmone* autem in uno loco subsistit, & tardius augetur.

   4) *Erysipelas* majorem quidem fervorem inducere observatur, *phlegmone* autem, uti plerumque a *metastasi febrili* exoritur, ita ordinarie

rie motus febriles habet conjunctos. Nam motus inflammatorius *partialis* quando in *vniverſam* humorum maſſam diffunditur, *febris inflammatoria* appellatur.

5) *Eryſipelas*, quando premitur, color diſparet, & mox redit; phlegmone autem propter duritiem ſuam hanc coloris mutationem non ſubit.

6) Hoc interea habent commune, ut ad *ſuppurationem* non inclinent. Quando autem incongrua arte ſuppuratio reſpicitur, corruptio *ſeroſo-ſalſa*, loco laudabilis ſuppurationis, facile emergit.

3. De *phlegmone* notare convenit, quod ab auctoribus non æque exacte deſcribatur. Plerumque enim *generico* ſenſu ab illis ſumitur. Eſt autem *ſpecies* inflammationis, quæ ſtaſin ſanguinis intra poros & tenuiſſima vaſcula in *latum* & *profundum* involvit.

III. *SIGNA.*

1. *Eryſipelatis.*

1) Præcedit *rigor* quidam in parte illa cutanea.

2) Hunc excipit *dolor* congeſtorius in eadem affecta parte.

3) Succedit *tumor æqualis*, qui intra exiguum tempus tale ſumit augmentum, ut *cuticula* niteſcat.

4) Nonnunquam *mador* quidam, veſiculas quaſi formans, in hoc tumore obſervatur.

5) Continuat hic tumor per *dies* circiter *quatuor*, quo tempore ſenſim iterum decreſcit.

6) *Colorem* exhibet non tam inſigniter rubicundum, quam flaveſcentem. Quando autem magis pallidus eſt tumor, quod rarius obſervatur, a *Germanis* appellatur: die weiſſe Roſe.

7) Aliquando de loco in locum migrat, imo per univerſam corporis peripheriam ſe diffundit.

2. *Phlegmones.*

1) *Tumor* adeſt non ſolum in *latum*, verum etiam in *profundum* diffuſus, durus, rubicundus, præter naturam calidus, in *altitudinem* non adeo elevatus.

2) In *peripheria* accedunt *dolores* ſpaſtici, lancinantes.

3) *Duratione* hæc ſpecies inflammationis longe ſuperat *eryſipelaceam*.

4) Spon-

4) Sponte ſua uti ad ſuppurationem non eſt idonea, ita, ſi perverſa arte eo deducatur, legitimum & bene coctum *pus* non exhibet, ſed materiam *ulceraſcentem*. Unde & facile in ulcus manans, ſerpiginoſum, vel plane fiſtuloſum transmigrat.

5) Commotiones *febriles* ordinarie præcedunt & conjunctæ ſunt.

6) Quando a *metaſtaſi febrili* exoritur, invadit cum *horrore*, per unam & alteram horam durante.

7) Huic ſuccedit *æſtus*, quem ſenſus *ardoris* excipit.

8) Contingunt ejusmodi ſtaſes phlegmonodes in *carnoſis* plerumque & *ſpongioſis* locis.

9) Inſuper, quod notatu dignum, in *extremis* utplurimum partibus, nempe in brachio, cubito, crure, rarius in femore. Conferantur *cauſæ*.

10) Aliquando etiam in facie occurrunt, e. g. duræ illæ, rubræ & æſtuoſæ inflammationes, quæ interdum dentium dolores excipiunt, *phlegmones* indolem ſiſtunt; præcipue ſi minus dextre tractentur.

3. *Apoſtematis*.

1) Collectio ſanguinis extravaſati in unum quaſi nodum, ideoque arctiore ſpatio circumſcripta.

2) In partibus præcipue carnoſis & glanduloſis.

3. Reliqua videantur *tabula de abſceſſu*.

IV. *CAUSAE*.

1. Tam *eryſipelas*, quam *phlegmone*, ſatis frequenter ab *intra* ortum ſuum habent, & per modum *decubitus*, uti vulgo loquuntur, ſive expulſionis ad exteriora corporis, nempe ad artus materia expellitur: Præcipue in phlegmone poſt febres acutas rhevmatico-inflammatorias.

2. Locum hic omnino habet *aſſertio antiquorum*, quod ejusmodi expulſiones inflammatoriæ a natura ſoleant inſtitui utili quadam intentione, dum illa materias noxias a partibus nobilioribus vitalibus deponat ad partes ignobiliores.

3. Et ſane dignam meretur conſiderationem, quod tam *phlegmone*, quam *eryſipelas* in *extremis artuum* plerumque proveniant, e. g. in brachio, manu, cruribus, pedibus, non vero facile in reliquo corporis trunco, rarius etiam in femore, & ibi quidem non ſine ingenti periculo & malo ſucceſſu, inprimis, ſi error in cura committatur.

Hoc

Hoc etiam valet, quando in capite, imprimis in facie se fistit; id quod frequentius fœminis, quam viris, ob inordinatos menses evenit.

4. Causæ *externæ*, a quibus inflammationes, præcipue erysipelaceæ, interdum exoriuntur, sunt
   1) Contusiones fortiores.
   2) Pruriginosæ scalptiones & punctiones.
   3) Frictiones cum panno aspero, unde sanguis exardescit.
   4) Ardor solis in tenerioribus, item etiam æstus ignis in foco culinario.

V. *PROGNOSIS.*

A. *Generalis.*

1. Sanguis extra motum suum alicubi stagnans vel *discuti*, vel *exsiccari*, vel *suppurari* debet: si nihil horum contingat, simpliciter putrescit.

2. Optima ex his via est *discussio*: proxima est *suppuratio*. Mala & sæpe periculosa est *exsiccatio*, nisi plane superficialis sit congestio. Pessima, imo funesta est *putredinosa* corruptio, ad minimum parti affectæ, subinde etiam vicinis.

3. Quando inflammatio febri acutæ vel associatur, vel eidem succedit, tunc retropulsio quam maxime cum vitæ periculo contingit.

B. *Specialis.*

1. *Erysipelatis.*
   1) Erysipelas sibi relictum, præcipue in partibus ignobilioribus, non facile est periculosum. Quando autem, ut moris est, ad interiora repellitur, frequentissime mortem infert. *Conf. Hippocratis aphorism. 25. Sect. VI.*
   2) In partibus nobilioribus majoris est momenti e. g. in capite, facie, faucibus, pectore, imo etiam in femore.
   3) Periculosum est, si incongrua arte ad *suppurationem* perducatur.
   4) Non minus sonticum est malum, quando ulceribus, vulneribus, fracturis aut luxationibus supervenit.
   5) Quo magis febris complicata est, eo majoris est momenti.
   6) In partibus *internis*, de quibus hoc quidem loco proprie non agimus, plerumque est pernicioſum.

7) Solvitur hæc inflammatio, quando vel pruritus, vel formicarum ſenſus, vel ſquamulæ in parte affecta obſervantur.

8) Quo magis in conſuetudinem degeneravit, eo facilius e leviſſima cauſa repullulat, ad morem aliarum translationum humorum, proprio naturæ motu contingentium.

9) Eryſipelas, ſi in corruptionem ruat, pejor eſt, quam quæ in aliis inflammationibus contingit.

10) *Sphaceloſitas eryſipelacea* per aliquot dies in cute deliteſcere ſolet.

2. *Phlegmones.*

1) In *phlegmonodeis* inflammationibus, late diffuſis, non in unum notabilem locum & tumorem collectis, *diſcuſſio* maxime locum habet.

2) Phlegmone in *externis* partibus ſenibus & inſanis periculoſior eſt, quam junioribus, robuſtis & bene conſtitutis.

3) Citius ſuccedit negotium diſcuſſionis in iis, qui ſanguinem habent tenuem & floridum, quam in quibus ſpiſſitudo & viſcoſitas illius peccat.

4) Quo magis temperata eſt aura, eo facilius ſuperantur, in regionibus autem calidis & diebus canicularibus graviores fiunt inflammationes.

3. *Apoſtematis.*

1) Quando inflammatio in unum veluti tuber coacervata, & tam in profundum, quam in latum collecta eſt, tunc *maturatio* requiritur.

2) Præcipue copioſiores ſtaſes inflammatoriæ, ab externis cauſis inductæ, & in unum quaſi nodum collectæ, ſi non cito medicationi offerantur, ad diſcuſſionem rariſſime perveniunt, ſed vel ad *ſuppurationem*, vel ad *gangrænam* tendunt. Nonnunquam imprudente tractatione indureſcunt, & tunc proxima occaſione præcipites ſunt in ulcerationem *cancroſam*.

3) *Repente* autem congeſtæ tales ſtaſes molleſcentes rubro - lividæ extumeſcentiæ (groſſe Beulen) a lapſu, ictu, verberibus exortæ, ſi mox in primo principio, præſertim dum adhuc augeſcunt, ipſis occurratur, commode diſcutiuntur.

4) Quando autem grandiores ejusmodi congeſtiones molleſcentes

tes jam per plures horas detentæ ſunt, neque inflammatio æqualis, neque debita ſuppuratio, (ob inſufficientem tranſitum motus ſanguinis inflammatorii) contingit. Unde *gangræna* & *ſphacelus* immediate ſuccedunt.

ς) Conferatur tabula *medica* de inflammatione.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.* Hæc in eo conſiſtit, ut *diſcuſſio* prius tentetur, ſi vero hæc propter nimiam quantitatem materiæ ſtagnantis obtineri nequeat, *ſuppuratio* promoveatur. Quare

1. Blanda per *alvum* evacuatio, ſi reliquæ circumſtantiæ concedant, ante omnia inſtituatur.

2. Deinde ſi plethoricus ſit ægrotans, & ſtaſis major ac profundior, *venæſectio* ſufficiente quantitate adminiſtretur; quæ vero in leviore inflammatione non æque opus eſt.

3. Poſtea ad *reſolutionem* & *diſcuſſionem* ſtaſeos promovendam

1) *Interne* propinentur abſorbentia citrata cum antimoniato fixo, ſale digeſtivo, nitro & momento cinnabaris conjuncta, & hæc præcipue in ſubjectis calidioribus. Eſſentia alexipharmaca *Stahlii*, ſive ordinaria ſive temperata, pro ſubjectorum conditione. Conf. tab. med. LXXXIV, ubi hæc eſſentia deſcripta eſt, *vid. etiam cautelæ.*

2) *Externe* parti affectæ imponantur *camphorata.*

α) Et quidem, ſi levior ſit inflammatio, ſola, vel cum nervino diſcutientibus; croco, myrrha, mumia, diſtemperata.

β) Si vero maioris conſiderationis, & affluxus in motu ſit, conjungantur camphoratis *ſubadſtringentia*, *ſaturnina* e. g. ceruſſa alba, ſaccharum ſaturni, parce adhibendum. Item *pulverulenta* illa, e. g. farina ſecalina, fabarum, creta pulveriſata, *herbæ traumaticæ* & leniter adſtringentes, e. g. bellis minor, chærefol. &c.

γ) Imo, ſi a ſenſu exquiſito affluxus augeatur, vel adhuc in motu exiſtat, *poſitive adſtringentia*, cum reſolventibus & diſcutientibus ſocianda, locum habent.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *Eryſipelatis.*

1) In *leviore* caſu negotium discuſſionis vel ſoli naturæ relinquatur, vel topicis convenientibus promoveatur. Talia ſunt

a) *Camphorata*, quæ vel in ſicca forma, vel ſoluta, nempe ſpiritu vini rectificatiſſimo applicantur. *Vid. cautel.*

b) *Farinacea* & *furfuracea*, e. g. farina ſecalina, triticea, lupinorum, fabarum, hordei; quibus camphora commiſcetur, item cortex medianus ſambuci.

c) *Saturnina*, ſuperius jam nominata, ſed cum discutientibus maritata.

2) In *gravione* inflammatione eryſipelacea præſtat remedia *interna*, quæ ſuperius indicata ſunt, cum *externis* conjungere.

3) Quæ *ſpecifice* ab Auctoribus laudentur, ſub *cautelis* videantur.

2. *Phlegmones.*

1) In hac inflammationis ſpecie quadrat potiſſimum methodus generalis, ſuperius tradita.

2) Discutientia vegetabilia videantur *Tabula medica de inflammatione.*

3) Præcipue in majori ſtaſi hic non acquieſcendum in ſolis topicis, ſed interna debent conjungi.

4) Quo major & profundior hæc ſtaſis eſt, eo magis conveniunt *emplaſtra*, cum larga quantitate camphoræ remixta: e. g. præ aliis diaphoret. *Mynſichti*, de ſpermate ceti ejusdem, de melilloto, diachylon cum gummatibus, de ammoniaco *Foreſti*, ſaponatum *Barbette*, præcipue etiam de ſpermate raparum, quod ſimul impetuoſum ad inflammatam partem affluxum modeſte cohibet, alia vero acriora & unguinoſa admiſcere minus convenit. Conjungantur autem ubique interna reſolventia & discutientia.

3. *Apoſtematodes.*

1) Hanc inflammationis ſpeciem primis diebus discutientibus æque ut alias tractamus, quando autem ad maturationem tendit, tractatur, uti tabula ſequente de *abſceſſu* dicetur.

2) Staſibus autem repente congeſtis, nempe rubro-lividis illis extumeſcentiis, a contuſione, lapſu, verberibus inductis, mature occurratur

a) Compreſſione cum ferro frigido.

b) Præcipue autem cum medicamentis, ſanguinem mature *reſolventibus*, nempe rad. irid. Florentin., ſigill. Salomon., bryon, herb.

herb. hyſſop., chærefol. bellid. min. ſem. aniſi, cujus oleum *Foreſtus* eximie laudat ad ejusmodi contuſiones impuras.

c) Conjunctis leniter *repellentibus*, inter quæ hoc loco fere præcellit *radix ſymphyti majoris*.

d) Hæc pulveriſata cum *vino* vel *urina*, quæ nonnullis arcanum hic eſt remedium, cocta, atque in forma cataplaſmatis applicata, discutiunt ſatis potenter, es muß aber nicht zu naß ſeyn.

e) In *ambitu* ſpiritus vini camphoratus vel his ipſis admiſceri, vel camphora adſpergi debet.

3) Quando autem grandior talis congeſtio per plures jam horas hæſit, ideoque neque *discuſſio*, neque etiam debita *maturatio* exſpectanda ſit, præſtat corruptionem putredinoſam per *ſectionem* antevertere, & quidem ante, quam vel inſignis inflammatio, vel plane corruptio acceſſerit. Apertio ſatis ſit magna, ut ſanguis grumoſus, in corruptionem tendens, uno actu evacuetur. De hoc negotio legi meretur *Severinus de recondita abſceſſuum natura* lib. VII. & *de efficaci medicina* §. 37. Conf. etiam tabula chirurgica *de contuſionibus*.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *In tempore venire* primarium eſt hic momentum. Præſtat enim inflammationem reſolvere & discutere, quam ad maturationem promovere.

2. Caveatur autem, ne ſub intentione diſcuſſoria motus inflammatorii nimis exacerbentur, per remedia *calida*, *acria*, *volatilia*, *oleoſa*, *bezoardica*.

3. Sic etiam caveatur a poſitive *adſtringentibus*, *refrigerantibus*, vid. num. 22., *repellentibus*. Hac enim perverſa methodo affluxus ſanguinis neceſſarius, & utiliſſimo fine a natura inſtitutus, cohibetur, & materia ſtagnans vel immediate in corruptionem putredinoſam, vel ulceroſam, corroſivam & fermentativam colliquationem abit. Daher kommen die erſtickte Schäden. Præcipue autem a talibus repellentibus cavendum, quando inflammatio ab *intra* & quaſi ſponte oritur.

4. Speciatim *refrigerantia* ſic dicta *ſaturnina*, ſolitarie adhibita, in profundis & duris inflammationibus vel nil juvant, vel durum reddunt ſcirrhoſum lividum tumorem, & ſi ſequatur ſuppuratio, in ambitu

ad minimum inſpiſſata portio pejoris moris ulcerationem efficit, & ſinuoſis ulceribus viam ſternit. In minus profundis inflammationibus peritum uſum admittunt, item ubi pars affecta jam aperta eſt.

5. *Emollientia*, præcipue *poſitive* talia, nempe *humida aquea*, fibras relaxant, & ita damnum inferunt. Vnde epithemata humida aquea in *eryſipelate* æque ac *phlegmone* corruptionem ſphaceloſam inducere valent. Exulent itaque aquæ illæ deſtillatæ, e. g. flor. ſambuc. chærefol. florum omnium, vel calcis vivæ &c. quæ paſſim a Chirurgis adhibentur. Idem ſentiendum de *oleoſis*, præcipue de famoſis illis e terebinthina paratis; item ol. *templinum*, juniperi. *Emplaſtra mucida* etiam nocent.

6. *Pinguia*, *unguinoſa*, quam maxime nocent, & per talia vulgi remedia amicus amicum trucidat, e. g. tum hanc tabulam conſcribimus, vir quidam uxoris ſuæ inflammatam faciem butyro inungit, & intra duos dies ad mortem illam comitatur.

7. Ab hisce emollientibus tanto magis in *eryſipelate* & *phlegmone* abſtinendum eſt, quoniam tales inflammationes ad maturationem per ſe non tendunt, & quando perverſa tali tractatione impetratur, parsque inflammata inſuper intempeſtive ſecatur, non eſt laudabilis maturatio, ſed potius ulceratio cancroſa, ob concurſum ſeri cum ſanguine, vel plane ſphaceloſa corruptio. Proveniunt hinc talia ulcera, quæ olim Oehl-Schenckel vocata fuerunt, in quibus nulla conſolidatio ſperanda, vel ſi omnino in uno loco conſolidatio facta ſit, in altero duo, tria vel plura foramina eveniunt. Vnde quovis modo discuſſioni opera eſt navanda.

8. *Dolores dentium* poſt ſe trahere ſolent tumores *phlegmonodes*, qui tamen, ſi modo non nimis negligenter habeantur, ſponte & mature iterum ſolent diſſolvi. E contrario illi tumores, qui hoc in loco ſine prægreſſo dolore dentium oriuntur, & æſtum, ardorem, dolorem pruriginoſum, pungentem & lancinantem ſecum ducunt, non carent periculo, inprimis, ſi improvide repellantur.

9. *Camphora* ſcopo discuſſorio, tam in phlegmonodeis, quam eryſipelaceis inflammationibus, egregie ſatis facit, inprimis ſi adhuc recens ſit malum.

10. *Spiritus camphoratus* hac cautela adhibeatur, ut per initia *eminus* tantum, nempe ad circumferentiam partis inflammatæ applicetur, & deinde in horas, quoties nempe ſpiritus in auras abiit, ad centrum propius admittatur. Modo ſit *rectificatiſſimus* ſpiritus, alias damnum potius, quam auxilium, adfert.

11. *Optima methodus* eſt, ut *ſpiritus* brevi temporis ſpatio ſub aura exhalet, & ſola camphora linteis adhæreſcat. Quando autem linteum ſpiritu adhuc madidum applicatur, diuturna illius mora ardorem infert, eumque in *eryſipelate* vehementem; quo caſu ad ſpiritum profligandum aura, ſed non ſenſibiliter frigida, dolenti parti admoveatur, man bläſet dem Patienten, am beſten mit dem Munde, an den ſchmertzhafften Ort.

12. Hac methodo quando utimur, plerumque cavemus incommoda illa, quæ camphorata in ſubjectis quibusdam ſenſibilibus non raro adferunt, & motus inflammatorios in febriles exaſperant. Convenit in his loco ſpiritus vini camphorati ſacculos ſiccos, e camphora, farina fabarum &c. conſtantes, applicare.

13. In ſtaſi *eryſipelatea copioſiore*, ubi cutis notabiliter inflammata appareret, cavendum eſt, ne *ſanguis ſeorſim* discutiatur, portio autem *lymphatico-ſeroſa* relinquatur, & tumorem *œdematoſum* conſtituat. Huic incommodo occurritur, ſi ſpiritus *modice* ſit camphoratus, & ad notabilem flavedinem *crocatus*. Crocus enim ſub initium talis discuſſionis non modo ſeroſam ſubſtantiam ad diſſipationem aptiorem reddit, ſed etiam fibras roborat, ut repreſſio eo melius procedat.

14. In illis *phlegmonodeis* & *eryſipelaceis* affectibus, qui ab *interno motu* expelluntur, commode applicantur *pulverulenta ſicca*, ſacculo incluſa, & moderate calefacta, e. g. farina, ſecalina, & quidem paulo nigrior, fabarum, immiſcendo aliquid ceruſſæ & camphoræ, atque in ſuperficie inſpergendo ſpiritum camphorato-crocatum.

15. *Phlegmonodeæ* inflammationes, a febribus acutis prognatæ, valde ſupt ſenſibiles. Quare tanto magis a refrigeratione defendendæ, & membrum ſicco calore, in einem Küſſen, fovendum eſt. Succurratur autem etiam internis remediis diapnoicis & abſorbentibus, addito audacter *nitro*, quod revera & hic egregie convenit.

16. Abſtinendum autem a *calidioribus* non ſolum, verum etiam a *revocantibus* medicamentis, qualia ſunt *purgantia*, quæ in talibus caſibus

bus maxime nocent. *Laxantia leniora* tolerantur, sed in principio principii. Commendantur hoc nomine pilulæ *Becherianæ*, & inprimis *Stahlianæ*. Multo minus conveniunt *emetica*, quæ multis ansam mortis præbent.

17. *Alexipharmaca temperata* post tertium vel quartum diem commode adhibentur. Securissime procedimus, si leniora diapnoica, absorbentia & nitrosa exhibeantur, & iisdem semel vel bis per diem lene alexipharmacum interponatur, quo nomine essentia alexipharmaca *Stahlii*, cum larga portione essentiæ pimpinellæ albæ mixta, egregie se gerit, hæc enim radix leniter resolvit & abstergit.

18. *Essentia petasitidis* commendationem meretur, si stasis diu jam duraverit, non autem sub initium.

19. *Specifica* passim laudantur, sed optandum, ut effectui semper responderent, e. g.

1) *fel carpionum* iners est remedium.

2) *sanguis menstruus*, prima vice erumpens.

3) Item *sanguis leporis*, a canibus agitati. Hunc exsiccatum ad dimidiam drachmam in vino propinant, & etiam linteo excipiunt, exsiccatum aqueo rore madefaciunt, erysipelati imponunt, atque intra 24 horas bonum effectum spondent.

20. *Lapis medicamentosus Crollii* quid præstet, experimentandum est; modo præmittenda non prætermittantur.

21. Quando erysipelas in consuetudinem degeneravit, ita ut a quavis exigua causa repullulet, conducit circa æquinoctia *venæsectio*, & blanda per alvum evacuatio, respiciendo simul crasin sanguinis sulphureo-acrem, ad vias urinarias invitandam & per easdem eliminandam.

22. Inflammationes partium *vulneratarum* utplurimum exposcunt venæsectionem prudenter instituendam, non reformidando prægressam hæmorrhagiam.

23. *Diureses* in omnibus prosunt inflammationibus, per absorbentia cum teneris acidis saturata obtinendæ, e. g. per oculos cancri aceto vel vino imbutos; corallia præparata cum crystallis tartari remixta; quæ remedia acrimoniam sanguinis irretiunt.

24. Quando inflammatio a causis *internis* producta est, externa remedia paululum differenda sunt, donec orgasmus sanguinis deferbuerit.

25. Post

25 Poſt *retropulſionem* inflammationis non utile tantum, ſed & neceſſarium eſt, *internis* alexipharmacis temperatis leniter expellentibus & discutientibus cum regimine ſuccurrere. *Extrinſecus* vero melius tunc eſt, nihil applicare, donec excretio illa ab intra extrorſum plurimum peracta ſit, præcipue abſtinendum, ſi ſpiritus vini camphoratus non ſit *rectificatiſſimus*.

TABVLA VI.
DE
ABSCESSU.

I. DEFINITIO.

Abſceſſus eſt ſtaſis ſanguinea arctiore ſpatio circumſcripta & in nodum collecta, eveniens ordinarie in parte quadam poroſa, atque copioſo ſanguinis acceſſui dicata, quo copioſo aditu transpulſio abſterſiva a natura commode inſtituitur, ut *agiliores ſulphureæ* partes ſubtrahantur, languidæ autem in *pus* convertantur, atque hac ratione corruptio *putredinoſa* præſcindatur. Græce dicitur ἀπόσημα, germanice eine Eyter-Beule.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quoniam *Hippocrates* vocabula illa ἀπόστασις & ἀπόσημα promiſcue uſurpat, & modo in ſenſu *latiore*, modo *ſtrictiore* adhibet, commentatores ejus, præcipue *Foëſius*, hanc quidem differentiam ſollicite inculcarunt, non omnem tamen confuſionem, quæ circa hanc rem enata eſt, impediverunt. Tangemus differentiam hanc ſequentibus.

2. Abſceſſus *latiore* ſenſu ſumtus, duplex apud *Hippocratem* reperitur.

I) Ἀπόστασις κατ' ἔκκρισιν, id eſt abſceſſio, cum excretione ſeu effluxu. Per hanc intelligit immediatas eruptiones & tales evacuationes, quibus cauſa continens morbi & præcipua materia e partibus nobilioribus & intimioribus per ignobiliores & exterio-

res diſſitas *abscedit* & *excedit*. Sed rarius eſt hoc abſcedendi genus in noſtris climatibus.

2) Ἀπόστασις κατ' ἀπόθεσιν, ſeu *abſceſſio depoſitoria*. Per hanc denotat materiæ morboſæ *depulſionem* e partibus principalibus, non autem plenariam e corpore *excuſſionem*, ſed ad ignobiles partes ſemotionem ſeu depoſitionem. Quales apoſtaſes poſt febres acutas præcipue contingunt, quando typus turbatur, vel malum regimen accedit. *Vid. cautel.*

3) Hoc poſtremum genus abſceſſionis interpretes uno ore accipiunt pro materia ad excretionem adhuc deſtinata, & cum aliqua ſucceſſiva corruptione in tale corruptionis genus tendente; quod *ſtrictiſſimo* nomine *apoſtematis* denotari ſemper ſolebant.

4) Docuit autem illos experientia, quod tales apoſtaſes, præcipue in calidis climatibus, a corruptionis eventu alienæ ſint, unde diſtinctionem fecerunt inter abſceſſus *calidos*, qui inflammatoriam & ſuppuratoriam indolem ſequantur; & inter abſceſſus *frigidos*, qui ob languidam & viſcidam ſui materiam contumacem ſtaſin celebrent, & vel tardiſſime, vel plane non in corruptionem veniant.

3. *Abſceſſus* autem ſtrictiore ſenſu ſumtus, de quo hic agimus, & de quo *definitio* valet, abſolute & quaſi eſſentia ſua ad corruptionem tendit, & de ipſa parte, quam occupat, aliquid aufert & abſcedere facit.

4. *Apoſtema* hoc *ſuppuratorium*, ſub quo etiam ſtare poteſt *furunculus*, multum differt ab apoſtemate *putredinoſo*, quod carbunculus & ipſe ſphacelus conſtituunt. De his enim non valet definitio, dum putredinoſa corruptio in illis non aufertur, ſed producitur. De ſingulis ſeorſim agetur.

5. Differentiam *apoſtematis a furunculo vid. tabula de furunculo.*

III. *SIGNA.*

1. Apoſtema exhibet tumorem rotundum, durum, in nodum collectum, tactu comprehendendum, cum *calore* in ambitu præcipue rubicundo, maxime ſi ipſam cutim una occupet.

2. Oritur autem vel immediate in partibus, copioſiori transcolationi ſanguinis quaſi ordinarie dicatis, vel ad minimum ſemper cum afluxu præter morem copioſiori ſanguinis & influxu in certam partem

tem ſeſe manifeſtat. In talibus partibus colligitur ſanguis vel inſigni ſtagnatione vel plenaria ſtaſi.

3. Supervenit mox ſenſus *caloris*, qui ſucceſſive in *ardorem*, imo denique in æſtum augeſcit. Cui autem potiſſimum cauſæ æſtuans talis ſenſus tribuendus ſit, infra dicetur.

4. Hic ſenſus ardoris moleſtiſſimus augeſcit in dies, præcipue cum ipſa invaleſcente ſuppuratione.

5. *Suppuratio* in diem quartum, quintum, ſextum & interdum ſeptimum, imo ultra ſe extendit, prout apoſtema profundius hæret, vel talem partem occupat, quæ copioſo allapſu ſanguinis non æque ordinarie irrigua eſt.

6. Fit autem plerumque in ipſo *centro* apoſtematis, ubi ſimul in albicantem eminentiam faſtigiatam tumor abit.

7. Quo ſuppurationis tempore apoſtema quidem ſenſim tactu *mollius*, dolore autem pulſatili & lancinante ſenſibilius evadit.

8. Donec denique exactiore mollitie maturum ſit & vel ſponte ruptum, vel inſtrumento aliquo inciſum *pus* ſuum effundat, nempe materiam mollem aliquatenus liquidam, albicantem vel pallide floreſcentem, ſtriis cruentis hinc inde diſtinctam.

9. Exploratur autem maturatio, ſi duobus digitis, non contiguis, tumor contrectetur, ita ut unus moderate premat, alter vero ſuſpenſus quaſi teneatur, ſic materia ſuppurata fluctuat & a digito paululum premente ad alterum quietum pellitur, atque ab eodem percipitur.

10. Rupto hac ratione abſceſſu & evacuato pure eximius ille dolor in momento quaſi remittit, imo, ſi perfecte maturum fuerit apoſtema, prorſus ceſſat.

11. Cavitas, quæ emiſſo pure remanet, eſt ſatis ampla & profunda. Unde confirmatur, quod notabilis portio fibrarum, tubulorum vel aliarum ſubſtantiarum in pus abierit & a reliquis partibus abſceſſerit.

12. Abſterſo pure ſuperficies totius cavitatis cruda & ſubcruenta appareret. Vnde tale apoſtema ad conſolidationem diſpoſitum eſt.

IV. *CAVSÆ.*

1. Apoſtematis cauſæ conveniunt cum cauſis inflammationis, quas tabula tam *medica* quam *chirurgica* indicavimus.

2. Supereſt, ut pauca adjiciamus de genuina cauſa doloris & ardoris ſuppuratorii, quem a *potentiis ſalinis* vulgo derivant. Dicunt nempe, ſanguinem ſtaſi detentum & corruptum contrahere acrimoniam ſalinam. Probant nidore ſalino urinoſo volatili, qui e ſanguine putrefacto oritur. Hanc acrimoniam, perhibent, *vellicare*, *rodere*, & *ſcindere* fibrillas partium, eoque ipſo exquiſitum dolorem ardentem producere.

3. Sed multæ difficultates hanc ſententiam premunt, præcipue autem ſequentes.

1) Dolor ſtatim ſub initium ſe exſerit, quo nulla adhuc corruptio adeſt, & ſic *filius parentes* ſuos, nempe ſal putredinem *præcurrit*.

2) *Paucitas* illius ſalis tam eximium effectum edere non poteſt.

3) In ſphacelo omnis dolor abeſt, licet ſumma putredo ibi præſto ſit.

4) In ipſo *pure* nullum veſtigium putredinoſæ corruptionis & urinoſæ ſalſedinis comparet.

5) Dolor augeſcit tempore maturationis, quo fibræ partis interiores, quibus maxime interſperſa hæſerat ſanguinis deliqueſcentis ſubſtantia, jam penitus in pus colliquatæ ſunt, adeoque omnem ſenſum, imo exiſtentiam fibroſam exuerunt. Vnde in hæc nonentia nil juris habent potentiæ ſalinæ.

6) Dolor, exquiſitiſſime urgens, eſt *punctorius*, & præterea *pulſui* cordis *ſynchronus*, exceptis rarioribus interlancinationibus.

7) Dolor hic intolerabilis eo momento evaneſcit, quo ruptus abſceſſus exiguam tantum puris portionem emiſit.

4. Itaque veritati magis ſimile eſt, quod gradus ille exquiſiti æſtus dependeat a *ſenſibilitate externarum fibrarum* in affecta parte, quæ per *tenſionem* illis inducitur. Huic adſerto non contradicunt ea, quæ n. 5) de fibris *interioribus* jam conſumtis diximus. Hæc eadem tenſio extra omne dubium efficit etiam exquiſitum illum ſenſum punctorium, pulſatilem, ſeu pulſui reſpondentem. Nam fibræ tumore illo tenſæ, exquiſitiſſime percipiunt pulſus leves agitationes & leviſſimas ulteriores tenſiones. Unde agnoſci poteſt cauſa repentinæ illius ceſſationis dolorum poſt apoſtematis aliqualem evacuationem, quæ tenſionem fibrarum ſtatim aufert.

V. *PRO-*

V. *PROGNOSIS.*

1. Abſceſſus in partibus *internis* vitalibus contingens, utplurimum eſt lethalis.
2. In *externis* autem partibus, materia educta, læſio facile curatur.
3. *Apertio* apoſtematis, quando ultra tempus protrahitur, ulcera ſinuoſa, oſſium caries, imo gangræna & ſphacelus ſuccedere poſſunt.
4. Idem pertimeſcendum eſt, ſi ſtaſis ſuppuratoria valde *copioſa* reperiatur; de qua re *tabula de gangræna* plura dicemus.
5. Pus album & æquale ſine fœtore eſt laudabile & ſalutare. Pejoris autem notæ eſt pus aquoſum, tenue & fœtidum.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Methodus abſolvitur ſequentibus indicationibus.

1. *Nimia congeſtio & nimia corruptio* eſt præoccupanda; ad quem ſcopum utilia ſunt:
   1) Quæ materiam *leniter reſolvunt* & *nervinum* effectum in partibus edunt, e. g. flor. chamomill. melilot. ſemen fœn. græc. gummata temperata, ammoniac. bdell. quæ leni aromatico penetrante odore prædita ſunt.
   2) *Emplaſtra* ex his dictis concinnata, e. g. de melilot. item de ſuccis ſ. diachylon cum gumm. licet hoc fortius emolliat & maturet, quam tonum roboret.
   3) *Camphoræ* moderatus uſus, cum modo dictis conjunctus, magis autem *circa* partem inflammatam, quam *ſuper* univerſum affectum.
   4) Ipſa quoque ſic dicta *refrigerantia* e ſpermate ranarum & ſaturninis, ſed cum aliis remixta. Hæc enim valde vehementem inflammationem mitigant.
   5) Quando hæc diſcutientia, præcipue paulo fortius camphorata, in principio principii applicantur & continuantur, fit interdum reſolutio & discuſſio *univerſalis*, ſine omni maturatione. Tardius autem adhibita non ſatisfaciunt. Quare in tali caſu
2. *Suppuratoria* colliquatio ſeu *maturatio* eſt adjuvanda. Huic effectui quadrant illa remedia, quæ tranſpirationem humiditatis aliquo modo cohibent, & poros obſtruunt. Efficacia hic ſunt

1) *Emplaſtra* e mucilaginibus & gummatibus, non valde acribus, concinnata, e. g. diachyl. ſimpl. & cum gumm. præcipue ſi mitior fuerit inflammatio.

2) *Pinguia*, quæ adeo certe promovent maturationem, ut etiam, præmature inflammationi adhibita, omnem ſpem discuſſionis auferant, e. g. variæ axungiæ & pinguedines. ol. amygdal. dulc. lil. alb. & chamomill. Pinguia autem *acria*, *deſtillata*, hic nocent. Proſunt pinguedines animalium, olea expreſſa, quibus commode jungitur camphora, quæ juvat discuſſionem ſanguinis, majore adhuc copia affluentis & corrumpentis.

3) Maturantem etiam effectum edunt: herb. malv. alth. parietar. mercurial. flor. chamomill. melilot. lil. alb. ſem. lin. pſyll. cydon. fœnu-græc. caric. pinguium.

4) Calor humidus.

3. *Ruptio* eſt *promovenda*, quando nempe apoſtema eſt maturum, æqualiter molleſcens, vel penitus jam ad perruptionem vergens, adeoque in centro apicem albicantem oſtendens.

1) Præſtant hoc, quæ fermentativam efficaciam poſſident, ſpeciatim *mel*, item triticum maſticatum, fermentum piſtorium, farina melli mixta, mel deſpumatum cum cepis aſſatis mixtum, ficus, lardum, butyrum non ſalitum, panis mellitus, panis piperatus, paululum humectatus, lac calidum.

2) Si vero hisce emollientibus vel ſponte ſua non rumpatur, manualis operatio neceſſaria eſt, nempe abſceſſus *inſtrumento* eſt incidendus, ſi e mollitie ſua notabili vel aliis certis ſignis ſatis maturus dignoſcatur. Requiritur hæc inciſio inprimis, ſi cutim non ſimul infeceric inflammatio. Cautelas circa talem ſectionem infra indicabimus.

3) Nonnulli *ſepticis* unguentis apertionem promovent.

4. *Abſterſio* ſeu *mundificatio* apoſtematis eſt peragenda & balſamica conſervatione *conſolidatio* facilitanda

1) Succesſiva puris emiſſione, *vid. cautel.*

2) Applicatione *unguenti digeſtivi*, e vitello ovi cum modico mellis, & pauca terebinthina parati, præcipue ſi pus tenacius fuerit. His etiam addi poteſt pauca quantitas maſtiches vel liquam. myrrh. Hoc unguent. colliquat & abſtergit pus, ſive per ſe adhuc ſpiſſius, ſive plane tubulis impactum ſit. Cum *turunda* immitendum eſt.

3) *Eſſeu-*

3) *Essentia balsamica* e myrrha, succino & una vel altera gutta olei terebinthinæ mixta, quæ eximie mundificat, ulteriorem corruptionem occupat, & restaurationem efficacissime promovet. *Vid. caut.* 17. Nocent autem *epulotica* talia, licet optima, quando ante sufficientem absterſionem adhibentur.

4) Omnis affluxus sub mundificatione & consolidatione dextre cohibetur per discutientia camphorata.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Incisio* chirurgica necessaria est in apostematibus *profundis*, sub cute nihil adfecta hærentibus. Antequam enim cutis etiam erodatur & perrumpatur, nimis late sese diffundit materia in substrata carnosa portione, & non tantum latiorem corruptelam, sed & largiorem dolorem, ardorem & reliquorum symptomatum durationem infert.

2. Suadent autem *apertionem* abscessus *artificialem* hæ potissimum circumstantiæ 1) quando *diu* ita hæsit. Non tamen semper ad temporis diuturnitatem respiciendum, nisi reliquæ circumstantiæ simul apertionem doceant. 2) Quando inflammatorius affectus paulo profundius introrsum generatus. 3) Quando mollities etiam ad sensum intus percipitur.

3. *Sectio* nimis *mature* instituta, cancrosa, sinuosa, fistulosa & pro locorum diversitate fœtida & colliquativa ulcera producere potest.

4. Nota est sollicitudo quorundam recentiorum Anatomicorum circa *incisionem* talem partium musculosarum, præcipientes, ut illa secundum longitudinem seu *ductum fibrarum* & non per *transversum* fiat, formidantes, ne posteriore hac ratione convulsivi quid superveniat facilius, quam priore modo. Et sane hoc monitum, ubi reliqua opportunitas admittit, non debet absolute contemni neque derideri, uti Chirurgi vulgo faciunt. Hac enim ratione sanatio promovetur, cicatrix deformis cavetur, & vasis maioris abscisio in profundis abscessibus evitatur. Interea tamen sublevare hanc formidinem potest experientia. Innumera enim per violentiam inflicta vulnera, tractum fibrarum non sequentia, convulsiones nequaquam inferunt. Tacemus, quod incisio, secundum *longitudinem* fibrarum perpetrata, nisi satis magna fuerit, necessariam faciat perpetuam dilatationem

per

per *turundas*, a quibus peritiores Chirurgi longe magis timent molestas sensationes, quam convulsiones a *transversali* incisione. Plura de hac re sub *operationibus* infra dicemus.

5. *Emplastrum de ammoniaco Foresti* & emolliendi & discutiendi scopo convenit.

6. Aperto abscessu notandum est, quod si profundius sit & copiosum pus contineat, materia secundum *Hippocratis* monitum Sect. VI. aphor. 27. non *simultanee* evacuari debeat. Pars enim affecta, quæ eximie tensa fuit, hac ratione cito flaccescit, & corrugatur, atque humorum ingressui nimio locum concedit. Unde nonnunquam corruptio gangrænodes, imo, a priori quasi, virium repentina deiectio & naturæ in opere suo, hactenus intentius perpetrato, turbatio cum gravissimis *consequentiis resultant*.

7. Præstat autem, ad novum partis robur restaurandum, eidem imponere *nervina*, e. g. emplastrum de betonica camphorat. diapalmar. diaphoret. *Mynsichti*, & deinde, quod de *pure* restat, evacuare. Non facile potest errari, si universo abscessui aperto, circumcirca autem adhuc duro, imponatur emplastrum *diachylon* camphorat. & huic imponatur emplastrum *majus* de *spermate ranarum* etiam camphorat.

8. Evacuato pure duas vulgo intentiones formant, nempe *mundificationem* & *defensionem*, vel potius *emollitionem* portionis, quæ in ambitu adhuc congesta crassior, & successive demum in pus abitura adest; quod quidem in *diffusioribus* apostematibus locum habet, in *minoribus* autem non æque necessarium est. Ante omnia abstineatur in tali casu ab unguinosis, vulgo maturir=Sälblein, nisi, loco pinguium, mel vel vitellos ovorum pro basi habeant.

9. Abscessus licet apertus, pus etiam evacuatum sit, balsamica tamen tunc non sunt adhibenda, quando durities, late se diffundens, adhuc subest, sed emollientia & resolventia in usum trahenda sunt; quibus scopis satisfacit *empl. diachylon simplex*, & quidem si notabilis adhuc ardor & circumcirca calor inflammatorius præsto sit; præcipue quo magis pars affecta est sanguinea, emplastrum autem *diachyl. cum gummatibus* inservit, si minor adsit ardor & rubor.

10. *Consolidatio* absolvitur *sarcosi* seu carnis restitutione & cicatricis inductione seu occlusione. Utrumque magis promovetur impedimento.

torum remotione, quam *positivo auxilio*. Nam *consolidatio* est solius naturæ opus, Chirurgus autem occasiones novarum corruptionum avertit; cui scopo inserviunt remedia balsamica, quæ non solum putredinosam corruptionem materiali efficacia inhibere, sed etiam ἐνέργειαν naturæ ad novam partis ablatæ structuram blande suscitare possunt.

11. Hoc sensu *sarcosin* egregie promovet *myrrha*, quæ ad corruptiones inhibendas potentissimum, & ad sanguinis floriditatem seu spirituositatem inducendam præstantissimum est remedium. Myrrhata etiam impediunt, ne apostema in pallidum ulcus degeneret. Si vero factum jam sit, succurratur ea ratione, quæ sub ulceribus indicata est. Ante omnia caveatur, ne superficiales erysipelaceæ inflammationes ulcerentur, nam pessima ulcera inde prognascuntur.

12. Ad *cicatricem* inducendam valent subtilia pinguia, balsama peregrina, quæ, licet nimium ab illis non sit sperandum, contemnenda tamen non sunt, e. g. balsam. de *Peru* & *Copaiva*; terebinthina etiam & oleum ejus, sed dilute & extense prosunt. Nec incommode emplastr. *stypticum Crollii* adhibetur.

13. Ante omnia caveatur, ne abscessus alibi *mundus*, alibi *tenace pure* adhuc obsessus maneat, certo enim *carnis luxuriantis* proventus inde exspectandus est.

14. A *nudis refrigerantibus*, præsertim a diuturno illorum usu, abstinendum est. Scirrhositas enim, malignæ ulcerationes, imo ipse sphacelus inde metuenda sunt.

15. De abscessu, *generaliter* sumto, licet illa materia directum hic locum habere non videatur, ob insignem tamen usum practicum monere placet, quod, si rem circumspectius examinemus, ἀποστασίων nostrarum cœtus utplurimum sub tribu *rhevmatismi* hodie lateat, & quod hoc rhevmatismi nomen tunc demum induat, quando repetitis exacerbationibus ægrotos graviter exercet; quamvis prima ejus nativitas a dicta apostasi originem duxerit, & ab eodem actu dependeat, imo unum idemque existant.

16. Certe enim post morbos acutos, qui per varias empirias, typorum turbationes, incongrua regimina & errores diæteticos tractati sunt, non ita raro pathemata in articulationibus eveniunt, & nisi recte ipsis consulatur, pertinacia & insuperabilia evadunt.

17. Quamvis autem tales apoſtaſes cum *tumore* partem invadant, & aliquando, licet rariſſime, in corruptionem *apoſtematodem* aut *ulcerosam* abeant, revera tamen in hodiernum diem doceri non poteſt, quod vel ipſa prima intumeſcentia a nuda materia, ita ſcatente, & non potius conſequenter propter dolorem, ibi concitatum, colligatur; vel ipſæ illæ tandem emergentes ulcerationes directe a materiæ illius ſepoſitæ maturatione prognatæ ſint, & non potius a magis accidentalibus conſecutivis congeſtionibus, appulſis humoribus, incongruis medicamentis.

18. Illud ſane attendentibus illuceſcit, quod ſenſibiliſſimæ hæ apoſtaſes, graviſſimis doloribus artuum ægrotum infeſtantes, minimum fere talis materiæ pro fundamento habeant, dum, ſibi relictæ, vix ullam ordinarie influxus talis materiæ notam offerunt, aut ullam corruptionem ulceroſam ſubeunt.

19. Hoc vero notatu digniſſimum eſt, quod ſatis crebro occurrant ægri, qui, paſſionum talium articularium cruciatibus laborantes, vulgo pro nude arthriticis, gonagricis & podagricis habentur, ſi vero altius parum examinemus, malum eorum ab hujus generis non ulceroſa ſed ſpaſtica apoſtaſi provenire deprehendimus.

TABULA VII.

DE

FURUNCULO.

I. DEFINITIO.

Furunculus eſt motus inflammatorius a ſtaſi ſanguinis, in tubulo aliquo detenti, originem ducens, & plurimum doloris, præcipue autem ardoris, involvens, German. ein Blut-Schwäre.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Furunculus*, quamquam ut ſpecies, ſub *abſceſſu* ſeu *apoſtemate* poſit locum habere, differt tamen ab hoc

1) *Cau-*

1) *Cauſa ſpeciali.* In *apoſtemate* enim ſanguis *extra* ſua vaſa in poroſis foraminulis ſtaſi coagulatoria detentus; in *furunculo* autem exigua portio ſanguinis in extrema plus minus portione proprii ſui vaſculi venoſi aut arterioſi in ſtaſin deducta eſt.

2) *Mole, quantitate & ambitu*, quibus omnibus *apoſtema furunculum* utplurimum ſuperat.

3) *Maturationis diverſitate.* In *apoſtemate* enim univerſus tumor inflammatorius in purulentam abit corruptionem & quidem progreſſibus ſatis velocibus, unde etiam germanice κατ' ἐξοχὴν eine Eyter-Beule appellatur; in *furunculo* autem ordinarie exigua tantum portio, & quidem in *centro* hujus nodi tardius corrumpitur.

4) *Doloris vehementia*, quæ in *furunculo* tanta eſt, ut inde Germani, quando ſenſibiliſſimum dolorem contuſorium deſcribere volunt, dicere ſoleant: Es thut ſo wehe, als Blut-Schwären.

2. Uti *differentia phlegmones* ab inflammatione generatim & apoſtematode inflammatione ſpeciatim vix usquam condigne deſcripta habetur, ita etiam tanto minus mirandum eſt, quod *furunculi* mentio rarior ſit. Et licet *Foreſtus* illius hiſtoriam ſatis perſpicue recenſuerit, ſimplicem tamen ejus indolem non exhaurit.

3. Comprehenſa autem proprie eſt in *Foreſti* deſcriptione *altera ſpecies* furunculi, nempe illa, quæ non *unum* æque talem tubulum pro præcipua ſede habet, ſed potius *plures*, tenerrimos tamen; videlicet ultimas exiliſſimas diſſeminationes ramulorum ſanguiferorum in & per cutem. *Conf. ſigna.*

4. Differentiam a *carbunculo* docet ſequens tabula.

III. *SIGNA.*

1. Furunculus exhibet *tuberculum* inflammatorium æqualiter rotundum, valde rubens, ad purpuream obſcuritatem plerumque accedens, & ceraſi nigri magnitudinem vix excedens.

2. Concurrit cum omni furunculo maxime inſolens *vehementia doloris* non ſolum ordinarii inflammatorii, pungitivo-æſtuoſi, ſed & eximie urentis, ſimul autem ſpaſtico-vibratici, per totum etiam membri ambitum excurrentis; qui dolor ingentem inquietudinem, anxietatem & agrypniam infert, imo, præcipue in majori furunculo, *febri-*

briles univerſales calores ſecum trahit; præſertim circa tempus maturationis, quæ difficulter contingit.

3. *Maturationis* tempore nihil *molleſcens*, neque ullam notabilem quantitatem *puris* exhibens, ſed exiguum cacumen & *puſtula purulenta*, quæ raro granum ſinapios excedit, conſpicitur.

4. Quando *rumpitur* vel *ſcinditur* puſtula hæc, effluit materia pauciſſima, vix unam vel alteram guttulam referens, ſubſtantiæ purulentæ tenacis & craſſioris, aut inæqualis discoloris, hic craſſi, illic fluidi, ita ut ſæpius una vice prorſus evacuari non poſſit.

5. Purulenta illa ſubſtantia, quando evacuata eſt, ſequitur ulteriore preſſione nil niſi ſincerus, aut ad minimum dilutus, ſanguis.

6. *Cavitas* reſidua poſt materiam evacuatam nonnihil profunda eſt, ad minimum infra ordinariam cutis denſitatem pertingit; ſumme autem anguſta obſervatur, ita ut ſubinde ambitum craſſioris acus vix excedat.

7. Reliqua autem ſanguinis inflammatoria dura collectio ſine ulla corruptione ſucceſſive rurſus evaneſcit, interea tamen ardens eſt & dolet, præter morem ſimplicium.

8. *Altera ſpecies* furunculi, a *Foreſto* proprie deſcripta, *plures* tenerrimos ramulos ſanguiferos, in & per cutim diſperſos, ſtaſi ſua occupat.

9. Hi tenerrimi ramuli uti flexuoſis ſuis diſſeminationibus cutim perreptant, ita, ſi infarctu quodam extendantur, ſubeunt hinc adhuc magis ſerpentinos *gyros*.

10. Qua de cauſa etiam tanto facilius evenit, ut ſanguis craſſus, in ipſos ita illiſus, impactus ibi maneat, atque adeo plane detentus non modo coagulum, ſed & conſequenter corruptionem, experiatur.

11. Itaque rectiſſime *Foreſtus* indolem *varorum* ipſis tribuit, niſi quod in cute teneriore faciei orientes, propter aëris perpetuum commeatum, ad ſcirrhoſam magis ſiccitatem inclinent, adeoque vel diu ibi perſiſtant, vel maturius, ſquamarum ſicca forma, ſecedant.

12. Hujus generis furunculus adhuc tardius, quam *ſimplicior* ille, matureſcit.

13. Valde parum veri & fluidi *puris* generat.

14. Con-

14. Contra eliquat ſucceſſive totam illam portionem, quam inſigni & tandem purpurascente rubore obſederat, ita ut in conſiſtentiam prorſus albidam abeat.

15. Quando vero *longiori tempore*, vel, quod opportuniſſime monet *Foreſtus*, medicaminum ope *maturius* abducta & evacuata eſt hæc portio, apparet tunc ſimiliter ſcrobiculus ille minime profundus, quamvis non raro groſſi latitudinem ſuperans, plane crudus, recenter mactatæ carnis facie.

16. Neque dehinc aliqua ſubeſt difficultas circa reſtitutionem. Tardius autem illa contingit, niſi remediis convenientibus facilitetur.

IV. *CAVSÆ.*

1. Dictum jam eſt ſub *differentia*, quod ſtaſis in furunculo non *extra* vaſa, ſed *intra* eadem contingat. Vnde etiam fit, ut plurima pars hujus ſtaſeos utplurimum extra corruptionem maneat, & ſenſim iterum reſolvatur.

2. Licet autem exigua illa portio ſanguinis, quæ hoc loco incarcerata eſt, & vix guttam forte refert, tam magnum apparatum inflammatorium neceſſe habere non videatur, uti in apoſtemate, ſubeſt tamen ratio in contrarium.

3. Sanguis enim, qui in *poros* diffuſus eſt, admittit facilius appulſum & ſufficientem tranſitum reliqui ſanguinis boni, abſterſionem & discuſſionem reſpicientis. Pori enim ſatis prompte dilatabiles ſunt. Vnde in *apoſtemate* ſatis indubie hujus laboris exitus ſuccedit.

4. In *furunculo* autem, ubi materia tubulo cuidam membranaceo incluſa eſt, affectus ille ſanguinis abſterſivus nullo modo tam commode ſequi poteſt. Vnde minima illa portio ſanguinis fermentum putredinis tam ferociter diffundit, quam ſcintilla in fomite aut ſtramine.

5. Hoc putredinis periculum ratio eſt tam vehementioris inflammatorii appulſus & transpulſus, ut hac ratione activiores portiones amoveantur, & ſphacelus caveatur. Naſcuntur enim ſub hoc actu anxiæ & vigilantiſimæ contentiones, quia tranſitus ſanguinis per portionem, intra tubulum incluſam, fieri ad vota non poteſt.

6. Quando autem *ſuppuratio* portiunculæ illius (quæ vera ſtaſi adfecta fuit) & matura *apertio* ad votum ſucceſſit, reliquæ inflammatoriæ

contentiones, veræ ſtaſi nequaquam ſubnixæ, discuſſionem admittunt ſine ulla corruptione; id quod fieri non poſſet, ſi in poros partis diffuſæ fuiſſent.

7. Hæc incarceratio intra tubulum ratio etiam eſt, quod *furunculus* longe tardius, quam aliud apoſtema ad ſuppurationem perveniat.

8. Sic experientia confirmat leges circulationis ſanguinis, & docet, quod corruptio non tam ab *extravaſatione* ſanguinis ſimpliciter, uti vulgo aſſeritur, quam, ſtrictiſſime loquendo, a *motu* illius *ſufflaminato* derivanda ſit. Vnde ſanguis, motu ſuo reſolutorio & depuratorio orbatus, eſt vera materia corruptionis, & hæc corruptio eſt fermentativa, id eſt, cuivis ſimili materiæ ſimilem corruptionem concinnare apta exiſtit.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Furuncalus* rationaliter tractatus, ſatis benigne terminatur; quando autem ſuppuratio minus proſpere ſuccedit, ob dictas modo cauſas, in ſphacelum admodum præceps, imo hoc ipſo etiam ad fœtidam cujuscunque ſuppurationis depravationem pronior eſt.

2. Quando majoris ambitus eſt furunculus, & inconvenientibus emplaſticis, unguinoſis, tractatur, atque tarde ad apertionem pervenit, tunc totus iſte complexus ſenſim abſcedit & excidit, relicto poſt ſe inſigni foramine. Interim tamen etiam *minor* furunculus maturum poſcit auxilium, ut indoles *fermentativo-progreſſiva* coërceatur.

3. E *ſignis* & *cauſis* patet, quod & cur inflammatio *furunculi*, licet parvi, longe ſit fortior, fervidior, tumidior, atque durior pro hac exigua portione, quam alterius majoris *apoſtematis*.

4. Indidem eſt, quod *Paulus* non ſine prægnanti ratione moneat, furunculos, qui radices ſuas, ut ille vocat, profunde in carnoſas usque partes contendant, *maligni* quiddam involvere.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In principio *camphorata* bene ſaturata, discutiendi ſcopo adhibeantur, abſtinendo ab *emplaſtris*.

2. Quando autem reſolutio non magis ſperanda eſt, *emollientia* & rupturam promoventia applicentur, & quidem centro tantum furunculi, e. g. emplaſtr. de *melilot.* diachyl. ſimpl. *cepæ* aſſatæ cum *melle* impoſitæ.

3. I

3. In *ambitu* autem discutientia nervina camphorata imponantur, e. g. emplastr. de betonic. camphoratum.

4. Maturato & evacuato furunculo, foraminulum *turunda* aliqua leviter dilatetur, aut sine irritatione tantum abstergatur, atque conveniente aliquo mundificante & resolvente emplastro, e. g. *diachyl.* cum gummat. camphorat. vel de *minio* camphorat. seu fusco *Noribergensi* genuino, tractetur. Prodest etiam hic admodum unam vel alteram guttulam essentiæ balsamicæ *Stahlii* immittere.

5. Sic citra ullam ulteriorem corruptionem restituitur, & tumida reliqua durities successive resolvitur ac discutitur.

6. *Interne*, si quid necessarium videatur, commendamus pulveres digestivos, nitroso-temperantes, cinnabarinos, & essentiam *pimpinellæ albæ*, quæ absente febrili insigni commotione, cum essentia *succini* misceatur.

7. In plethorico statu, si nihil contra indicet, *venæsectio* tempestiva non improbatur, modo alvus succedat.

8. Pars affecta leni sicco *calore* fovenda, & moderata *frictione*, versus cor dirigenda, tractanda est.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ex rei natura commodius consilium non suppetit, quam ut corruptio hæc, cito subnascens, mature intercipiatur, vel dissipetur, longissime dimoveatur & ejiciatur; id quod commodiore ratione fieri non potest, quam reliquorum humorum vegeta *appulsione* & *transpressione* per partem affectam. Vnde coagulatæ illæ moleculæ *alluendo* & *abradendo* dissolvuntur, absterguntur & auferuntur. Hoc negotium *discussionem* vocamus, & avtocratiæ naturæ potissimum incumbit.

2. Quando furunculus in corpus *crassum* plethoricum incidit, vel maturatio *tardius* succedit, aut per medicamenta *maturantia fortiora*, aut sic dicta *attractiva*, imo etiam intempestiva *refrigerantia* aut *coagulantia* ei occurritur: tunc loco *parvæ* illius suppurationis *diffusior* corruptela exoritur, quæ tamen minime statim in *laudabile pus* abit, sed totam portionem cutis, quæ rubro-purpureo urente & dolente tumore hactenus occupata fuit, in albam, sed penitus tenacem materiam

riam convertit, quæ non nisi plurium dierum spatio ita abscedit, ut crudum subcruentum foramen inde remaneat, non profundum, sed satis sæpe amplum, quod continuato abstergentium & mundificantium usu, adjectis in ambitu emollientibus & discutientibus ab hac circumferentia versus centrum sensim resarcitur.

3. Hinc abstinendum a talibus, præcipue *mellitis*, toti ambitui applicatis. Contingit enim ita ordinarie *totius* tumoris suppuratio. Quare iterum iterumque valeat *cautela*, ne intempestivis, & præter necessitatem diuturnis maturativis, emplasticis, unguinosis, artificiis suppuratio latius, quam par est, extendatur, sed potius simplicioribus emollientibus, &, quantum fieri potest, etiam discutientibus insistatur.

4. *Furunculus simplex*, quando in illis partibus exoritur, quæ mundificationi minus aptæ sunt, & insuper *diu* ibidem subsistit, antequam in suppurationem abeat, succedit interdum *fistulosa* constitutio, cujus rei specimen exhibent *fistulæ ani*, quæ succedere solent *hæmorrhoidibus cæcis*. Nam hæ nihil aliud sunt, quam verus furunculus. Diximus autem de his in tabulis *medicis*, unde superfluum censemus, eadem hic repetere.

5. Quovis modo imminenti corruptioni occurrendum. Quando enim illa prævalescit, & solidas partes simul longe lateque vastavit, hæ non nisi longo tempore possunt resarciri. Vnde non solum operosus structuræ labor imminet, sed instat etiam motus & transitus sanguinis, jam sufflaminati, insigne damnum, & hinc in horas novæ corruptionis periculum,

6. Impetuosæ evacuationes *cathartica* & *sudorifera* naturam in negotio suo turbant, eamque ob causam evitandæ sunt.

7. *Ustiones* & *cauteria* hic nocent.

TABVLA VIII.
DE
CARBVNCVLO
SEV
ANTHRACE.

I. *DEFINITIO.*

Carbunculus eſt tumor intenſiſſime inflammatorius, gangrænodeus, in partibus præcipue muſculoſis, a ſumme neceſſaria, ſed tamen difficillima ſanguinis commotione dependens; quo laborioſo actu principium vitale legitimam ſuppurationem impetrare & ſphacelum occupare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Diſtinguunt ordinarie carbunculum in *benignum* & *peſtilentem*. Rectius autem tres ſpecies poſſunt admitti, nempe
   1) Carbunculus *benignus*, qui eſt ipſe furunculus, de quo præcedente tabula actum eſt.
   2) Carbunculus *malignus citra peſtem*.
   3) Carbunculus *malignus cum peſte*.
2. Differt autem *furunculus*, qui eſt carbunculus *benignus*, a carbunculo *maligno* ſequente ratione:
   1) *Furunculus* ſimplex circa *ſuperficiem* corporis ſedem ſuam habet, carbunculus autem profundius introrſum hæret, eoque ipſo capaciorem vaſis ramum, eumque firmioris texturæ, comprehendit. *Vide cauſas.*
   2) Hinc *furunculus* protuberat notabiliter *extrorſum*, *carbunculus* autem hoc non æque facit, ſed tanto magis *introrſum* indureſcere, & corruptione ſuccedente, etiam quantumcunque felice, inſigniter dehiſcere, atque aliquid excidendo amittere ſolet.
3. Differentia, quam nonnulli inter *carbunculum* & *anthracem* admittunt, nulla eſt.

III. *SIGNA.*

1. De carbunculis *peſtilentibus* narrant, quod ſubinde initium ſumant a

puſtula una vel altera, ipſam partis ſuperficiem occupante, cui deinde corruptio & præceps, nempe intra 6-8-10 horas, & profunda ſuccedat.

2. Sed hæc puſtula non in omni carbunculo præcedit. Teſtantur enim ſcriptores, quod ægri immanibus ſæpe doloribus ardentibus & ſpaſticis prius afficiantur, quam carbunculus extrorſum conſpicuus fiat; quid? quod multi carbunculi adhuc latentes, aut retrocedentes funeſti reperiantur.

3. Carbunculi, *bubonum* inſtar, brevi tempore excreſcunt, atque mox e parvo tuberculo eminens carbunculus formatur.

4. Carbunculus adſciſcit *calorem* ſupremi gradus, cum *colore* rubro-purpureo-nigricante. Vnde etiam *carbonis* nomen accepit, *urit* enim & rubore veluti *excandeſcit*, denique etiam *nigreſcit* & partem quaſi *aduſtam* relinquit. Et ſic nihil aliud eſt carbunculus, quam *gangræna particularis*.

IV. *CAVSÆ.*

1. Quando ſtaſis *major*, aut præceps & pertinax *impetus*, in parte tali ſanguifera contingit, aut plane ſpecialiſſima quædam fermenteſcens materia putredinoſæ energiæ in *peſte*, verſus exteriora hæc loca incarceratur, naſcitur inde furunculus periculoſus ſeu *carbunculus*, ad ſphacelum tendens.

2. Optima quidem intentione miaſma peſtilentiale a partibus interioribus ad exteriores protruditur, ob loci autem conditionem & materiæ contagioſam præcipitem indolem ſphaceloſa corruptio prius inducitur, quam peſtilens materia per activitatem inflammatoriam a reliquo ſanguine, quem inficit, ſeparetur & eliminetur.

3 Quam ob cauſſam ad ſphaceloſam corruptionem avertendam, fruſtrata ſalutari intentione, opponit principium vitale *vehementiſſimas* commotiones inflammatorias; ſed & hæc laborioſiſſima conamina ad vota raro ſuccedunt, quia *carbunculus* profundius introrſum hæret, quam ſimplex *furunculus*.

4. Et licet carbunculus ſubinde initium ſumere videatur a *puſtula* veluti quadam apicem formante, introrſum tamen, more pyramidali, in profundam, duram & amplam baſin dilatari ſentitur. Satis luculento indicio, quod verior ſedes mali intimior & profundior ſit, nec ab externa illa puſtula, tanquam ſimpliciter introrſum iterum operan-

rante, dependeat, atque hinc laborioſum naturæ conamen communiter reſpuat.

V. *PROGNOSIS.*

1. Carbunculus *peſtilens* neque ad *ſuppurationem* neque ad *ulcerationem* ſed immediate ad ſphacelum tendit. Quare ſi *uſtione* non afficitur aut *exſcinditur*, ſed lenioribus magis remediis tractatur, in meditullio ſuo putreſcit, per ambitum ad maturationem pervenit, adeoque ſuppuratione circum circa facta, excidit ejus meditullium, ſi ſalutariter exire debeat.
2. Neque vero etiam ille carbunculus, qui *citra peſtem* vehemente ardore conjunctus eſt, tranſit unquam totus in pus laudabile; quin meditullio ſui putrilaginem ſpiret, & potius colore atque tota ſubſtantia corruptus excidat.
3. Imo vero eſt ejusmodi carbunculus tam notorii periculi, ut inde natum ſit dicterium plebis, quod carbunculus (ſine peſte) ſi in tali parte corporis oriatur, qua æger illum conſpicere poſſit, mortem minetur; quæ res nulli alii fundamento, quam ſphaceloſæ corruptionis eventui, ſuperſtructa eſt.
4. Quando carbunculus a *peſtilente* contagio graviſſime fermenteſcentem energiam concepit, tunc tanto vehementius graſſatur ad funeſtum usque eventum.
5. Carbunculus *retrocedens* peſſimi eſt præſagii; item qui poſt eruptionem mox evaneſcit, cujus materia interiores partes infeſtat.
6. Melioris ſpei eſt carbunculus *albi* & *ſubcineritii*, deinde *rubicundi* coloris.
7. Periculoſior eſt, qui *flaveſcentem*, poſtea qui *lividum* offert colorem.
8. Periculoſiſſimus, qui *nigro* colore manifeſtus eſt.
9. *Caudam* ſi carbunculus repræſentet, exitialis cenſetur.
10. Qui partes *membranaceas*, *nervoſas*, *junctiuras* occupat, periculoſius cedit, quam qui *carnoſas* obſidet.
11. Peſſimi eventus habetur, quando in talibus emunctoriis & glandulis, quæ membris nobilibus adjacent, exoritur.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Interne* conveniunt eadem temperata alexipharmaca, quæ tabula medica de *peſte* commendata ſunt, interpoſitis pulveribus temperantibus, *acido citri* ſaturatis.

2. Licet enim non omnis carbunculus ſit peſtilens; conducunt tamen illa remedia etiam in iis carbunculis, quæ *citra peſtem* eveniunt.

3. *Externe*, quia *diſcuſſio* res ſumme dubia & difficilis eſt, & carbunculus moram non concedit, ut diſcutientibus camphoratis quid tentetur, ad *ſuppurationem* qualemcunque tolerabilem, cito promovendam, omnis nervus intendatur. Commendantur in hunc finem *cataplaſmata emollientia*, e. g. e rad. alth. lil. alb. herb. malv. parietar. mercurial. ſem. lin. fœn. græc. ficubus cum lacte in pulpam coctis & calide repetito applicatis. Item empl. de melilot. diachyl. ſimpl. camphorat. Item ſequens

Recip. Mellis part. ij.
Fermenti part. I.
Sapon. Venet. p. ſemis.
Vitell. ovor. unum vel alterum.
M. & tepide applicentur.

4. Facta *maturatione* carbunculi illius ruptura mox promoveatur ſive per *emplaſtrum mellitum*, ſive per *cepas aſſatas*, ſive per *ſectionem*.

5. Deinde *fundus* balſamicis, alexipharmacis, mundificantibus & efficaciter abſtergentibus tractetur, ubi *myrrha* baſin conſtituat; *ambitus* autem per diſcutientia præcipue camphorata, ab affluxu ulteriore defendatur.

6. Quando autem carbunculus in ſphacelum abire videtur, ambitus profunde *ſcarificetur*, & vulnuſculis talibus alexipharmacæ & balſamicæ eſſentiæ immittantur. Alii ſpiritum vini camphoratum infundunt; alii corroſiva imponere docent, quo nomine præcipue *butyrum antimonii* laudant. *Vid. caut.*

7. Vbi autem ſphaceloſa corruptio jam adeſt, tum per *cauterium* exſtinguatur, & deinde eadem remedia *fundo & ambitui* applicentur, quæ numero quinto commendata ſunt.

8. Reliqua videantur ſub *cautelis* & tab. *medic.* de *peſte*.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Butyrum antimonii* ad ſeparandam portionem ſanam a corrupta multi auctores, præcipue *Sylvius* commendarunt, alii autem, etiam recentiores & in *peſte* verſati, tanquam periculoſum rejecerunt. In ejusmodi carbunculis ſphacelatis, quæ non æque ſunt aperti, ſed cute

cute adhuc concluſi, poteſt applicari. Dum enim rodit, feceſſio talis propior contingere poteſt. Plura de *butyro antimonii* videantur *tabula de ſphacelo*.

2. *Scultetus* notatu digniſſimam obſervationem habet de carbunculo *peſtilente*, qui in orificio ani magnus & niger ortus, retroceſſerit, ope autem cauterii, *eminus* tantum admoti, calefacientis nempe, non urentis, revocatus fuerit. Sed præſtat pro viribus cavere talem retroceſſionem. Optatus enim effectus ab hac cauterii applicatione non ſemper exſpectandus eſt, ſed potius ſubitanea mors cum horrendis convulſionibus.

3. De *bufonibus*, *magnete arſenicali*, & *foliis hyoſciami* tabula medica *de peſte* dictum eſt. Probari poteſt, num bufones exſiccati, primis horis applicati, venenum extrahant.

4. Num *cataplaſma Muſitani*, bufone, farina hordei, ſaliva vel vrina humana paratum, peſtilentem *anthracem* & *bubonem*, intra duas horas in laudabilem ſuppurationem perducat, experientiæ relinquendum. *Vid. Muſitani chirurg.* p. 16.

5. Quæ *Helmontius* & alii de *ſapphiro* ſperant, quod ſcilicet, ſi anthracem peſtiferum attigerit & aliquamdiu eidem affrictus fuerit, mox vero auferatur, totum virus attrahat, illa experientiæ non ſatis vbique facere auctores conqueruntur.

6. In carbunculo, actu jam *ſphacelato*, paſſim commendant *ſcarificationem*, *ſectionem*, *exciſionem*, *cauteria potentialia*, ſed non ſolum ſecurius, verum etiam rationi magis conveniens eſt, ut actuali uſtione fermenteſcens energia ſimul & ſemel ſubvertatur. Dolores ab hac uſtione non pertimeſcendi ſunt. Habent enim jam extra talem uſtionem dolores, ac ſi carbones candentes impoſiti eſſent.

TABULA IX.

DE

GANGRÆNA.

I. *DEFINITIO.*

Gangræna eſt ſummus inflammationis gradus; ſive a nimia præcipitantia congeſtionis, ſive a labefactatione partis, originem ducens, atque hinc a ſalutari efficacia debiti progreſſus, cui univerſus inflammationis apparatus deſtinatus eſt, longe aberrans: germanice der Heiſſe-Brand.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Gangræna quomodo a *ſphacelo* quidem differat & tamen hunc individuum utplurimum comitem habeat, utrorumque *ſigna* ſatis docent.
2. Differentia *gangrænæ a carbunculo* vel nullam vel exiguam eſſe, docet collatio hujus & præcedentis tabulæ.

III. *SIGNA.*

1. Inflammatio adeſt inſignis & adeo prævaleſcens, ut *tumor* magnus, maxime durus, appareat. Immo congeſtio eminus ita augeſcit, ut radii rubri inflammati, inflati & æſtuantes verſus partem affectam intenſi compareant.
2. In hoc tumore apparet *rubor* ſaturatiſſimus, obſcurus, ad nigredinem tendens.
3. *Ardor* concurrit exquiſitiſſimus, aduſtionis ſenſum referens, cum doloribus ſpaſticis in partibus vicinis; a quo ardore germanica denominatio deſumta eſt.
4. Conſpirant mentis *anxietates* peculiares.

IV. *CAUSAE.*

1. *Gangræna* illis ſtaſibus inflammatoriis ſupervenire obſervatur, quæ vel cum magno affluxu, inprimis præcipiti, factæ ſunt, vel etiam, præter copioſum talem affluxum, ingentem ſecum trahunt irritationem.
2. Unde ſtaſis detinetur & intenditur potius, quam imminuitur, aut diſſolvitur. Nam commotio inſolentior inflammatoria non poteſt aſ-

ſequi

ſequi diſcuſſionem, ſed potius infarctui augendo inſervit, adeoque loco diſſolutionis ſuccedit conſtipatio.

3. Cauſas *occaſionales*, *procatarcticas* & præcipue *viarum tonum* lædentes, ſequente tabula indicabimus.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Eventus* gangrænæ uti celerrimus, ita omnino deterrimus eſt, nempe certo in *ſphacelum*, aut *ulcus putrilaginoſum* tranſit, niſi citisſima & dexterrima ope ſuccurratur, atque noxius talis eventus præſcindatur.
2. Impetuoſa enim talis appulſio, ſeu abundans & in partem jam obſeſſam irrumpens congeſtio ſtaſin potius auget, quam reſolvit.
3. Non ſolum autem a *diſcuſſorio*, verum etiam *ſuppuratorio* effectu hæc res aliena eſt. Nam hæc non tam per *appulſum* quam potius continuum, *moderatum* tamen, *transpulſum* ſanguinis fieri debet, ut agiles particulæ e ſtaſi ſingulis quaſi momentis *auferantur*, quæ alias collecta vi ipſum corruptionis impetum exacerbarent.
4. Enim vero quamdiu pars gangræna obſeſſa ſenſibilitate, intenſo rubore & calore adhuc prædita eſt, tam diu ſpes affulget, ut ſphacelus poſſit caveri.
5. Quando autem rubor tranſit in livorem, ardor in teporem & ſenſibilitas illa inſignis evaneſcit, tunc ſphacelus imminet.
6. *Externarum* quidem partium gangræna nonnunquam ob immediatum acceſſum curam admittit, *internarum* autem partium ſemper eſt calamitoſa.
7. Quo magis molles & laxæ ſunt partes, quæ gangræna obſidentur, eo periculoſior eſt ſtatus.
8. Unde gangræna, quæ ab *internis* cauſis, item a veneno producitur, magis refractaria eſt, quam quæ ab *externis* exoritur, nempe contuſione, fractura, uſtione.

VI. *METHODUS MEDENDI ET MEDIA.*

1. *Interne* conveniunt eadem remedia, quæ præcedente tabula indicata ſunt, nempe alexipharmaca temperata & pulveres abſorbentes citrati cum nitro & antimoniatis fixis; quæ blandam excretionem diapnoico - diureticam promovent, & orgaſmum ſanguinis temperant.

2. *Ex-*

2. *Externe* ſequentia laudantur.
   1) In ſtatu plethorico matura *venæ ſectio* locum habeat.
   2) Ipſi parti affectæ imponantur *reſolventia*, *diſcutientia* & *moderate nervina* e. g.
      a) *Rad.* irid. Florent. valer. bryon. caryophyll. ſigill. Salom. angelic. vincetox.
      b) *Herbæ* ſcord. rut. ſalv. abſinth. hyſſop. agrimon.
      c) *Flores* chamomill. melilot. ſambuc.
      Hæc ſacculis incluſa, & vino calido irrorata, tepide applicentur, & ſingulis horis nova fomentatione repetantur.
      d) Conducit etiam applicatio ſpiritus vini camphorati crocati, & tamdiu adſperſi, donec camphora in ſuperficie notabiliter appareat.
      e) Item ſpiritus theriacalis camphoratus cum eſſentia aloës, croci & mumiæ remixtus, adiectis paucis guttis de oleo quodam deſtillato, præc. *ol. cinnamomi.*
      f) *Aqua calcis vivæ* lixiviata ſeu concentrata, linteis excepta, leviter exſiccata, applicata & ſæpius repetita, lenem tonicum effectum conciliat parti relaxatæ.
      g) *Fæces* vini vel cereviſiæ; item *muriatica* aqua.
      h) *Poma* putrefacta.
   3) In ambitu *emplaſtra* ſic dicta *defenſiva*, largiter camphorata conveniunt.
3. Quod ſi vero hæc medicatio *diſcuſſionis* finem non attingeret, ſed potius ſuppuratio qualiscunque tolerabilis ſuccederet, uti moris eſt, *maturatio* promovenda, & *ambitus* per *defenſiva diſcutientia camphorata* muniendus eſſet.
4. Ingruente autem *ſphacelatione*, uſtio corruptæ portionis matura neceſſaria eſt, ut prima radix exſtirpetur; coniunctis defenſivis alexipharmacis, balſamicis circa ambitum, e. g. ſpiritu theriacal. camphor. eſſent. balſ. *Stahlii*, aloës, croci, mumiæ.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In *mitiore* gangræna decoctum *ſcordii* ſaturatum ſufficere obſervatur; immo frequens applicatio *farinarum* cum *camphora* mixtarum.

2. Par-

2. Partem gangræna affectam uti ſepticis tractare interdum neceſſarium, ita a præmaturo illorum uſu cavendum eſt.
3. *Atramentum* in gangræna peculiarem commendationem non meretur.
4. Nocent hic alexipharmaca *calida*, interne propinata, impetum enim inflammatorium augent.
5. *Rulandus* exemplum allegat gangrænæ per ſola *poma putrida* curatæ. Hæc enim lenem fermentationem vinoſam repræſentant.
6. *Fax cereuiſiæ*, tepide applicata, etiam efficax dicitur.
7. Ruſticus quidam *brodio braſſicæ* gangrænam curaſſe fertur.
8. *Fabr. ab Aquapendente* unguentum e *ſucco betonicæ* in gangræna & ſphacelo laudat, item *ſuccum ſcordii*.
9. Plures cautelas continent tabulæ de *inflammatoriis tumoribus* & de *ſphacelo*.

TABULA X.

DE

SPHACELO.

I. DEFINITIO.

Sphacelus eſt corruptio putredinoſa in parte quadam reliqui corporis vivi exoriens, & repentina corruptionis progreſſione in vicinas partes ſe diffundens. Germ. der kalte Brand.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Sphacelus* ſeu corruptio *putredinoſa* differt a ſuppuratoria ſequente ratione.
   1) Communem quidem habent *cauſam*, nempe ſanguinem ſtagnantem. Diverſitas autem in eo fundatur, quod in *ſphacelo* quantitas ſtaſeos, impetus & contentio appulſus ſit enormis, placidæ vitali dimotioni minime reſpondens; in corruptione autem *ſuppuratoria ſalutari* moderata eſt collectio & appulſio.
   2) Sic etiam ſphacelus & ſuppuratio easdem maxime partes communes habent, nempe ſanguiferas, muſculoſas; interea tamen *ſpha-*

celus ſenſim etiam corripit partes *exſangues*, in quibus *ſuppuratio* abſolute nullum habet locum.

3) Præcipua autem diverſitas conſiſtit in eo, quod in *ſuppuratione* perpetuus *aditus* & ſubtilis *tranſitus* ſanguinis pateat, per quem motum tenuiſſimæ agiles partes abſterguntur & auferuntur, relictis tantum crasſioribus, in *ſphacelo* autem interceptus eſt *tranſitus* talis, unde portio coagulata in corruptionem tranſit putredinoſam.

2. *Sphacelus* differt a *cancro*. In hoc enim corruptio longe *ſegnior* eſt, quia ſtaſis potiſſimum *lymphæ* & *ſeri* in glandulis contingit, in illo autem eſt ſtaſis *ſanguinis*. Vnde *cancer* merito dici poteſt ein eingeſaltzener kalter Brand, ſeu corruptio ſeroſo-lymphalis. Hæc eſt ratio, quod *ſcorbuticus* ſphacelus ſegnius procedat, & vix intra dimidium annum ægrum jugulet. Salſa enim lympha ſanguinem quaſi *ſalit*, & ſic corruptionem quodam modo refrenat.

III. *SIGNA.*

1. *Calor* vitalis in parte affecta plane diſparet, & in frigus mutatur.
2. *Color* lividus, imo nigreſcens in parte *immediate* affecta, in *ambitu* autem illius pallidus, & a florida vivida temperie alienus obſervatur.
3. Æger omnem *ſenſum* in parte ſphacelata amittit, ita ut etiam inciſionem, ſcalpello factam, minime percipiat, neque etiam e vulnuſculis ſcalpello inflictis, ſanguis profluat; ſed ichor tantum cruentus, apparente in vulnuſculis nigro ſanguine.
4. *Turgeſcit* ordinarie membrum per *viciniam* tumore pallido & frigido, œdematoſo vulgo dicto.
5. Portio autem *immediate* affecta præcipiti greſſu ruit in fœtidam manifeſtiſſimam putredinem, adeo ut non ſolum mollis & ſemi fluida evadat, ſed omnino etiam cadaveroſum olidiſſimum fœtorem putriſaginoſum ſtatim concipiat.
6. Imo progreſſus hujus corruptionis in partes ambientes eſt celerrimus.
7. Cæterum rariſſime contingit, ſæpius tamen in hominibus quam in brutis.

IV. *CAUSÆ.*

1. Cauſa *generalis* ſphaceloſæ corruptionis eſt maxima propenſio ſanguinis ad putredinem.

2. Cau-

2. Cauſa *ſpecialis* & *propior* eſt interceptio actus conſervatorii, id eſt, debiti liberi commeatus ſanguinis per portionem detentam & incarceratam. Unde ſanguis, corruptibilitati ſuæ relictus, in *actum* putrefactionis repente deducitur.

3. Cauſæ *occaſionales*, quæ talem interceptionem actus vitalis conſervatorii inducere poſſunt, ſunt

1) *Coagulatio* in ipſo loco inducta e. g. a magno frigore, item ab adhibitis, facta jam magna ſtaſi, refrigerantibus, aduſtione.

2) Præceps irruptio & maxima contentio *affluxus*.

3) *Ligaturæ* fortes & compreſſiones violentæ.

4) Continuitas meatuum per *lacerationem* violata, exitu tamen non conceſſo.

5) *Viarum tonus* graviſſime læſus. Fieri hoc poteſt e. g. per paralyſin, hemiplexiam, ubi infarctus repentinus, ob *affluxum* ſine debito *refluxu*, inducitur. Item per graviſſimas *conquaſſationes* partium fibroſarum, quibus fibræ partim actu laceran-tur, partim graviſſime extenduntur. Vnde influxus impetuoſus, reſtitutionem tonicam non admittens, copioſæ ſtaſi locum præbet; cujus rei notiſſimum exemplum eſt in *vibicibus*, a gravi percuſſione prognatis.

6) His adnumeramus graves *vulnerationes*, *contuſiones*, *morſus* & *ictus* animalium rabidorum, venenoſorum.

7) Denique *dyſcraſia* humorum in ſubjectis vere ſcorbuticis.

4. Hæc ſimplex ſphaceli ætiologia ſincerior eſt, quam tropici illi loquendi modi *ſiderationis*, *venenatæ malignitatis*, aut *ſimplicis mortificationis*. Vnde etiam græcum ſphaceli nomen nullam ſimilitudinem derivationis præ ſeſe fert. Nam ſi omnino a σφακτὸς, *mactatus*, derivaretur, obſcura tamen maneret ratio convenientiæ.

5. Quod tonus vividus mox tam late in vicinio deſeratur, adeoque tam motus quam ſenſus ceſſet, antequam ſphaceloſa corruptio facta eſt, *phyſicis* cauſis non innititur.

6. Nam indefinitæ illæ locutiones, quod *vapores vappidi*, in viciniam diffuſi, *calidum innatum* & *ſpiritus inſitos*, *vitales*, ſuffocent, nihil ſignificant.

7. *Recentiores* fingunt communiter *aciditatem volatilem*, quæ in partes ambientes ſe expandat, & coagulationem ſanguinis perpetret, ſed hæc aciditas, e *diametro* oppoſita eſt veræ indoli ſphaceloſæ; nempe abſolutæ putredini. Nam ſanguis, motu ſuo privatus, non indiget remedio coagulante; inſuper intemperies illa *acido-volatilis* ab omni chymica potentia ad oppoſitum usque aliena eſt, nempe *acidi-volatilis* transmutationem præcipitem in *alcali volatile* ſupponere, quale per putrefactionem ſphaceloſam certiſſime producitur. Ridicula ſane hinc eſt illorum methodus, qui ad *aciditatem volatilem*, quam ſtatuunt, compeſcendam adhibent *butyrum antimonii*, cum tamen, ſecundum hypotheſin, *alcali* ſumendum eſſet.

8. Melius autem per *cauſas morales* explicatur. Nempe deſertio hæc concurſus vitalis dependet a *ſcopi totius deſperatione*. Vnde natura *media*, ad ſcopum illum tendentia, tanquam irrita, negligit, imo ita abhorreſcit ab illa morticina efficacia, ut ne accedere quidem proxime ad contactum ejus fidat. Corruptio enim talis eſt efficaciæ, ut partes proximas præſentiſſime in parem corruptionem deducere poſſit. Hæc conſtitutio reddit perplexa, incerta, dubia, omnia ordinaria conſilia. Et ſic magis *abhorrenti principio vitali*, quam materiæ ſphaceloſæ, *qualitatibus innominatis* & plane *ſpecificis* adſcribenda eſt talis deſertio motuum vitalium.

V. *PROGNOSIS.*

1. Quoniam natura nullam rem adeo abhorret, quam putrefactionem, & hinc trepidando & angendo in ſphacelo aufugit, nulla ſpes eſt reſtitutionis, ſed omnia in perniciem ruunt. Nam trepida talis deſtitutio motuum vitalium impedit *ſuppurationem* ſeu *maturationem* & ampliorem efficit ſtagnationem. Vnde tanto minor ſpes relinquitur.

2. Proſtant quidem apud obſervatores exempla, ubi natura in partibus, ſphacelo vicinis, vividum influxum non ſubduxit, ſed omnem virilem reſiſtentiam oſtendit. Vnde pars ſphaceloſa, quæ nullam admittit reſtitutionem, per legitimam revocatam & avtocraticam ſeparationem a vivis remota fuit. Sed horum exempla ſunt pauciſſima.

3. Eſt certe conſideratu digniſſimum, quod ſpontanea & potentibus artis ſubſidiis non ſuffulta expugnatio ſit res longe rariſſima. Vnde tanto majorem attentionem meretur exemplum, quod *Bartholinus* hiſt. anat. cent. I. hiſt. 69. commemorat de puella paupere, cui circa me-

medium pedis ſphacelus ſubſtiterit, ſponte recedente portione corrupta. Quæ ſane reſtitutio non ſecundum curſum naturalem habenda eſt, ſed divinitus impreſſa activitas energiam naturalem *potenter excitavit*.

4. Itaque qui feliciter reſtituuntur, amiſſi ſenſus & motus compotes iterum evadunt, & quam primum in confinio & ambitu partis ſphaceloſæ vitalis vegetus motus de novo ſuſcipitur, circumſcribitur ſtatim, immo tollitur ulterior progreſſus ſphaceli, evaneſcit nempe ſphacelus, quam primum vera ſuppuratio locum invenit.
5. Extra hæc rariſſima exempla ſphacelus intra paucas plerumque horas vitæ finem imponit.
6. Quando ſphacelata pars a ſanis mox poteſt removeri & abſcindi, vita ſæpius conſervatur.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Sphacelus inhibetur,
   1) *Conſervatione* influxus vitalis *circa* partem ſphaceloſam.
   2) *Remotione* ſubitanea portionis jam corruptæ.
2. Prima intentio, nempe influxum vitalem ſuppuratorium circa partem affectam vegetum conſervare, ingentes habet difficultates, tentanda tamen eſt quovis modo; de qua re inferius plura dicemus.
3. In *carbunculis* ſphacelatis meditullium tangunt *ferro candente* & quidem tam diu, donec æger ſenſum aduſtionis obſervet. Hac enim ratione ad ſuppurationem legitimam partes ambientes facilius disponuntur.
4. In *reliquo* autem ſphacelo non quidem in uſu eſt ſphacelatas partes *cauteriſare*, ſed potius circumjacentes medicamentis præſervare, & a corruptis ſeparare. Vulgatiſſima methodus eſt, ut circum circa *ſcarificetur* & deinde *ſeptico* illinatur.
5. Commendant autem *ſcarificationem profundam*, & quidem in parte adhuc *viva*, corruptæ vicina.
6. Hæc vulnuſcula, quoniam plerumque ſanguinem nigricantem aut ichorem, juſculo ſimilem, exhibent, abſterguntur quantisper lixivio quodam, cum farina *lupinorum* & momento *aloës* commixto.

7. Deinde remedia *ſeptica*, e. g. *unguentum Ægyptiacum*, *ærugo* ſive ſibi relicta ſive leniter calcinata, *butyrum antimonii*, vulnuſculis illis fricando ingeruntur, ut partes nondum corruptæ a corroſiva hac eroſione quaſi reſiliant, & ita a parte emortua ſecedant. Ipſa autem corrupta portio exſcinditur.

8. Obtenta aliquo modo tali ſeparatione partis vivæ a mortua, adhibentur remedia, quæ putredini reſiſtunt & trepidantis naturæ vitalem influxum revocant, e. g. *eſſent. myrrhæ*, *aloës*, *abſinth. centaur. min. ſcord. card. bened. ariſtoloch.* utriusque, *gentian. rubr.* item *mel roſat.* ſpiritus vini rectificatiſſimus, aqua *calcis vivæ*, *poma putrida* expreſſa. Applicantur autem portioni jam corruptæ, tum adhuc vivæ cruentæ, & quidem largiter. Locum etiam habent hæc, quando *ſeptica* & *cauteria* nimis late partem conſumſerunt. Speciatim *Stahlius* commendat *oleum cinnamomi* parti adhuc vivæ applicandum. *Vid. cautel.*

9. *Circumcirca* vero in *confiniis*, ubi inflammatio adhuc viget, locum & uſum habent partim *diſcutientia*, ut ſpiritus vini camphoratus, partim *adſtringentia*, e. g. cataplaſma e gallis, malicor. rad. tormentill. biſtort. ſymphyt. cum vino & aceto coctum. *Vid. cautel.*

10. *Interna* remedia, quæ correctionem humorum reſpiciunt, parum hic contribuere poſſunt, eſt enim ſphacelus celerrimi exitus. Sufficit itaque *alvum* liberam ſervare & alexipharmaca temperata, analeptica atque discutientia ſub breviori tali periodo propinare. In ſphacelo autem ſcorbutico ſegniore corrigentia locum habere poſſunt.

11. Si ſphacelus in membro quodam jam *oſſa* & *tendines* arroſerit, eſt illud amputandum; de qua re ſub *operationibus* dicemus.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Sphacelus* non ſemper eſt conſequens *gangrænæ*, ſed etiam ſine hac prægreſſa induci poteſt, e. g. in ulceribus putridis, diuturnis, uſitatiſſimum eſt, ut integra fruſta in ſphacelum abeant; ſed hæc corruptio ſphaceloſa multo ſegnior eſt, quam quæ gangrænam excipit.

2. Talem ſegniorem corruptionem exhibet *ſphacelus* ſic dictus *ſcorbuticus*, qui utplurimum cum *puſtula gingivæ* incipit, vel aliunde in

cor-

corpore ex improviso quasi nascitur, atque merito totalem humorum corruptionem reddit suspectam.

3. Datur species sphaceli, quæ a *pustula nigra* in digitis pedum originem sumit. Hanc nonnulli auctores ad carbunculos pestilentiales referunt, quibus tamen cedit benignitate. Legi potest de hac specie *Anton. Benivenius de abditis morborum caussis observat.* 71.

4. *Corrosiva*, e. g. *butyrum antimonii*, uti & omnia *acida*, imo *vesicatoria*, non agunt in partes *emortuas*, sed ad minimum immensum quantum citius in *vivas*. Vnde secessio vivæ a *mortua* parte per illa obtinetur. Interim hæc per corrosiva separatio, si omnino bene cedat, non potest tamen ulterior restitutio fieri, nisi æqualis suppuratio decentem concursum nanciscatur.

5. *Cauterisatio* autem *actualis* omnium optime compescit putredinem. Ignis enim calore suo particulas subtiles, in motu constitutas, celeriter divellit & dissipat. Illustrat hanc rem quivis potus spirituosus fermentescens, qui, quando per ignem incalescit, particulas suas activiores in auram mox dimittit, & vappidas tantum retinet, atque moderata aëris admissione in acetum transit.

6. Hæc *actualis cauterisatio* in casibus repentinis tanto magis necessaria est. *Corrosiva* enim segnius agunt. Plus sane utilitatis antiqui per *cauteria actualia*, quam recentiores per opiniones suas vanas in hoc passu obtinuerunt. Interea tamen judicium & circumspectionem ustio talis requirit; *de qua re suo loco agemus.*

7. Verbo? In sphaceli initiis *cauterisatio actualis* cum procuratione, quanta fieri potest, *suppuratoria*, rem expediunt. Ignis enim ustio sistit motum fermentativum, uti num. 5. dictum, & invertit uno impetu motum putredinosum, inspissat materiam & ad siccitatem disponit. Propter sensum exquisitissimum, quem infert, concursum humorum excitat, & sic suppurationem promovet. Modo pars urenda ita posita sit, ut nihil convulsivi propter nervos & tendines insignes ab illa ustione metuendum habeamus. In superficie, partibus nempe cutaneis musculosis, glandulosis, sine trepidatione ustio fieri potest. Item etiam in *sphacelo scorbutico.*

8. *Decoctum calcis vivæ* non rejiciendum quidem est, notandum autem, quod in profundiore sphacelo nihil agat, sed tantum in superficiario, nempe qui ab erysipelate male tractato & similibus exoritur.

Præ-

Præterea neceſſarium eſt, ut pars affecta ſpiritu vini camphorato aliquoties illinatur, donec camphoræ ſubſtantia, exhalato ſenſim ſpiritu, in cute appareat.

9. Remedia inhibentia quando non ſufficiunt, & ita ad chirurgiam inſtrumentalem properandum eſt, caveatur a nimis *forti ligatura* in ſana parte applicata. Moderate tantum ſub initium ſtringatur, eo ipſo autem, quo amputatio contingit, amanuenſis fortius ſtringat. Non opus autem eſt, ut culter igne candeat, majores enim dolores & tumores inducuntur. De reliquo reſpectus magis habeatur ad partem affectam, quam ad ægri querelas. Serra, quæ intenditur, german. eine Spann-Säge, longe præferenda eſt alii, quæ cultro ſimilis & minus firma eſt.

10. Ablata parte, *effuſio ſanguinis* temperanda eſt. Primarium autem hic ſubſidium eſt *ligaturæ* vera *temperies*. Pars ſi *concava* fuerit, cautelam majorem & *ſpleniorum* applicationem, ad comprimendas capaces arterias, expoſcit. Poſt abſciſſionem *cauteriſatio* locum habet, quæ tamen multis reſpectibus cedit *ſpiritui vini rectificatiſſimo*, veſica adhibito, qui optime cruorem inſpiſſat.

11. A *ſepticis*, quæ vulgo hic commendantur, cavendum eſt, præcipitem enim ſæpius efficiunt inflammationem.

12. Conſilium illud de *arteriis* forcipe arripiendis & *ligandis* facilius quidem datur, quam in actum deducitur; quod ſi vero artificis dexteritate præſtari poſſit, tum hæc operatio reliquos ſanguinem compeſcendi modos & præſtantia & ſecuritate ſuperat.

13. Commendantur hinc inde remedia ad inhibendum ſphacelum, e. g. in A. N. C. refertur, quod ruſticus ſphacelum curaverit *liquore braſſicæ muriaticæ*, mit ſauer-Kraut Laacke. Alibi recenſetur, quod ſphacelus, poſt venenoſum ſerpentis ictum in pede ortus, ſublatus fuerit per *pedis in terram immiſſionem*; quod remedium experientia confirmatum eſt.

14. Notabilis eſt obſervatio *Riverii*, ubi ſphacelus in manu exortus, per *profundam ſcarificationem* & *oleum ſulphuris per campanam* fuit inhibitus.

15. Sunt, qui *decoctum mucilaginoſum radicis filicis* adhiberi jubent in ſphacelo incipiente. Videtur, quod hæc commentatio ſuperſtructa ſit *pathologiæ verminoſæ*, quam *Kircherus* & *Langius* de ſphacelo fovent. Habet enim hæc planta efficaciam inhibendi geneſin vermino-

minoſam. Vxor, cujus brachium jam amputari debuerit, reſtituta dicitur *cepis albis* aſſatis & calide impoſitis.

16. Non ſemper autem expedit & licet talia experiri. Sphacelus enim longum tempus non permittit, ſed cito progreditur, & quando talia non juvant, corruptio interea prævaleſcit. Hinc conſultius eſt legitima methodo incedere.

17. *Adſtringentia* in metu ſphaceli *eminus* adhiberi ſolent, ne affluxus nimius fiat, & corruptio augeatur; quemadmodum leniſſime ſubadſtringentes farinæ, e. g. fabarum, lupinorum, in inflammationibus adhibentur. Vbi autem ſphacelus jam vere adeſt, ibi nihil præſtant.

18. *Analeptica* experientia ſe commendant, quod ad vitalem influxum, in & circa partes revocandum, utiliter adhibeantur. Fruſtra autem omnia illa ſunt, quæ minus gratum odorem & ſaporem habent. Certiſſimum hinc eſt, quod ſi *formulas analepticas* ſine *aqua cinnamomi, flor. aurant.* & *citri* aut *horum tinctura* præſcribamus, reliquæ utplurimum nihil præſtent; quidquid dicatur de *aqua ceraſor. nigror. rubi idæi, flor. acac.*

19. Omnibus autem palmam præripit *aqua cinnamomi*, quæ uti grata & accepta omnibus eſt hominibus, longe pauciſſimis exceptis, ita præ aliis alacritatem naturæ excitat, & influxum vitalem revocat.

20. Si quid usquam ſphacelum ſiſtere deprehenſum eſt, facit ſane hoc *oleum cinnamomi*, exterius parti affectæ adplicatum. Notum eſt, quod in ſenibus, viribus exhauſtis, operæ pretium fecerit, e. g. in vetula ſphacelum, herniæ ſupervenientem, in tantum cohibuit, ut nova ſubſtantia muſculoſarum partium naſceretur. *Generoſum* ſane, ſed etiam, quod dolendum, *pretioſum* eſt remedium. Vnde pauperes utplurimum illo privantur.

21. Imperita *deligatio* graviorum *contuſionum* cum *fractura oſſium* aut *hæmorrhagia* feroci; item *compreſſio* fortis & diuturna per *aſſeres* & *ſplenia* ſphacelum ſæpius inducunt, quod vulgata loquendi formula ſuffocationi partis imputant, erſtickte Schäden. Hinc ab his imperitis actionibus & aliis ligaturis, quæ interceptionem influxus vitalis efficere poſſunt, abſtinendum.

22. *Specifice* etiam in ſphacelo laudari ſolent *ſanguis talpæ, pix navalis*, & illa piceo-ungvinoſa ſubſtantia, quæ curribus illinendis diu adhibita fuit, & aliquid de marte aſſumſit, german. Wagen-Schmeer.

TABVLA XI.
DE
AMBVSTIONIBVS.

1. DIFFERENTIA.

1. *Ambuſtiones* differunt ratione *cauſarum*, quarum reſpectu ſunt
   1) Vel *ſiccæ*, quæ per ignem, e. g. per carbones, flammam, metal la candentia fuſa, fulmen, pulverem pyreum incenſum, con tingunt, & *corrugatione* ſtructuram partium lædunt.
   2) Vel *humidæ*, quæ humidis, liquidis & fluidis ſubſtantiis, v. g aqua, oleis, cera, gummatibus fervidis, axungiis, picibus, pin guedinibus, committuntur, & *relaxatione* partes enervant.
2. Ambuſtiones differunt ratione *gradus*, cujus intuitu ſunt
   1) Vel *leviores* & magis ſuperficiales.
   2) Vel *profundiores*, quæ longe graviora ſymptomata inducunt.
3. Differentiam *gradus* conſtituunt etiam ſubſtantiæ illæ, per quas am buſtiones factæ ſunt. e. g.
   1) *Siccæ* ambuſtiones graviores ſunt, quam *humidæ*.
   2) Ex *ſiccis* vehementiſſime urit & omnium maxime penetrat *fu men*.
   3) Huic ordine ſuccedunt *metalla* candentia & fuſa, flamma, pulvi nitri, ex anguſtiis emiſſus.
   4) Sequuntur *pinguia* & *oleoſa* incenſa, e. g. butyrum, axungiæ, pi ces, & reſinoſa quæcunque fervida.
   5) Mitiſſime agunt liquefacta & aqua fervida.
4. Ceterum *tres* illi *gradus* ambuſtionis, quos auctores vulgo ſtatuunt, i *quinque* ab aliis dividuntur:
   1) *Primus* gradus dicitur, quando ſuperficies læſa eſt ſine intenſ rubore.
   2) *Secundus* gradus exhibet notabilem *dolorem*, exquiſitum *rubore* & *puſtulas*.
   3) *Tertius* gradus eo momento, quo ignis ſe exſerit, puſtul producit cum dolore pulſatili, tenſivo, inflammatione, exu ceratione.

4) *Quartus* gradus ingentem fibrarum ſtragem, cutem corrugantem, a carne ſeparatam & quaſi aſſatam offert, & ex *eſchara* ſuperinducta dignoſcitur.

5) *Quintus* gradus vocatur, quando ignis altius penetrat, & ſubjectas membranas, vaſa, nervos, adurit; id quod ſymptomatum vehementia, membri contractura, ſummus dolor inflammatorius & *eſchara nigricans* manifeſtant.

II. *SIGNA.*

Hæc pateſcunt ex iis, quæ ſub *differentia* dicta ſunt.

III. *CAVSÆ.*

Has itidem ſub *differentia* jam indicavimus.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Corruptio ex ambuſtione orta, tendit in *gangrænam* & *ſphacelum*, ita tamen, ut non adeo prompte & præceps in talem corruptionem ruat, ſed potius in ſubjectis, præcipue cacochymicis, ulcerationes manantes, ſalino-colliquativas, producat.

2. Imminet autem illud periculum corruptionis *gangrænodeæ*, & ſucceſſive *ſphaceloſæ*, quam maxime in vicinia, ſi ambuſtiones negligenter tractentur.

3 Quo profundiores ſunt aduſtiones, quales ſunt *quarti* & *quinti gradus*, eo periculoſiores exſiſtunt. Ejusdem cenſus ſunt, quæ a fulmine inducuntur. Teſtantur tamen auctores, quod fulmine tacti ſint reſtituti:

4. Sic etiam *pudendorum* ambuſtiones maximum periculum involvunt.

5. *Univerſalis* ambuſtio periculoſior eſt *particulari*, licet hæc gravior & profundior quam illa exſiſtat.

6. In *nervorum* & *tendinum* ambuſtionibus *contractura* & *aridura* metuenda ſunt. Oculorum ambuſtio, etiam leviſſima, cæcitatem inducere poteſt. Vid. *Hildanus de ambuſtionibus.*

7. Quo citius pars adduſta *ſuppurat*, & quo promtius *eſchara* decidit, eo celerius exſtirpatur malum, & contra.

8. *Scorbutici* & *cacochymici* difficilem reddunt ambuſtionis curationem.

9. Ignis actio in notabili ambuſtione creſcit in nonum diem, & deinde minuitur. Vid. *Valeſius de Taranta in philon. chirurg. Cap. XXII.*

10. Pars ambuſta, quando dolorem remittit & ſenſum, ſphaceli metus eſt.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quoniam in ambuſtionibus vehemens *corrugatio* & *exſiccatio* quaſi contingere ſolet, inprimis ſi igne *actuali* aduſtio facta ſit, commendantur ad talem ariditatem *emollientia*, non quidem ſimpliciter talia, ſed cum *acrimonia* quadam diſcutiente ſeu diſſipante prædita, ne ob qualemcunque emolliendi effectum nimia humorum affuſio ſequatur. Hac ratione dolores ſimul demulcentur.

2. Indicationes ſequentibus vulgo verbis exprimunt; commendant nempe
   1) *Empyreuma* extrahendum.
   2) Parti immediate affectæ *maturantia abſtergentia*, & ſenſum leniter *ſopientia* imponenda.
   3) Parti vero ambienti *defenſiva* applicanda.
   4) Denique facta maturatione, *ſarcotica* adhibenda.

3. Vnde primum *empyreumatis* exſtinctio reſpiciatur; cui deſtinantur ſequentia:
   1) Admotio partis ambuſtæ ad *calorem*. Hoc notiſſimum remedium, mature adhibitum, in levioribus uſtionibus non negligendum eſt, & convenientiam habet cum partibus refrigeratis, quæ frigidæ immittuntur aquæ. Sub initium paululum remotius, & ſucceſſive propius calori pars affecta admovetur. Diſſipatur etiam hoc modo affluxus. Conducit etiam *fotus calidus*, fibras relaxando.
   2) *Acriuſcula*, ſimul tamen *emollientia*, e. g.
      a) *Cepæ*, quæ præ reliquis eminent, v. g. *coctæ* & cum *ſale* contuſæ, aut cum melle & oleo lilior. alb. pauca quantitate ſubactæ, vel ſub cineribus leviter *aſſatæ*, ita ut molleſcant quidem, non vero totam acrimoniam amittant, & mucida lubricitas colliquetur. Item *ſuccus ceparum* per linteum transpreſſus & applicatus; vel ipſæ etiam *recentes cepæ*.
      b) *Cera citrina* cum ſucco ceparum vel ipſis cepis aſſatis commixta.
      c) *Calx viva* cum *albumine ovi*, vel *ſpermate ranarum*, vel utrisque, ſubacta & applicata.
      d) *Sapo* communis.

e) Ex-

e) Excrementa animalium volatilium, quæ *nitroſo ſalinis* particulis prædita ſunt e. g. *columbina*, vel quæ mitiora ſunt, *gallinacea*.

f) Imo ipſum *nitrum* ambuſtis partibus commode adhibetur, vel aliis formulis miſcetur. Senſum doloris etiam demulcet.

g) *Pulvis pyrius* in hoc affectu *euporiſton* nominari meretur, & inprimis ratione *ſulphuris* admixti affluxum potenter repellit.

h) Vulgus *atramentum* ſcriptorium adhibet, quod ob adſtringentem *vitrioli* & gallarum efficaciam affluxum itidem mitigat.

Hæc omnia juvant, ut portio corrugata citius a ſubjacente molliori ſecedere poſſit, nimius affluxus, in ſtaſin ruens, ſi uxilis reddatur & ob leniſſimam ſtimulationem motus tonicus in parte vivida conſervetur.

4. Deinde parti immediate affectæ imponantur *maturantia*, *emollientia*, *lenientia*, ſenſum ardoris *demulcentia*. e. g.

1) *Oleoſa*, nempe oleum lilior. alb. lini, rapar. amygd. dulc. ovorum.

2) *Albumen* & *vitellum ovi*.

3) *Mellita* & alia *digeſtiva*.

4) Poſſunt hæc miſceri cum *nitro*.

5) Imo paucisſimam quantitatem *ceruſſæ albæ* oleis ejusmodi adjicere præſtat.

6) Conveniunt etiam *mucilagines*, e. g. parari poteſt *linimentum* e ſemin. cydon. pſyll. oleo lini, albumine ovi, momento nitri & ceruſſæ.

7) Reliqua videantur ſub *cautelis*.

5. Parti vero ambienti *defenſiva* applicentur, e. g.

1) Spiritus vini camphoratus crocatus.

2) *Epithemata* leniter adſtringentia ex *herbis* ſymphyt. agrimon. pyloſellæ, alchimillæ, floribus roſar. parata.

3) *Emplaſtrum* de *minio*, ſaponatum *Barbette* camphorat.

4) Imo ipſum *atramentum*, ſuperius jam commendatum. Conf. *cautel.* 10.

6. Veſiculæ num & quando aperiendæ vel ſibi relinquendæ ſint, ſub *cautelis* dicemus.
7. Denique ad *ſarcoſin* & *conſolidationem* promovendam adhibeatur unguentum e myrrha, oleo ovorum & ceræ paratum.
8. *Interne* non ſunt neceſſaria medicamenta, niſi in *graviore* ambuſtione; quo caſu nitroſa cum abſorbentibus & antimoniatis fixis conveniunt.
9. De ambuſtis *oculis* & *articulationibus* ſub *cautelis* quædam adjiciemus.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In ambuſtionibus *oculorum* conducunt aqua roſarum, mucilagines flor. chamomill. lac recens, albumen ovi & pauxillum croci. Quod ſi etiam dolor aliquantiſper mitigatus fuerit, lene exſiccans e ceruſſa alba præparata adhibeatur. *Acriora* e. g. cepæ, ſapo, ſal, plane hic omittantur.
2. Hæc lenientia etiam conducunt, ſi *facies* granis pulveris tormentarii conſpurcata ſit, ita, ut ſponte excidant. Effodere autem illa non convenit, diffringuntur enim, & eo profundius cuti ſeſe inſinuant.
3. *Facies* ardore ſolis combuſta *lacte virginis* vel ſpiritu vini camphorato inungatur.
4. Ambuſtiones circa *articulationes* & *ligamenta* requirunt
   1) In *ambitu* olea lumbric. terreſtr. ſerpill. lilior. albor. cum pauxillo camphoræ remixta.
   2) In *parte* autem *affecta* epithemata nervina, myrrh. thus, oleum lini, mucilag. ſemin. cydon. &, quæ pro conſolidatione conducunt, oleum ceræ & ovorum ſupra eſcharam.
   3) Quando infra eſcharam ambuſtio adhuc dolet, imponatur emplaſtr. *diapalmar.* cum oleis lenientibus. Alias emplaſtra in parte affecta non conducunt, niſi primis initiis adhibeantur.
5. Simplex quidem, ſed ſatis efficax, eſt *compoſitum mulierc ularum* e partibus duabus butyri non ſaliti, aut a ſale iterum liberati, & e parte una ceræ flavæ. Hæc colliqueſcant leniter, addatur panis ſecalini proportionata quantitas, & ita frixentur, donec ſpumeſcere & humiditatem exhalare deſinant. Poſtea transprimantur per linteum. Hoc *linimentum* ad ambuſta tam exigne, quam aqua fervida, con-

conducit. Egregie enim demulcet & temperat ardores, promovet etiam, ſi quid excoriatum fuerit, reſtaurationem.

6. Sic etiam efficax eſt *unguentum ex ovo, ol. lil. alb. butyro* non ſalito, *cera, mica panis. ol. raparum.* Conf. etiam quæ *Barbette* in chirurgia ſua de *militis* cujusdam *remedio* recenſet.

7. Unguenta talia oleoſa proſunt etiam in graviore ambuſtione, potentioris autem fiunt effectus, ſi loco olei *olivarum* adhibeatur oleum *lini*, quod egregie demulcet & emollit.

8. De *apertione veſicularum* diſſentiunt auctores. Quidam metuunt profundas ſub illis ulcerationes, & hinc ſtatim illas incidunt. Sed ægro melius conſulitur, quando *non aperiuntur*; ardentes enim dolores excitantur. Locum hoc habet in minoribus, numero paucis, a ſe invicem paululum diſtantibus. Quando autem veſica magna adeſt, vel multæ minores in unam coeunt, tum ad limbum mature reſcindantur, & deinde unguentum aliquod ſuperius deſcriptum applicetur. Sin ſecus in corruptionem abit humor, & ob ingentem ardorem affluxus augetur atque partis ſphacelationem minatur.

9. *Camphora* ad partem ſanam vicinam & largiter quidem adhibita, egregium habet uſum; inprimis ſi magna ſit ambuſtio. In ipſa autem parte affecta non placet, quamquam cum unguentis oleoſis & pinguibus remixta & ſubacta ſit.

10. Partem circumjacentem tractant quidam per *adſtringentia epithemata*, vel *atramentum* imponunt; quæ locum habent, quamdiu materia eſt affluens; quando autem jam hæret, nullum uſum habent adſtringentia. Nam tenuiores partes repellunt, craſſiores relinquunt, & ita noxam creant. Hinc ab intempeſtivo tardo uſu abſtinendum.

11. Ab uſu *ſepticorum* cavendum, & per commendata emollientia eo potius tentandum eſt, ut id, quod uno impetu ignis corruptum, ſucceſſiva colliquatione abſcedat, aut, quod in parte ſolida e. g. in cute, a reliqua parte fatiſcit, forfice abſcindatur, reliqua pars defendatur & conſolidetur.

12. *Aquam calcis vivæ* adeo calefacere, ut non ſolum carnem, verum etiam nervos & juncturas contrahat, teſtatur *Hildanus* L. I. de *ambuſtionibus*. Hinc conducit ipſam calcem cum oleoſis & pinguibus temperare.

13. Pes-

13. Pesſimo conſilio *veteres*, ad empyrevma in omni ambuſtione reſpicientes, id calore externo extrahere, poſtea actu frigidis terreſtribus adſtringentibus bolis exſtinguere conati ſunt.
14. Encheireſin *Hildani* ratione *telæ* ſubtiliſſimæ vide apud auctorem *libro de combuſtionibus cap. 7.*
15. *Omnibonus Ferrarius* de art. med. libr. IV. c. 25. ſequens linimentum efficax deprehendit: Recip. album. ov. num. ij olei roſar. unc. ij aquæ roſar. unc. I. M. Panniculum album ſericum hoc linimento madefactum imponit, nec ante ſanationem removet. Quarto die loco *albuminis* ovi ſumitur *vitellus*. Quando nova cuticula apparet, forfice panniculum de die in diem abſcindit.
16. Ambuſtiones *nniverſales* non ſunt vilipendendæ, licet leves ſint. Nam quia conſtrictio univerſalis contingit, trauſpiratio impeditur, & commotiones febriles inducuntur. Præter interna alexipharmaca temperata & pulveres nitroſo-abſorbentes, *externe* totum corpus pannis raræ texturæ involvendum, per quod tam materia quam medicamina penetrent, ne frequente linteorum mutatione, & cutis denudatione inſignes cruciatus excitentur.
17. *Coalitio* cum partibus *vicinis*, natura tamen ſejunctis, prohibetur laminæ plumbeæ interpoſitione.

TABULA XII.

DE

PERNIONIBUS.

I. DEFINITIO.

Perniones ſunt extumeſcentiæ præter naturales, plus minus inflammatoriæ, in extremitatibus artuum præcipue provenientes, & ab inſigni refrigeratione ortum ducentes. Germ. erfrorne Glieder.

II. DIFFERENTIA.

Perniones ſuos habent *gradus*.

1. Vel

1. Vel enim ſimplices tantum extumeſcentiæ leviter inflammatoriæ adſunt ſine inſigni ardore.
2. Vel *fiſſuræ* in parte affecta eveniunt, e quibus ſerum flaveſcens, leniter cruentum, effluit, & ſi profundius viſitentur, ſincerus ſanguis effluit; aut *veſiculæ*, uti in *ambuſtionibus*, cum majore tumore inflammatorio pallido rubicundi coloris.
3. Vel veræ *ulcerationes*, aut plane *putridæ* corruptiones emergunt.

III. *SIGNA.*

1. Accedit ſub initium hujus adfectus *tumor*, non valde inflammatorius, ſed dilute rubens.
2. Poſtmodum, ſi humores diutius ſtagnent, ſucceſſive partes magis intumeſcunt, dolent & inflammantur, deinde ſuperficialis ſuccedit *deſiccatio*, indeque naſcuntur *fiſſuræ*, ſtriis lividis nigro-rubentibus interſperſæ.
3. Quando *mediocres* ſunt perniones, *ſenſus* obſervatur tantum prurigino ſus & obtuſus. *Vehementiores* autem perniones vibratilem & ſubtiliter fremebundum ſenſum inferunt, atque pars affecta ad *motum* ineptior obſervatur.
4. In *corruptionem* quando perniones abeunt, fit illa non perfecte *ſphacelo-ſa* (niſi quidem graviores ſint ac *profundiores* tales perniones, qui ſanguinem ſtricte dictum majore copia coagulant, inſuper citiſſime calefacientibus tractetur) ſed ad *cancroſam* indolem accedit.
5. Nam quando fibris & tubulis major injuria infertur ab infarctu humorum, tunc penitus abeunt in ulcerationem. Et hæc familiarior eſt, quam ſphaceloſa corruptio.

IV. *CAUSAE.*

1. Pernionum unica cauſa eſt *refrigeratio*, quæ ſi levior ſit, lymphatico-ſeroſos humores, cum exigua tamen portione ſanguinis remixtos, in ſuperficie coagulat; ſi vero gravior, tunc ipſum ſanguinem majore portione inſpiſſat. Unde priore modo facile *ulcerationes*, eæque ſubinde *cancroſæ*, poſteriore autem *ſphaceloſæ* interdum corruptiones eveniunt.
2. Præter hanc coagulationem, quam frigus *fluidis* partibus inducit, in *ſolidis* tonum debilitat, licet ſub initium rigorem magis quam relaxationem inferre videatur.
3. Unde fit, ut debilitatæ partes affluentibus humoribus reſiſtere non poſſint, atque hac ratione ſtaſis præſens non ſolum non diſcutiatur, ſed & augeatur.

4. Hic ſimplex agendi modus, quo frigori in partibus fluidis efficaciam *coagulantem*, in ſolidis autem *enervantem* adſcribimus, plus veritatis habet, quam ſubtiles illæ ſpeculationes, quas de *particulis volatilibus* & *ſulphureis*, per frigus in particulas falſo-coagulatas abeuntibus, poris ſe ſe inſinuantibus, venulas comprimentibus &c. pathologi fovent.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Perniones leviores* per ſe nihil quidem periculi inferunt, hoc tamen habent incommodi, ut ingruente frigore facile & quaſi ordinarie repullulent, nedum ſi eadem pars, antea hoc malo correpta, frigori de novo exponatur.
2. Quo ſæpius autem *recrudeſcunt* perniones, eo pertinacius ſe gerunt eoque facilius in ulcerationem vel plane ſphacelum abeunt.
3. Sub *ſignis* ex parte jam dictum eſt, quod corruptio pernionum plerumque eveniat *ulceroſo-cancroſa*, raro autem *ſphaceloſa*, niſi quidem profundior ſit refrigeratio, ſanguinem ſtricte dictum magis coagulans, vel incongrue tractetur, e. g. quando perniones calori mox admoventur, vel aliis calefacientibus remediis foventur. Ad minimum hac ratione *fiſſuræ* producuntur.

VI. *METHODUS MEDENDI ET MEDIA.*

1. Ante omnia pars affecta *nivi* vel *aquæ*, non adeo intenſe frigidæ, tam diu immergatur, donec refrigerata illa pars ſenſum frigoris ſucceſſive percipiat. Vulgo dicunt: man muß den Froſt heraus ziehen, rectius autem: man muß das Gefühl und mit hin die Bewegung in dem erfrornen Theil wieder erwecken.
2. Deinde membrum affectum aliquamdiu *fricetur* ſive excutia ſive linteis aſperioribus.
3. Poſtea in *ſuperficialibus* & *levibus* pernionibus ad humores coagulatos reſolvendos efficacia reſolventia adhibeantur, quæ non ſolum læſionem ſanguinis ſuccurrant, ſed & ipſum ſerum fundant & colliquent. Laudantur in hunc finem *olea* paululum *acria*, & *ſulphurea*, e. g. oleum petr., oleum colophon. terebinth. templin. balſ. ſulphur. lixivia ſulphurata. *Conf. cautelæ.*
4. Quando autem *profundiores* ſunt ſtaſtes & *fiſſuræ* accedunt, tunc acria exulent, & illa remedia lenientia uſum habeant, quæ *tabula de ambuſtionibus* commendavimus. Proſunt præcipue ſequentia.

1) *Rapæ* imprimis gelu colliquatæ cum butyro non ſalito, vel cum cera citrina in linimentum redactæ atque applicatæ. Loco butyri adhiberi quoque poſſunt ol. lil. alb. adeps anſerin. pinquedo cati ſylveſtr.
2) *Rapæ* recentes cum *ovo* & parca doſi *myrrhæ* contuſæ.
3) Oleum *lini* cum *oleo ovorum*.
4) Oleum *myrrhæ per deliquium*.
5) *Sedum vermiculare minus* conquaſſatum & applicatum.
6) *Poma putrida*.

5. Quod ſi vero *ulcera* e fiſſuris propullulent & corruptionem ulteriorem inducant, tunc ſubſtantiæ illæ veluti emortuæ ſeparandæ ſunt per remedia *ſeptica*, provide & modeſte applicata, e. g. per unguent. Apoſtol. Ægyptiac. vel nonnunquam per *ſectionem*.

6. Facta corruptæ partis ablatione *mundificantia* adhibenda ſunt, præcipue myrrhata e. g. *oleum myrrh.* per deliquium, cum *oleo ovorum* remixtum.

7. *Ambitus* autem circa tales fiſſuras & ulcerationes ſpiritu vini camphorato, leniter crocato, illinatur, atque ita ab ulteriori ſtaſi & corruptione pars affecta defendatur.

8. Ad dolores, qui poſt *annua intervalla* recurrere ſolent, mitigandos laudatur oleum petræ cum pauco oleo liliorum alb. temperatum, item ſpiritus vini camph. crocatus.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Olea acria* e. g. petræ, terebinth. item *ſulphurata*, quando in gravioribus pernionum ſtaſibus adhibentur, inflammatorius affluxus & ſenſus iisdem augetur.

2. Alias *oleum petræ*, quod levi ſulphurea ſubſtantia imbutum eſt, penetrantem efficaciam adverſus ulceroſam ſtaſin exhibet.

3. *Oleum terebinthinæ* hic cedit oleo *petræ*, uti *balſ. ſulphuris oleo colophon*.

4. Perniones *vetuſti*, ſeu partes olim gelatæ, quando ſenſum, formicarum inſtar, vel fremitum exhibent, tunc tempus eſt oleum petræ adhibere.

5. *Frictiones* cum excutiis, ſetaceis, proficuæ ſunt in caſibus recentibus. Nam non tantum *reſolutio* humorum, verum etiam *criſpatio* fibrarum excitatur, & ita reſtrictio tonica revocatur. Fugiatur autem vehemens frictio ad repentinam incaleſcentiam.

6. Sic etiam conducit *motus corporis*, qui naturaliter quasi stagnantes humores discerpit & resolvit, contra ubi stasis sine tali motu relinquitur, & ita otiosa veluti est, ibi maximum parit incommodum.
7. *Interna* remedia hic non sunt necessaria, nisi individualis dyscrasia humorum corrigenda sit.

TABVLA XIII.
DE
ANEVRYSMATE.

I. *DEFINITIO.*

Anevrysma est tumor præternaturalis plus minus pulsans, contingens in arteria quadam, & vel a collectione sanguinis intra tunicam illius interiorem, vel ab hujus ex læsa arteria in partes incumbentes effusione originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

Anevrysmatis *duæ species* reperiuntur,

1. *Prima* est, quando tumor *intra arteriam* subsistit, & vel a simplice *dilatatione* cujusdam arteriæ originem sumit (nempe sanguis, læsis exterioribus, intra tunicam interiorem musculosam adhuc detinetur, atque sacculum format) vel tunicas exteriores, vasculosam & cellulosam, læsa interiore (quod vero rarissime contingit) extendit & ita tumorem efficit. Hanc speciem anevrysma *verum* appellare solent.
2. *Altera* est, quando sanguis post arteriæ læsionem in partium incumbentium interstitia effunditur & ita tumor *extra* arteriam subsistit; quam speciem anevrysma *spurium* vocant.
3. Solent etiam distinguere anevrysma in *externum* & *internum*. Observarunt enim curiosi anatomici tumorem talem arteriarum in partibus corporis *internis*, & hunc ab erosione & ulceratione derivarunt. Quoniam autem tale anevrysma neque cognosci neque curari potest, distinctio illa usum practicum non suppeditat,

4. Ma

4. Majoris vero uſus eſt diſtinctio inter anevryſma *ſimplex* & *complicatum*. Simplex dicitur, quod neque in ſe corruptionem contraxit, neque cum vicinis partibus eandem communicavit. Complicatum vero audit, in quo ſanguis jam corruptus eſt & vicinas partes putredine adfecit.

5. Vſum practicum etiam ſuppeditat diſtinctio anevryſmatis, quod vel *minorem* vel *majorem ramum* occupat. Illud enim facilius ſanatur; hoc autem vel difficillime vel nunquam ſanationem admittit.

III. *SIGNA.*

1. Anevryſma *verum* exhibet ſub initium *tumorem* minorem, qui ſenſim in molem excreſcit ad pugni & majorem magnitudinem.

2. Mollis eſt tumor ille & preſſioni cedit digitorum; hiſce autem remotis recurrit. Nam ſanguis in ordinarios vaſis alveolos ſeſe recipit. De reliquo pulſui anevryſma, quando minus eſt, notabiliter reſpondet. *Color* eſt ſub initium in cute naturalis.

3. Superveniunt denique *dolor inflammatorius*, durities, ardor, commotiones febriles.

4. Immo nonnunquam convulſiones accedunt.

5. In *ſpurio* anevryſmate pulſus arteriæ etiam, ſed non ita notabiliter, ſentiendus eſt. *Color* interdum in cute livorem refert. *Tumor* majorem quidem expanſionem, ſed minorem elevationem & rotunditatem exhibet, neque preſſioni tam facile cedit, uti *verum* anevryſma. Ceterum *dolor* ſentitur ob ſanguinem extravaſatum, vicinas partes dilatantem. *Durities* major eſt, quam in vero. Preſſus tumor vix cedit, quia ſanguis in vaſa redire non poteſt.

IV. *CAVSÆ.*

1. Anevryſma *verum* a *dilatatione* arteriæ dependet.

2. Cauſam autem hujus dilatationis erronee communiſſime inde derivant, ſi poſt arteriam inciſam tunicæ externæ citius conſolidentur, aut interior tunica rumpatur, ut ita ejusmodi protuberantia in exterioribus tunicis naſcatur. Alias leviores cauſas tacemus, e quibus vulgo derivant hanc rariſſimam dilatationem.

3. Contrario potius modo res ſe habent, nempe quando poſt arteriam læſam *interior* tunica vel plane non tacta eſt, vel cito conſolidatur, exteriores autem patulæ manent. Unde tunica *interna*, appulſui ſanguinis non ſufficiens, relaxatur, extenditur & per vaſculum reliquum apertum protuberat.

4. Anevryſma *ſpurium* utplurimum dependet ab arteriæ ſolutione per *inciſionem*, e. g. *arteriotomiam*, non ſatis diu & fortiter plumbo compreſſam & ligatam, *punctura*m, *ſclopetorum violentiam*, inducta. Vnde ſanguis in partium mollium interſtitia effuſus, talem tumorem format.
5. Rariſſime ab *eroſione* humorum acrium anevryſma occurrit.
6. Et ſic anevryſma utrinque eſt tumor ſanguineus, ita tamen differens, ut *verum* intra arteriam ſubſiſtat & cum reliquo ſanguine arterioſo aliquam adhuc connexionem habeat, in *ſpurio* autem extra arteriam ſanguis conſtitutus ſit, & illam relinquat apertam.

V. *PROGNOSIS.*

1. Anevryſma *verum*, non adeo magnum, id eſt ſaccatus ille tumor, tam præſentaneum periculum non infert. Appulſus enim floridi ſanguinis corruptionem ad tempus intercipere poteſt. Rationi etiam conſentaneum eſt, quod *dilatata* arteria facilius, quam *rupta*, curam admittat.
2. Quando autem diutius jam perſtitit, & inſuper in majorem molem tumor ille ſaccatus increbuit, ita ut repellentibus & adſtringentibus diſcuti non poſſit, ſanguis in ſacco tali detentus abit in coagulum.
3. Hoc coagulum, licet per ſanguinem præterfluentem arterioſum aliquamdiu a corruptione *putredinoſa* defendatur, non deficit tamen qualiscunque corruptela ſalſo-acris, quæ ipſam ſubinde tunicam arrodit.
4. Imo licet coagulatus ille ſanguis per dextram & artificioſam ſacci *inciſionem* removeri poſſit, eſt tamen periculoſa, tædioſa, &, præcipue ratione hæmorrhagiæ ſiſtendæ, multas circumſpectiones exposcens, imo difficillima omnium operatio. Et ſane ſi *bubonem peſtilentem* excipiamus, vix reperietur tumor, qui majus periculum adferat, quam *anevryſma*, præcipue in vaſis majoribus.
5. Anevryſma *ſpurium* majus periculum involuit. Facile enim ſanguis extravaſatus, niſi tempeſtive & efficaciter ſuccurratur, ad inſignem non ſolum molem excreſcit, (*videatur Severin. part. II. item Purmannus.*) verum etiam celeriter in corruptionem ſphaceloſam abit. Vnde nonnunquam funeſtum eventum anevryſma ſortitur.

6. Anev-

6. Anevryſma *internum*, de quo præcipue *Ruyſchii obſervat. chirurg.* legendæ ſunt, item *Severinus de recondita abſceſſuum natura*, artis auxilium reſpuit. Nam neque manus chirurgica, neque medicamenta locum habent.
7. Anevryſma *colli* nunquam curatum ſe vidiſſe teſtatur *Barbette*.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Principiis obſtare*, quam maximum hic habet locum:
2. Hinc in anevryſmate *vero*, eoque incipiente, convenit exiguum ſubnaſcentem tumorem quantocyus reprimere; id quod obtinetur
   1) Per peculiaria *inſtrumenta*, quæ ad hoc negotium inventa ſunt, e. g. per *faſciam Burdeloti*, *Ponton* dictam, diu applicatam.
   2) Per *emplaſtra adſtringentia* e ſuccis agrimon. ſanicul. pyrol. alchimill. tormentill. biſtort. millefol. hyperic. ſymphyt. & terra catechu parata. Cum hisce adſtringentibus alternando conjungi poſſunt *reſolventia*, *diſcutientia*, & lenia *nervina*, e. g. per emplaſtra de ſpermate ceti, ranarum, diaphoreticum *Mynſichti*, de minio, omnia largiter camphorata.
   3) Per *laminam plumbeam*, ejusmodi emplaſtro impoſitam, & moderata continua compreſſione ſuffultam.
3. Et licet repreſſio ſanguinis e ſacculo in arteriam ad vota ſucceſſerit, id quod tumor diſparens docet, congrua tamen compreſſio deligatoria, cum lamina plumbea & adſtringente quodam emplaſtro prædita, tamdiu continuanda eſt, donec ſufficiens denſitas confirmata ſit. Vid. *Hildanus*.
4. Quando autem anevryſma in majorem molem jam excrevit atque vel ruptionem periculoſam vel corruptionem putredinoſam minatur, *operatio* neceſſaria & ſequente modo inſtituenda eſt.
   1) Arteria inter cor & affectum locum convenienter comprimitur, & quidem commode inſtrumento illo, quod *tourniquet* appellatur.
   2) Deinde *cutis* per univerſum anevryſmatis tractum inciditur, ipſum autem anevryſma non tangitur.
   3) Arteriæ truncus circumſpecte quæritur, a nervo adjacente ſeparatur, & tam ſupra bis, quam etiam infra tumorem *ligatur*. Hæc

res

res non eſt arbitrii ſed neceſſitatis. Qui contrarium ſuadent, graviter impingunt.

4) Poſtea vulnus, ut moris eſt, plumaceolis ſpiritu vini rectificatiſſimo vel alio conveniente remedio imbutis, impletur, tum emplaſtro nervino & ſpleniis, nec non faſcia, ad hunc uſum apta, firmatur. Exſciſſionem autem ſacci experientia diſſuadet. Ligaturæ enim decidunt & nova hæmorrhagia exoritur.

5. Peripheria autem discutientibus defenditur, ne inflammatio & corruptio ſphaceloſa accedant.

6. De aliis operandi modis ſub *cautelis* dicemus.

5. Ante, quam operatio ſuſcipitur, convenit corpus exonerare.

1) A ſaburra primarum viarum per blande aliquod purgans.

2) Ab ipſa ſanguinis abundantia, ſi præſto ſit, & anevryſma aliquot menſes jam duraverit, per *venæ ſectionem*.

3) Ab humorum acriorum vitio per temperantia & antimonialia fixa.

4) Hæc corporis præparatio licet non in omnibus neceſſaria ſit, in hunc tamen finem commendatur, ne ſub trepidatione & dolore, quæ ſectiones concomitantur, adfluxus ad partem affectam contingat, indeque inflammationes, commotiones febriles & ſpaſmi naſcantur.

6. Anevryſma *ſpurium*, niſi primis ſui initiis præcaveatur, etiam expoſcit *operationem*.

1) Præmittuntur autem æque ac in *vero* anevryſmate præparationes corporis per interna remedia.

2) Deinde arteria inter cor & partem affectam comprimitur.

3) Poſtea pars affecta ſectione aperitur, atque ſanguis ibidem effuſus & coagulatus evacuatur.

4) Arteria læſa, quacunque fieri poteſt ratione, optime autem ligatura firmatur.

5) Portio, quæ ſanguine extravaſato diſtenſa fuit, decoctis travmaticis mundificatur & balſamicis conſolidatur.

6. In ambitu autem defenſiva discutientia applicantur.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ad *ſuppurationem* anevryſmata adducere, eſt conatus maxime anceps, & ad bonum effectum difficillime pertingens. Facilius enim in corruptio-

ruptionem gangrænodeo-ſphaceloſam, quam purulentam laudabilem convertuntur. Neque convenit, anevryſmata exigua ad ſuppurationem deducere. *Vera* enim exigua facillime comprimendo ſanantur; in *ſpuriis* autem operatio ancipiti ſuppurationis conatui præfertur. *Conf. num. 3.*

2. Ratio difficultatis patet e pathologia vera inflammationis. Nam hic
   1) *Calor major* non poteſt ſuſcitari, quo partim in vaporem abeant, partim ſubigantur activiora miaſmata putredinoſæ ſubnaſcentis corruptionis.
   2) *Tranſitus ſanguinis* puri fluxilis arterioſi hunc grumum undique alluere, & naſcentes in eadem corruptelas perpetuo & penitus auferre non poteſt.
   3) In inflammationibus partium fibroſarum tonica partis compreſſio plurimum contribuit ad perennem disjectionem fluxilioris corruptelæ; hæc autem tonica compreſſio, præcipue quia pulſus renititur, in anevryſmate deficit.
   4) Exoriens ſuppuratio, præcipue cum acrimonia qualicunque putrilaginoſa conjuncta, hiatum arteriæ facile reddit majorem; id quod conſolidationi adverſatur.
3. Quamvis autem *parvum ſpurium* anevryſma, ubi exitus arteriæ exiguus & locus carnoſior eſt, ſuppurationem aliquo modo admittat, nunquam tamen obtinetur ſincera, & ſine miſcela inſignis corruptionis.
4. *Uſtio* ſeu *cauteriſatio actualis* nihil commodi & ſecuri in receſſu habet in anevryſmatibus, niſi in *ſpuriis*, admodum parvis, vix fabam æquantibus, iisque in locis ſimul *carnoſis*. Nam arterioſa & reliqua vaſa uſtione non tractanda ſunt.
5. Magis autem convenit *ortum* horum anevryſmatum cavere & artificiales *arteriotomias* ſatis diu, fortiter & plumbeo compreſſorio ligatas detinere.
6. *Nicolaus Tulpius* obſervat. med. lib. IV. cap. 16. refert, quod anevryſma ſola preſſione ſanatum fuerit, nempe impoſito emplaſtro adſtringente & ſuper impoſita lamina plumbea, atque arctiore vinculo. Vnde expulſo e tumore ſanguine, & conſtricto convenienter vulneris hiatu, felix arteriæ coalitus ſecutus ſit.

7. *Paulus Ægyneta de re medica libr. VI. c. 37.* commendat, ut duabus acubus hic tumor pertundatur, & ligetur. Sed hoc periculosum consilium a recentioribus merito rejicitur.

8. Monent cordati Chirurgi, ut omnis temeritas, ad hanc operationem sibi soli sumendam, excludatur, & semper fidelis socius assumatur.

9. *Ligatura* arteriæ est quidem optima methodus operationis, dantur autem casus, ubi ob insignem tumorem arteria a reliquis partibus, præcipue a nervo adjacente, non potest separari. Vnde alii operationis modi apud auctores adhuc prostant.

10. Sequens modus operandi vulgatissimus fuit.

1) Applicato instrumento, *tourniquet* dicto, totus anevrysmatis tumor majore lanceola discinditur & sanguis in illo contentus evacuatur.

2) Evacuato sanguine instrumentum illud compressorium paululum relaxatur, & detecta, per sanguinis proventum, arteriæ apertura vel statim constringitur, vel in plethorico statu paululum sanguinis ante stricturam emittitur.

3) Deinde arteriæ apertura remediis stypticis adstringentibus & compressionibus munitur, melius autem, si fieri possit, ligatur.

4) Nonnulli arteriam *infra* aperturam ligare docent, alii autem non necessarium esse ducunt, & *supra* aperturam tantum ligant.

5) Alii arteriam infra ligaturam discindere jubent, ut extremitates melius retrahantur & hæmorrhagia tanto securius impediatur. Alii contrarium suadent, & ab hac arteriæ intra musculosas partes retractione avulsionem potius ligaturæ recte metuunt.

6) Ante quartum diem deligationem non solvunt, & per octo dies noctesque vigilias ministrorum chirurgicorum commendant.

7) In brachio quando anevrysma occurrit, illud durante curatione non nimium flectere convenit, vulnere autem fere curato, id quod duas circiter hebdomadas requirit, modeste moveri potest imo debet, nam si immobile ad plenariam vulneris consolidationem maneat, evenit nonnunquam, ut postea ob rigorem non possit extendi.

11. Nonnulli verſus truncum arteriæ *ſuperiorem* cutim tantum incidunt, arteriam ſeparato nervo detegunt, prope anevryſma ſemel, vel ſi opus ſit, bis ligant. Et quando inſtrumentum compreſſorium, *tourniquet*, relaxatur, ac nullam hæmorrhagiam comitem habet, linteo carpto vulnus explent, comprimunt, ligant, &, ut moris eſt, tractant. Hac methodo anevryſma ipſum non aperitur, ſed ante deligationem leni preſſione ſanguinis verſus inferiora pellitur. Quæ methodus omnium commodiſſima, ſi modo ubique locum haberet, cenſenda eſt.

12. Diſcrepantes hoſce operandi modos paucis repetemus, in unum colligemus, atque conciliabimus.

1) Inſtrumentum compreſſorium, *tourniquet*, ubique præmittitur.

2) Ipſum anevryſma ab aliis ſtatim inciditur, ſanguis evacuatur, arteria remediis ſtyptieis vel ligatura munitur.

3) Alii cutim prius ſolam incidunt, truncos arteriæ ſupra & infra tumorem quærunt, illos utrinque ligant, & deinde demum anevryſma exſcindunt. *Confer. Nuckius experiment. Chirurg. Cap. XXIX.* & *Vaugion. Cap. XIX.* Item *Clericus pag. 116.*

4) Alii enim verſus truncum tantum *ſuperiorem* incidunt, arteriam detectam prope tumorem ligant, ipſum autem anevryſma non aperiunt, ſed leni preſſione ſanguinem collectum verſus inferiora trudunt.

13. In anevryſmate *ſpurio*, per imprudentem venæſectionis adminiſtrationem recenter exorto, ubi ex arteria vulnerata ſanguis copioſe profluit, ille prius ſiſtendus non eſt, quam *ſyncope* emineat. Facta enim tanta ſanguinis imminutione impetus ejusdem facilius coërcetur, arteriæ conſolidatio promovetur & anevryſmatis formatio cavetur.

14. In *vero* anevryſmate *venæſectiones* ad evacuandum & revellendum adhibentur quidem, ſed malum brevi recurrit.

15. Toto curationis tempore quies eſt neceſſaria & conveniens partis ſitus, quo brachium (in quo plerumque reperitur) neque extenſum neque multum inflexum detineri debet. Præter ea pulvinari brachium ita imponatur, ut manus cubito ſit altior, ad ſanguinis circulum promovendum.

16. Caveatur, ne *anevryſma* vel *varix* pro abſceſſu habeantur, & cum vitæ periculo aperiantur.

17. *Conferatur D. D. Lyſthenii diſſertatio inauguralis de anevryſmate.*

TABVLA XIV.

DE VARICIBVS.

I. DEFINITIO.

Varices ſunt extumeſcentiæ ſaccatæ vaſorum *venoſorum* circa valvulas ſeu divaricationes eorundem, vel etiam circa integrum quendam illorum tractum.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Varices dependent

1) Modo a cauſa *activa*, nempe a pura congeſtione ſanguinis, & hi cum hæmorrhoidibus, præcipue externis, & cum motibus ſpaſticis partium inferiorum colludunt.

2) Modo a cauſa *paſſiva*, quales ab impedito ſanguinis refluxu intra valvulas venarum originem ſumunt. Hujus cenſus ſunt varices *gravidarum*, non quidem omnes, ſed qui a pondere uteri, venas iliacas prementis, dependent, & recurſum ſanguinis in venam cavam impediunt. Priores varices *veros*, poſteriores autem *ſpurios* nonnulli appellant.

2. *Varix ſpurius* ab *anevryſmate ſpurio* discernitur præcipue pulſatione & doloribus. Varices enim ordinarie non pulſant, plerumque autem habent dolorem, modo ardentem, modo eximie ad lancinationem usque tendentem. Conf. *ſigna.*

III. *SIGNA.*

1. Varices exhibent primum *nodulos* floridiores, maxime in cruribus, rarius in brachiis, vel inſtar integrarum ramificationum venoſarum, ita inflatarum, ſeſe ſiſtunt.

2. Con-

2. Concurrit dolor non raro intenſus, ardens, inflammatorius, ita vt neque quieſcere, neque ſedere, neque ambulare poſſint patientes.
3. Adeſt *pulſationis* defectus. Varices enim non pulſant, niſi ex accidenti, nempe quando vena arteriæ immediate incumbit, & hæc cum illa pulſum communicat.
4. *Mollis* tumor eſt, uti in anevryſmate.
5. Non autem tam facile mobilis, uti in anevryſmate, preſſus enim non ita libenter cedit, ob reſiſtentiam valvularum.

IV. *CAUSÆ.*

Cauſæ ex illis, quæ ſub *differentia* dicta ſunt, eluceſcunt. Conferantur etiam, quæ tabula medica ſub affectibus gravidarum de inflationibus crurum varicoſis dicta ſunt.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Varices* minus periculum alunt quam *anevryſmata*. *Gravidarum* varices poſt partum ſponte utplurimum evaneſcunt.
2. Varices *activi*, a congeſtione intrinſeca illati, diuturni, raro conſtantem curam admittunt, præcipue in corpore ſeneſcente. Si enim vel maxime tumores illi reprimantur, ſpasmodici tamen illi dolores minime ſimul abolentur, ſed tanto magis ſubinde ingraveſcunt, niſi interna remedia præmittantur.
3. Nam non rarum eſt, quod varices *activos* retropulſos excipiant dolores nephritici, colici, arthritico - iſchiadico - podagrici. *Conferatur diſſert. excell. Stahlii de nova pathologia podagræ.* Neque ignotum eſt, dolores illos conjunctos & ſuccedentes modo in *aridurum* illorum membrorum transmigrare, vel in affectus plane *paralyticos*.
4. Unde revera interna medicatio longe magis hic præſtat, quam inſtrumentales operationes.
5. Varices quando diutius durant, ſanguis detentus & coagulatus tandem abit in putridam corruptionem.
6. *Sectio* illorum periculoſa, & *ruptio* interdum lethalis fuit. Nonnunquam tamen ſpontaneam ruptionem cum euphoria factam eſſe, teſtantur exempla. Interea tamen ruptio raro contingit.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Varices *activi*, uti cum negotio hæmorrhoidali connexionem habent, ita etiam eandem cum illis expoſcunt medicationem, quam *tabula medica de hæmorrhoidibus ſuppreſſis* exhibuimus. Provocatis enim hæmorrhoidibus varicoſi ejusmodi decubitus intercipiuntur.

2. Varices autem *paſſivi* internam medicationem non æque expoſcunt.

3. Externa medicatio tam *activorum* quam *paſſivorum* varicum ejusdem indolis eſt, qualis in anevryſmate incipiente commendata fuit, & ſequente modo inſtituenda eſt:

1) In primo varicum principio convenit adhibere:

a) Spiſſum ſanguinem reſolventia & diſtribuentia e. g. ſpiritum vini camphoratum crocatum, emplaſtra reſolventia camphorata.

b) Modeſtum calorem & blandam frictionem.

c) Motum corporis ambulatorium, ſi reliquæ circumſtantiæ illum concedant, & venæ ſectio præmiſſa fuerit.

d) Deligationem compreſſoriam.

2) Quando autem hæc non ſufficiunt, & tamen ſanguis aliquo modo adhuc mobilis eſt, atque ardor inflammatorius conſpirat, tunc conjungenda ſunt lenia tonica & repellentia e. g. emplaſtrum de ſpermate ranarum camphoratum & inſuper *ſale* quodam *volatili* imbutum. Item *ſulphur* in lixivium redactum & tepide applicatum.

3) Si vero tumores varicoſi indurati ſint, & ſuperficietenus poſſint attingi, tunc modeſta *inciſio*, & moderata ſanguinis expreſſio locum habet, ſubjunctis decoctis abſtergentibus travmaticis, eſſentiis balſamicis, emplaſtro ſtyptico *Crollii*, & commoda deligatione.

4. Varices *fluentes* tractantur ſpiritu vini rectificatiſſimo.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Uſtio* varicum periculoſa eſt.

2. *Exciſio* eſt remedium morbo gravius, & hinc locum habere non debet niſi in maxime urgente ſtatu, qui tamen raro occurrit.

3. *In*

3. *Inciſio* ſeu apertura moderata licet locum habeat, prius tamen non eſt inſtituenda, quam poſt tumorum varicoſorum indurationem.
4. *Clyſteres* ad mitigandos varicum dolores ſemi-arthriticos commendantur.
5. Sic & temperantia & lenientia antiſpaſmodica ſub interna medicatione non negligenda ſunt. Talia commendata ſunt in arthriticis affectibus, nempe nitroſa, cinnabarina, emulſiva diluentia. *Calor* etiam externus multum ad hanc dolorum lenitionem contribuit. Contra *frigus* præſentaneam dolorum exaſperationem inducit, uti & ipſæ repentinæ mutationes tempeſtatum.
6. Caveatur, ne *fluentes* varices intempeſtive ſupprimantur.
7. *Sulphurata* uti tempeſtive adhibita ſanguinem adhuc mobilem repellunt, ita nocent, quando nimis ſero, nempe poſt obviſcationem inſaccati ſangvinis, applicantur.

TABULA XV.

DE

VARIS ET GVTTA ROSACEA.

DEFINITIO.

Vari ſunt efflorescentiæ rubicundæ, faciem deſœdantes, & a congeſtione ſanguinis ſuperficiaria, hæmorrhagiam narium *eminus* reſpiciente, originem ducentes, Græce ἐφῆλοι, Germ. die Finnen im Geſichte.

DIFFERENTIA.

1. *Vari* æquivoca ſignificatione apud latinos ſumuntur:
   1) Vel enim *arthritidem vagam* ſcorbuticam ſignificant, belg. *de loopende Varen*, & hunc morbum tabula medica de affectibus arthriticis tractavimus.
   2) Vel tubercula exigua inflammatoria, præcipue in cute faciei obortа, deſignant; de quibus hoc loco agimus, & quæ nihil aliud ſunt, quam exigui *furunculi*.

2. Hi

2. Hi *vari* seu *ionthi* differunt *gradu*:
   1) Alii enim nondum sunt indurati & obfirmati.
   2) Alii in callum degenerarunt.
3. Cum varis quodam modo cognationem habet *gutta rosacea*, seu *rosea* *saltantes*, germ. der Kupffer-Handel, ubi non solum pustulæ in fa cie se exhibent, sed etiam tota facies rubedine obducitur. Quand gutta rosacea rubedinem suam amittit, & vari eidem quasi insiden aut color subfuscus nigricans accedit, *morphæa* dicitur affectus.

III. *SIGNA.*

1. *Pustulæ* rubicundæ plus minus duræ.
2. Harum ordinaria sedes est in *facie*, quam defœdant, & hinc ab illi qui formositatem respiciunt, multo odio habentur. Rarius in pe ctore, vel dorso etiam exoriuntur.
3. Magnitudine *semen cannabinum* non superant
4. Aliquando ad *maturitatem* perveniunt & pure evacuato mox evan scunt, aliquando sine prævia suppuratione *exsiccantur*.
5. Dolores adsunt generatim exigui, plures tamen, si in suppuratione vari abeant, quam si simpliciter exsiccentur.
6. *Gutta rosacea* pustulis non solum faciem occupat, sed etiam, uti si *differentia* jam dictum est, rubedine illam universam conspurca & quando morbus inveterascit, insignem deformitatem inducit.

V. *CAUSÆ.*

1. Communis pathologia horum affectuum per vulgus nota est. San guini enim exæstuanti & *hepati calido* vulgo adscribuntur.
2. Alii pro causa interna viscidam acrimoniam scorbuticam &c. circu lationem humorum impedientem, accusant, sed satis *ἀκύρως*.
3. Alii ratione causarum externarum a *manibus impuris*, faciem tange tibus, transpirationem impedientibus, & poros obstruentibus, illo deducunt. Immemores, quod *carbonarii* & alii sub squalido labo constituti, rarissime, utplurimum autem fœminæ delicatula quarum manus ab impuritate longe absunt, his affectibus corr piantur.
4. Tacemus *potum spirituosum*.
5. Dependent potius a *motibus* sanguinis *congestoriis*, hæmorrhagia narium quidem respicientibus, exitum autem non invenientibu Vnde portiones quædam translati hujus sangvinis in superficie stasin

co

corruptionem ſubeunt. Sub tali conſtitutione interna potus ſpirituoſi, & alia calida, ſangvinem commoventia, cooperari poſſunt; Sed plerumque in otioſis ſubjectis, in quibus particulæ ſulphureæ per tranſpirationem non ſufficienter excernuntur.

V. PROGNOSIS.

1. Hæc longe mitior, quam quæ *tabula de furunculo* tradita eſt.
2. Quando autem vari retropelluntur, affectus rhevmatico-arthritico-ſpaſtici, imo dira plane ſymptomata inducuntur. Sic notum eſt exemplum viri ſexagenarii, qui, loco purpuræ rubræ, antea familiaris, puſtulas tales in facie largiter experiebatur. Cumque priores in maturationem jam abiiſſent, poſteriores autem acceſſione aëris frigidi retroceſſiſſent, *catarrhus ſuffocativus* ſuccedebat, qui licet ſuperaretur, ſæpius tamen poſtea muſſitabat.
3. Ceterum *contagioſi* obſervantur vari. Quando enim puſtulæ corruptæ momentum vicinæ ſanæ parti affricatur, hanc quoque conſpurcat.

VI. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

1. *Interne*
   1) Præmittatur, & in progreſſione curæ repetatur, blande aliquod *laxans*, præcipue rhabarbarinum.
   2) Deinde intentioni naturæ ſatis fiat, & ſimul humores a capite deriventur per *venæſectionem* in pede, cui in adſuetis, vel ſpongioſis, *ſcarificatio* ſubordinetur. Et hæ evacuationes præſervandi ſcopo tempore opportuno repetantur.
   3) Poſtea ad motum congeſtorium temperandum exhibeantur nitroſa, acida, cryſtalli tartari cum momento ſpiritus vini imbutæ, abſorbentia acidulata, cum ſale quodam digeſtivo & pauca cinnabari remixta.
   4) Ad ſpiſſitudinem ſanguinis & ſtaſin reſolvendam conjungantur diluentia, in ſpongioſis acidulæ. Item eſſentia alexipharmaca *Stahlii* cum eſſent. ſuccini remixta: item tinctura ſantali rubri, quæ continuato uſu multum proſunt.
2. *Externe*
   1) Ante, quam vari ad ſuppurationem inclinent, præ reliquis diſcutientia *camphorata* uſum præſtant.

2) In *gutta roſacea* operæ pretium intra paucos dies fecit *zingibe* pulveriſatum, vino aduſto infuſum & applicatum.

3) Cum diſcutientibus progreſſione curæ prudenter combinentu abſtergentia e. g. ol. tartari per deliquium; & moderate exſic cantia atque reprimentia, e. g. gummi benzoë, ſulphurata, lapi medicamentoſus *Crollii*.

4) Quando autem vari in ſtatum *ſuppuratorium* vel plane *ulceroſun* degenerant, tunc, ut moris eſt, abſtergentibus, mundificantibu & conſolidantibus tractentur. *Conferatur ubique methodus tabul de furunculo.*

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ad *retropellentia* & nude *exſiccantia* Medici & ægroti tanto faciliu feſtinant, quanto major reſpectus utplurimum eſt ad externam for moſitatem, quam ad fundamentalem curationem. Hinc medicu cordatus animi in hoc negotio ſit firmioris.
2. In *notis* ad *Langium* adſeveratur, quod ſola *tinctura vitrioli martis ſo laris* cum ſucco betulæ parata, aliquam diu adhibita, vari ſæpius fun ditus curati ſint.
3. A *cauſticis* quam maxime abſtinendum, item ab externis *refrigeranti bus & agglutinantibus.*
4. Sic & cavendum eſt ab inconveniente uſu *ſetaceorum & veſicato riorum.*
5. *Sulphurata & adſtringentia* repellunt quidem varos, & in hunc finem conducit *lapis medicamentoſus Crollii*, non omittenda autem ſunt præmittenda.

TABULA XVI.

DE

HERPETE.

I. DEFINITIO.

Herpes eſt affectus plus minus puſtuloſus, in ſuperficie partis alicujus excitatus, & ad vicina loca ſerpens. Hinc latine dicitur *ſer-*

pi-

pigo, uti & græcum ἕρπης ab ἕρπω, ſerpo derivatur. German. der Haar-Wurm.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Herpes eſt
   1) Vel *benignus*, qui in ulcus non degenerat.
   2) Vel *malignus* ſeu *ferus*, qui ruptis puſtulis cutem exulcerat.
2. Alii tres herpetis ſpecies ſtatuunt.
   1) Herpetem *ſimplicem* vocant, quando bullulæ fere viſum fugiunt.
   2) *Miliarem* appellant herpetem, quando rubicundæ bullulæ magis conſpicuæ, inſtar ſeminis milii, per cutem diſperſæ ſunt.
   3) Exedentem ſeu ἐσθιόμενον dicunt illum, qui in latum & profundum ſerpit, multa ulcera ſerpentia, infra cutem tamen non procedentia, format, & colorem e rubro nigreſcentem exhibet.
3. De herpete *benigno* hac tabula, *de exulcerato* autem tabula de ulceribus *ſerpiginoſis* agemus.
4. *Herpes* differt ab inflammatione *eryſipelacea*. Hæc enim cito fit & cito perit; ille autem multo temporis tractu oboritur & profligatur. Præterea eryſipelas commotiones febriles, dolores & ardores habet comites, herpes autem ab his liber & ſolo pruritu incommodus eſt.

II. *SIGNA.*

1. Herpes *miliaris* exhibet *tumorem* magis latum quam exaltatum.
2. Ex hoc in ſummitate cutis prodeunt minutiſſimæ *puſtulæ*, granorum milii inſtar.
3. Hæ quando in una regione ſicceſcunt & ſanantur, in vicinis partibus novæ repullulant, & ita *ſerpendo* procedunt.
4. Quando autem puſtulæ *rumpuntur*, effluit materia non plane ſanioſa, neque etiam vere purulenta, ſed mediæ inter has duas conſtitutionis.
5. Præterea univerſa illa regio *duritie* quadam occupata eſt, cum *colore* non admodum rubicundo, & *pruritu* magis, quam dolore.

V. *CAUSÆ.*

Herpes ratione cauſarum cum aliis cutaneis efflorescentiis generatim prorſus convenit, ſpeciatim autem cum *varis* & *gutta roſacea* eandem fermenteſcentem qualitatem fovet, & non niſi *ſerpendo* ſe diſtinguit.

V. *PROGNOSIS.*

1. Herpes *benignus* benignioris eſt tractationis, quam *exedens* ille ſeu ἐδιόμενος.
2. Differentia inter *ſimplicem* & *miliarem* uti exigua eſt, ita etiam ratione *prognoſeos* & *curationis* parum differunt.
3. Herpes ἐδιόμενος magis tædio plenus quam pernicioſus eſt, niſi intempeſtive *repellentia* adhibeantur, & hac ratione a noxia materia, intra corpus repulſa, idem periculum ſuccedat, quod ab eryſipelate retropulſo exſpectandum eſt.
4. Ἐδιόμενος quando valde ulceratus & putridus eſt, rebellis obſervatur & minimum diuturniorem expoſcit medicationem; imo quando ita augetur, ut univerſum corpus occupet, pernicioſus eſt.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Herpes *ſimplex* ſequente modo tractetur:
   1) Aqua in puſtulis contenta ea encheireſi educatur, ut vicinæ partes ab illa non maculentur. Hinc cutis in *peripheria* oleo roſaceo illinatur, deinde ceruſſa pulveriſata eidem regioni aſpergatur, & tunc puſtulæ aperiantur.
   2) Poſtea ad puſtulas cito exſiccandas & novum illarum proventum avertendum applicentur exſiccantia & moderate repellentia. Laudantur in hunc finem
      a) Lapis medicamentoſus *Crollii*, aqua ſolutus, linteis exceptus, & tepide applicatus.
      b) Pulvis ceruſſæ, minii, lithargyrii.
      c) Nonnulli laudant *mercurium dulcem*, in forma pulveris applicandum.
2. Herpes ἐδιόμενος.
   1) Hujus curatio videatur tabula de ulceribus *ſerpiginoſis*.
   2) Præterea notamus, quod ſi herpes hic ordinariis remediis reluctetur, & nimis *exedens* ſit atque inveteratus, decocta lignoſa antivenerea cum ſufficiente & continua diaphoreſi expoſtulet. Plura videantur *tabula de ulceribus ſerpiginoſis*.

TABVLA XVII.
DE
PANARITIO.

DEFINITIO.

Panaritium eſt tumor inflammatorius in extremitate ſeu radice digitorum, præcipue manuum, cum dolore exquiſitiſſimo conjunctus, & a ſtaſi humorum, jam inter os & perioſtium, jam in vagina tendinis, jam inter cutim exteriorem & membranam muſculi facta, originem ducens. Græce παρονυχία, germ. der Wurm am Finger.

I. *DIFFERENTIA.*

1. Panaritium dicitur *benignum*, 1) quando vel ſola cutis & proxime adjacentes partes ſive muſculoſæ ſive tendinoſæ adfectæ ſunt; 2) vel lympha acris intra vaginam tendinis hærens inflammationem provocat; 3) vel malum profundius hæret & perioſtium cum ipſo oſſe occupat.
2. *Malignum* vero audit, quando negotium inflammationis male ceſſit, & ulcus cancroſum cum oſſiculorum arroſione inductum eſt.

II. *SIGNA.*

1. Præcedunt calor & ardor, cum ſpaſticis tenſoriis doloribus in loco affecto, & multa ægrotantis inquietudine.
2. In viciniam non raro hæ ſanguinis commotiones diſſipantur, ita ut univerſum brachium in conſenſum trahatur, & a ſpaſticis talibus motibus afficiatur.
3. Et tum commotiones febriles ſæpius concurrunt.
4. In ſubjectis ſenſibilibus convulſiones, deliria vel lipothymiæ accedere ſolent.

IV. *CAVSÆ.*

1. *Vermiculum rodentem* vulgo accuſant, unde & vermis digitorum vocatur, & haud dubie *lumbricorum* commendatio originem inde habet.

2. Sed licet ſecundum quorundam auctorum aſſertum vermes in ulcerato tali affectu detecti ſint, hi tamen non ut *cauſæ* ſed *effectus* hujus mali conſiderandi eſſent, quemadmodum etiam in aliis ulceribus corruptis vermes interdum deprehenduntur.
3. Sic & altius, quam a fortuitis externis & occaſionalibus cauſis hic affectus derivandus eſt, dependet enim potiſſimum a *ſtaſi* lymphæ, cui reſolvendæ congeſtio ſanguinis inflammatoria deſtinatur. Quare cum negotio inflammationis pari paſſu ambulat.
4. Impetum autem dolorum ſpaſticorum, qui præ aliis inflammatoriis doloribus hic occurrit, a nervis & tendinibus, ſimul adfectis, derivamus.
5. Cauſæ *externæ* & *occaſionales* ſunt:
   1) Frigoris & caloris repentinæ viciſſitudines, unde ſanguinis impetuoſa congeſtio vel ſuperficialis reſtrictio inducitur.
   2) Evacuationum ſanguinis artificialium adſuetarum neglectio.
   3) Spinæ vel aliæ res heterogeneæ acutæ radicibus unguium infixæ.
   4) Ruptura & hinc enata criſpatura membranæ illius nerveæ, quæ e cute enaſcitur & radicibus unguium adhæreſcit; a cujus membranæ fiſſura etiam malum illud dolorificum, quod German. Neid-Nagel vocant, dependet, & in plethoricis, quando improvide rumpitur, congeſtionem inflammatoriam excitare poteſt.

V. *PROGNOSIS.*

1. Panaritium quando intra aliquot dies diſcuſſionem reſpuit, abit in corruptionem, eamque vel laudabilem purulentam, vel ulceroſam, vel perfecte ſphaceloſam.
2. Et quoniam tales ſucceſſus noxii preſſo pede ſequuntur, artis auxilium requiritur tempeſtivum. Alias prima articulatio vel univerſus digitus amputandus eſt.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Alvus*, ſi clauſa fuerit, quantocyus modeſte aperiatur, ſive per *clyſterem*, ſive per blande aliquod *laxans*.
2. Quando inſignis adeſt *plethora* & urgens impetuoſa congeſtio, *venæſectio* conveniente ratione & loco inſtituatur.
3. Quo caſu *interne* propinentur ad diſcuſſionem congeſtionis ſtagnatoriæ.

1) Eſſen-

1) Essentia alexipharmaca temperata Stahlii e scordio & pimpinella alba parata, quæ ante meridiem bis exhibeatur.

2) Pulvis temperans e nitro, absorbente citrato, sale digestivo, & antimoniato fixo paratus; cujus duæ doses post meridiem propinentur.

4. *Externe* ad congestionem stagnatoriam in primo principio discutiendam & repellendam laudantur

1) Immissio digiti diuturna ad 4 & plures horas in spiritum vini camphoratum, leniter crocatum, vel urgentibus doloribus momento theriacæ imprægnatum. Alii aquæ calidæ digitum affectum immergunt.

2) Emplastrum saponatum *Barbette* largiter camphoratum.

3) Alligatio *lumbricorum* terrestrium usque dum moriantur; quo casu, si opus sit, novi vivi alligantur.

4) *Talpa* viva alligata. Sed hæc experientiæ non ubique respondent.

5. Discussio quando non ad votum succedit, tum in prima panaritii specie, in qua sola cutis & proxime adjacentes partes adfectæ sunt, maturatio mox promoveatur. Laudantur in hunc finem

1) Cataplasmata emollientia lacte parata, adjectis oleis lenientibus.

2) Cepæ assatæ impositæ.

3) Blandus calor partis affectæ.

6. Facta maturatione apertio dextre instituatur, & pus quantocyus evacuetur.

7. Postea absterso per unguentum digestivum, quod membranosis, tendinosis, nerveis partibus appropriatum est (vid. cautel. tabul. de vulneribus in genere) respiciatur.

8. *Ambitus* per discutientia camphorata defendatur.

9. Denique *consolidatio* per essentiam balsamic. Stahlii promoveatur.

10. In secunda autem & tertia specie, quamprimum fieri potest, instituatur incisio vel vaginæ tendinis, vel periostei. De maturatione enim tristes eventus novimus. Incisio autem sequente modo instituitur:

1) Quando panaritium est in integumentis vel proxime sub iisdem, incisio ubicunque, sed levis, conceditur.

2) Quan-

2) Quando vero tendinem occupat, inciſio fiat longitudinalis ad vaginam usque tendinis cum cultello Gallis *biſtouri* dicto.

3) Vagina detecta caute inciditur, ut conductor in utraque parte ſulcatus introduci & inciſio vaginæ tendinis majore cum ſecuritate peragi queat. Conſultius eſt, hanc inciſionem ultra locum adfectum extendere, quam eundem non ſuperare, quia malum alias recrudeſcit. Sic notum eſt exemplum, in quo, licet digitus jam exſtirpatus fuiſſet, vomitus & febris acriter recurrebant. Cum vero inciſio vaginæ tendinis ad carpum usque inſtitueretur, omnia ceſſabant.

4) Quando vero panaritium profundius inter os & perioſteum hæret, inciſio perioſteum quidem penetret, inſtituatur autem ad latus tendinis. Nam intereſt, huic parcere.

5) Vulnus plumaceolis, ſpiritu vini, vel eſſentia ſuccini imbutis, impleatur, iisque & emplaſtro camphorato conſolidatio promoveatur.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Apertio* præmatura uti in panaritio primæ ſpeciei noxia eſt, ita & a ſerotina in ſecunda & tertia ſpecie cavendum.
2. *Topica* valde calida, refrigerantia, ſimpliciter repellentia, nocent.
3. *Rivcrii* conſilium de digito affecto auri felis intrudendo, & diu ib detinendo experientiæ relinquitur.
4. Sic & *Langii* ac aliorum remedium præſervatorium ulteriori inquiſitioni tradimus, quando membranulam unguibus digitorum adnatam ſingulis hebdomadibus blande ſeparare commendant. Idem ſentiendum de immerſione extremitatis digitorum in lac tepidum, quavis hebdomade perpetranda, ab eodem *Langio* commendata.
5. Ulcus cum carie quando acceſſit, tractandus eſt affectus, uti tabul de carie dicetur. *Officulum* in tali caſu ſæpius excidit, vel levi manu removetur.
6. Inciſio ſequente ratione inſtituitur.
   1) Cultellus acutus per medium membri affecti ad officulum usqu intruditur.
   2) Deinde acies ad peripheriam ducitur, & hac ratione ſufficien apertio obtinetur.

7. D

7. De cautela quorundam auctorum, ne inciſio in medio partis affectæ inſtituatur, atque hac ratione *tendo muſculi perforantis* lædatur, ſequentia notentur:
   1) Quando panaritium inter os & perioſteum reſidet, & inciſio perioſteum penetrare debet: tum hæc cautela neceſſaria eſt, & inciſio perioſtei ad latus tendinis fieri debet, uti ſub *methodo* diximus.
   2) Quando autem panaritium eousque non penetrat, ſed integumenta tantum occupat; id quod plerumque fieri ſolet: tum inciſio in medio partis adfectæ permittitur, quia tendo non læditur. *Vid. methodus.*
8. Quando ſub *ungue* potiſſimum apoſtema latet, hunc perforandum, & capaci cultro ulterius reſecandum *Solingen* docet.

TABVLA XVIII.
DE
SVGILLATIONE.

I. DEFINITIO.

Sugillatio eſt ſubcutanea ſanguinis ſtaſis a violentis externis cauſis originem ducens. Græce dicitur ἐκχύμωμα ſeu ἐκχύμωσις, id eſt effuſio, germ. unterloffenes Geblüt, blaue Mähler.

II. DIFFERENTIA.

1. *Sugillationes* differunt a *contuſionibus* ut effectus a cauſis efficientibus. Ex contuſionibus enim, præter alias cauſas, originem ducere ſolent ſugillationes.
2. Quando autem a contuſione *puncta* tantum minuta relinquuntur, *ſtigmata* ſolent vocari. Si vero *lineæ* relinquantur, e. g. a flagris, tunc *vibices* audiunt, Blut-Striemen.
3. *Hippocrates* ecchymoſin generali ſignificatione ſumit, & quasvis ſanguinis e vaſculis effuſiones hoc vocabulo deſignat.

III. SIGNA.

1. Exſerit ſeſe plerumque *tumor* plus minus notabilis.

2. Occurrit *color lividus* in parte affecta, ſeu macula atro-cœrulea, pur pureo-flavo virideſcens, es ſpielen alle Farben mit oder doch nach einander.
3. *Senſus* non quidem inſigniter dolorificus, moleſtus tamen & contu ſorius obſervatur.
4. Accedit nonnunquam inflammatio *eryſipelacea*, rariſſime *phlegmono dea*, utrinque autem anomalica.
5. Et hæ ſugillationes præcipue occurrunt in ſubjectis, quæ ſunt habitu ſpongioſi, mollis & floridi.

IV. *CAVSÆ.*

Sugillationes inducunt

1. Contuſiones & lenia vulnera.
2. Specialiter & ſæpiſſime venæſectio male adminiſtrata, ſive ex parte Chirurgi, e. g. quando venam ex utroque latere pertundit, & ita ſanguis per internam aperturam effunditur, ſive ex parte ægri, quando nimis mature & immodeſte partem ſectam movet, & ita portionem ſanguinis exprimit.
3. Fortis compreſſio & deligatio alicujus partis, e. g. quando fibulæ calceorum fortiter colligantur.
4. Hisce enim modis ſanguis in ſuperficiem cutis altius & latius proprimitur, & quia tam facile refluere non poteſt, ibi ſubſiſtit.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Minores* ſugillationes facilius discutiuntur.
2. Sugillationes autem *majores*, quando *eryſipelatodem* tumorem habent conjunctum, & ſubtiliores portiones per pure *camphorata* nimis mature discutiuntur, remanent utplurimum *ædematoſi* contumaces tumores.
3. Discuſſio autem ubi locum non invenit, ſuppurationem habet comitem.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Conveniunt hic eadem, quæ *tabula de contuſione leviore* commendata ſunt remedia.
2. Præcipue conducunt *rad.* irid. Florentin. bryon. ſigill. Salomon. *herb.* hyſſop. alchymill. millefol. ſcord. agrimon. rutæ, chærefol. roſarum flores. Hi enim leni adſtrictione efficaces ſunt, & reliqua craſi temperant, ne effuſio ſanguinis ardorem concipiat inflammatorium.

3. Ap-

3. Applicantur hæc in *facculis*, vino calido coctis & expreſſis, cavendo nimiam humectationem.
4. Imo ſolum *vinum calidum* ſub initium efficax deprehenditur. Item *ferrum frigidum* impoſitum.
5. Sic etiam *urina calida* in caſu neceſſitatis utiliter adhibetur.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Sugillationes majores cito & vehementer repelli non debent.
2. *Agrimonia* recens, ſi ad manus ſit, contuſa & aceto roſaceo irrorata atque applicata, ſatis efficaciter juvat.
3. *Vibices*, quæ partibus muſculoſis incumbunt, diſſecandæ ſunt, idque eo magis, quam diu adhuc molles exſiſtunt. Deinde ſanguis exprimendus, & decocto vulnerario elutriendus eſt.
4. Poſtea *digeſtio* promovenda per unguentum digeſtivum e melle, vitello ovi & terebinthina paratum, cui, præcipue quando ſenſibiles ligamentoſæ partes conſpirant, aliquid de thure, maſtiche, olibano, aut gummi animæ addendum; quod tamen nimis diu non continuandum, ſed eſſentiis balſamicis ſubveniendum, quibus, ſi partium membranacearum major reſpectus habendus ſit, paululum olei terebinthinæ miſcetur.
5. Quo tempore digeſtiva adhibentur, id quod ter vel quater de die fiat, eodem cumprimis caveatur, ne novus affluxus juſtam digeſtionis ſucceſſionem impediat. In quem finem convenit in ambitu adhibere lenia diſcutientia, reſolventia, & etiam tonica, e. g. diachyl. cum gumm. diapalm. de minio, Norimbergenſe, de ſpermat. ranar. ſaturnin.
6. Pro *conſolidatione* & conſtrictione adjuvanda atque externis injuriis arcendis convenit empl. ſtyptic. *Crollii* imponere.
7. Nocent *interne* calida, refrigerantia, adſtringentia: *externe* nocent humectantia, emollientia, oleoſa.

TABVLA XIX.
DE
SCIRRHIS.

I. DEFINITIO.

Scirrhus eſt tumor induratus, ab humoribus magis magisque ſpiſſeſcentibus, &, exhalatis demum aqueis portionibus, ſiccеſcentibus, originem ducens. Derivatur a σκιῤῥόω induro.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Scirrhi contingunt vel in partibus *internis*, e. g. liene, hepate, de quibus tabulis *medicis* egimus; vel *externis*, quos hoc loco tractabimus.
2. Scirrhi differunt ratione *humorum*, illos conſtituentium.
   1) Alii enim ſunt ſimpliciter veluti *ſeroſo-gelatinoſæ* indolis.
   2) Alii autem *ſanguineæ*, ita tamen, ut *ſanguinea* illa ſubſtantia aliquid contineat ſubſtantiæ *ſeroſo-mucidæ*, aut *ſeroſo-lymphalis*. Ad hunc cenſum etiam pertinet *cancer occultus*, qui nihil aliud eſt, quam ſcirrhus *ſanguineus*.
   3) Alii *utriusque æqualiter* concurrentis ſunt indolis, ita ut vix determinare liceat, num magis de ſanguinea vel ſeroſo-lymphali ſubſtantia illos ingrediatur.
3. *Sanguinei* tumores *duplicis* iterum generis ſunt.
   1) Alii enim originem ſumunt a ſanguine, ſeroſæ alicui parti infuſo.
   2) Alii oriuntur a copioſo ſanguine, intra relaxatas poroſas partes cito diffuſo; quale quid contingit in gravibus contuſionibus, vibicibus. Vbi nempe ruptis fibris, irruptio ſanguinis intra dilatatos, imo discontinuatos poros ſequitur, & tumor fit e rubro nigricans vel lividus.
4. Scirrhi differunt etiam ratione *cauſarum antecedentium*.
   1) Alii enim a tumoribus *ædematoſis*, male tractatis, oriuntur, & hi *ædematoſi* dicuntur.
   2) Alii malum ſucceſſum negotii *inflammatorii* excipiunt, & hinc *phlegmonodei* vel *eryſipelacei* appellantur.

5. Scirrhus

5. Scirrhus differt a simplici *stasi inflammatoria.* Nam hæc facilius discussionem admittit, ille autem vel plane nullam, vel difficilem consequitur, præcipue si multum de sanguinea portione participaverit.

6. Scirrhi differunt etiam a tumoribus illis, qui *saccati* dicuntur, de quibus suo loco dicemus, nempe a *steatomate, atheromate* & *meliceride.* Quamvis enim ratione medicationis *emollitoriæ* & *maturatoriæ* aliquo modo conveniant, sequente tamen ratione differunt.
   1) Tumores illi *saccati* speciali *folliculo* inclusi sunt.
   2) Discussionem ita non admittunt, uti scirrhi *mature* tractati; sic & reliqui tumores glanduloſi, e. g. parotides, bubones, subaxillares, mammarum *communes*, cum scirrhis non plane comparandi sunt, sed his gradu indurationis, exsiccationis & obfirmationis cedunt. Generatim autem non sunt res admodum diversæ. Hinc etiam eadem fere methodo tractantur.

7. Scirrhi differuut porro a *nodis* & *gummatibus venereis*, quæ *specificæ* sunt corruptelæ, & de quibus præsente loco verba non faciemus.

8. Neque *arthriticorum nodi*, inprimis qui cito exoriuntur, directe ad hunc censum pertinent.

9. Maxime omnium huc referendi sunt nodi illi, qui sæpe magis ipsarum fibrarum tendinosarum crispatione quam ullo humorum infarctu nituntur, & *gangliorum* nomine veniunt; de quibus inferius agemus.

II. *SIGNA.*

1. *Scirrhi sanguinei.*
   1) Sub initium exiguus tantum *tumor* emergit, non valde dolens, interea tamen pressoriis sensationibus molestus.
   2) Postea tumor ille magis magisque increbescit, donec in altitudinem insignem augeatur.
   3) *Coloris* rubicundi lividi vel rubro-nigricantis.

2. *Scirrhi serosi-lymphatis.*
   1) Hic sine *dolore* & *sensu* peculiari manifestus est.
   2) *Coloris* pallidi.
   3) *Deformitatem* magis quam directum periculum infert.

3. *Scirrhi mixti.*

Hic medio loco se habet.

4. Naſcuntur ſcirrhi in locis præcipue glanduloſis, & per univerſam corporis regionem, e. g. circa collum, in faucibus, in lingua, labiis, ſub axillis, mammis, inguinibus.

IV. *CAUSÆ.*

1. Scirrhi *externi* utplurimum originem ducunt ab externo quodam neglectu atque mala adminiſtratione debitarum reſolutionum atque diſcuſſionum, quam ulla alia, inprimis autem ſpontanea, cooriendi ratione.
2. Sic etiam *occaſio* hujusmodi congeſtionum plerumque ortum ducit a *violento* quodam coacervandi impetu, nempe a vehementibus contuſionibus, ſenſibilibus vellicationibus, perverſis medicationibus externis.
3. In talibus enim circumſtantiis *tenerrimæ* portiones potenter & *cito diſcutiuntur, & ſolæ ſpiſſiores remanent.*
4. Vel etiam potenter inſpiſſatis *craſſioribus* portionibus, *tenuiores* ſponte quaſi ab illis dilabuntur.
5. Tale quid etiam per *refrigerationem* tumoribus *lymphatico-ſanguineis* haud raro conciliatur, coagulaſcente videlicet per frigus gelatinoſa incarcerata ſubſtantia, & exhalante ſenſim per tranſpirationem humiditate ſeroſa ſubtiliſſima.
6. Ita autem non intelligendum eſt, ac ſi in tali ſtaſi omnis aditus & communicatio cum reliquis humoribus in ſolidum intercepta ſit. Ad incluſum enim grumoſum ſanguinem ſubtiliſſimo ſeroſo humori ſufficiens via patet, cujus in *motu* conſtituti & ſemper recentis *acrimonia ſalina* effectum corruptionis putridæ continuo impedit.
7. Ceterum de ſcirrhis, ſpeciatim de *cancro occulto*, non negligendum venit, quod affectus ſint ſatis infrequentes.

V. *PROGNOSIS.*

1. Scirrhus uti medio ſe loco habet inter inflammationem ſalutarem, aut ulcerationem quoque moderatam, & inter ſphaceloſam ſimpliciter corruptionem; ita, niſi diſcutiatur, habet perpetuam diſpoſitionem ad unam harum duarum corruptionum ſubeundam. Aliis enim, quam tribus hiſce modis non removetur aut corrigitur.
2. Diu autem plerumque ejusmodi ſcirrhus ſubſiſtit, antequam talem corruptionem ſubeat. Nam defectus humiditatis ſufficientis eandem retardat. Quando autem copioſior humiditas denuo irrum-

pe-

pere poteſt, corruptio ſine mora in actum deducitur. *Conf. num. 6. cauſarum.*

3. Scirrhi omnes, qui non fiunt in mammis, vel aliis glanduloſis partibus, longe facilius diſperguntur, quam qui in partibus glanduloſis eveniunt. In his enim perpetuus affluxus adeſt, qui per remedia diſcutientia, ob partium texturam, tam facile non poteſt averti. Efficaciora etiam poſtulant reſolventia. Interea tamen ſcirrhi in *muſculoſis* partibus proniores ſunt ad *ſphacelum.*

4. Quo plus humiditatis ejusmodi ſtaſibus accidere ſolet, & quo plus corruptibilis eſt illa materia, de novo affluens, eo gravior corruptio timenda.

5. Scirrhi *ſanguinei* uti per interventum ſubſtantiæ *ſeroſo-mucidæ* a promtitudine ad corruptionem putridam ſegniores redduntur, ita data occaſione corruptionem peſſimi moris & cancroſæ indolis ſubeunt, quæ inter acrem ulceroſam & putridam ſphaceloſam intemperiem ambigit. Quo intuitu jam *Hippocrates* conſilium dedit, ut *cancer occultus*, qui eſt ſcirrhus *ſanguineus*, intactus relinquatur, & Practici uno ore maturationem illius vetant.

6. Quo major in ſcirrho concurſus *ſalivalis* humiditatis ſubeſt, eo major etiam fit acrimonia, ſimplicius ulceroſa.

7. Indoles ſcirrhorum ſpecialior quam maxime etiam variat, ſecundum *partium*, in quibus naſcuntur, *habitum* ad humores admiſſos plus minus receptandos & pertinaciter dimittendos.

8. Scirrhi *externi* (de *internis* ſuo loco diximus) curatu ſunt difficiles, præcipue qui doloris ſenſu deſtituuntur.

9. Licet enim ſcirrhi *ſanguinei* magis periculi involvant, quam *mucidi*, facilius tamen, ſi mox prudenter tractentur, diſcutiuntur. Quando autem in eminentem magnitudinem deducti ſunt, difficilius & periculoſius cedunt.

10. Sunt enim tunc indolis peſſimæ & curatu difficillimæ. Es werden Krebs-Schäden oder halb faulende Schäden daraus. Quando autem ſanguis ſic exſiccatus iterum humectatur, abit in corruptionem falſo-putrilaginoſam. Et tum ægri ratione *corruptionis putrilaginoſæ* ſummas anxietates, ratione autem *falſæ corruptionis* ardores & dolores, vehementer pungentes, perſentiſcunt.

11. Quam-

11. Quamdiu in ſcirrhis ſenſus doloris percipitur, ſupereſt aliqua ſpes diſcuſionis.

12. Inflammatio quando tubulis & fibris circa ſcirrhum ſupervenit, ad *gangrænam* magis quam ſalutarem inflammationis actum propendet.

13. *Mucidi* ſcirrhi licet in præſens non ſint periculoſi, in futurum tamen non omni carent periculo, inprimis ſi diutius jam ſteterint. Facile enim augeſcere obſervantur, tanto magis, ſi non in denſa ſed qualitercunque molli parte ſuccreſcant, & oſſibus propiores ſint. Quando enim tales ſcirrhi tandem in corruptionem ruunt, tunc præcipuum periculum eſt ratione partis muſculoſæ, ut ſinuoſa & fiſtuloſa ulcera evadant, & ratione oſſium ſubjacentium, ut illa arrodantur & erodantur.

14. Scirrhi *phlegmonodei*, in profundum & latum diffuſi, ſunt periculoſi; quemadmodum generatim ſcirrhorum curatio ſatis anceps & intricata eſt. In junioribrs ſcirrhi, non adeo inveterati, facilius cedunt.

VI. *METHODUS MEDENDI ET MEDIA.*

A. *Scirrhi ſanguinei* ita tractentur.

1. *Interne* corpus debite præparetur

1) Per blandam primarum viarum evacuationem, quo nomine infuſa *laxantia*, per *epicraſin* operantia, cum diſcutientibus & reſolventibus combinata laudantur.

2) Per eſſentias diſcutientes; nominatim per eſſentias pimp. alb. ſcordii, vincetox. ſuccini, cum regimine diapnoico conjunctas.

3) Per pulveres temperantes & acrimoniam ſalſam corrigentes. Quo nomine laudamus abſorbentia leviter citrata, & cum antimoniato fixo combinata. In ſubjectis calidis nitrum addi poteſt.

2. *Externe*

1) *Ventilatio ſanguinis* præcipue in ſubjectis plethoricis inſtituitur.

2) Quando ſcirrhus *ſanguineus* intra prima ſui initia adhuc ſubſiſtit, tunc proſpere interdum ſuccedit *topica diſcuſſio* per ſpiritum vini camphoratum, cum eſſentia croci modice remixtum, vel per cataplasmata aut facculos ex rad. irid. Florent. bryon. ſigill. Salom. angel. vincetox. herb. hyſſop. bellid. min. quibus ſi in forma ſicca exhibeantur, aliquid de camphora & paululum de myrrha addatur. *Emolliendi* ſcopo miſceantur rad. liquirit. flor.

flor. melilot. chamomill. lil. alb. Topico etiam usu conducit empl. de *spermate ceti*, item empl. de *cicuta*, largiter camphorata.

3) Quando autem scirrhus ulterius progressus est, superficialis tamen & non profunde immersus in partes sensibiles, aut circa vasa capaciora, tunc *exscissio* (quæ locum etiam habet in scirrhis glandulosis) instituatur, & quidem sequente modo:

a) *Incisio* cruciatim fiat.

b) Scirrhus caute & blande extrahatur usque ad radicem, ubi valida membrana adhæret.

c) In radice bis ligetur, ita ut extrema ligatura sit arcta, altera autem laxior.

d) Ante exscissionem vasa, quæ proprie ad scirrhum pertinent (scirrhus enim sanguineus multa nova vasa habet, quæ alias in corpore non reperiuntur) etiam ligentur.

e) Sub *exscissione* caveatur, ne grandiora ordinaria vasa violentur & dissecentur.

f) Facta discissione *digestiva* vulneri immittantur, addito pauxillo olei mastichini ad partes roborandas.

g) In *peripheria* applicentur partim remedia inflammationem præcaventia & affluxum discutientia, speciatim camphorata, partim tonica, ex herbis odoratis paranda cataplasmata.

h) Conferantur ea, quæ inferius de *cancro occulto* commendata sunt.

B. *Scirrhi exsangues* sequente modo tractantur.

1. *Interna* hic æque necessaria sunt, quæ sub scirrho *sanguineo* commendavimus, ut corpus a saburra vitiosorum humorum prius evacuetur. Inculcant hoc præcipui auctores, & internorum remediorum continuationem, licet affectus jam quodam modo curatus sit.

2. *Externe.*

1) Venæsectio in scirrhis adeo *exsanguibus* sæpius necessaria est.

2) *Internis* præmissis accedendum deinde ad medicamenta, quæ serosas, diu detentas & inspissatas mucidas tenaces partes blande emolliunt, & emollitarum repulsionem, non tamen impetuosam, præstant. In hunc finem blande emollientia & discu-

tientia vel alternatim vel conjunctim applicantur; uti tabulis *medicis* de ſcirrhis *lienis* & *hepatis* indicavimus. Laudamus hic ſpeciatim

a) Emplaſtrum diachylon ſimplex, non æque cum gummatibus *Vid. caut.*

b) Emplaſtr. ſaponat. *Barbette. Vid. itid. caut.*

C. *Scirrhi phlegmonodei* ſequente modo tractentur.

1. *Interne* corpus per remedia, ſuperius commendata, præparetur.

2. *Externe*

1) Plethoræ ratio habeatur per *veneſectionem.*

2) Deinde conducunt.

a) *Cataplaſmata*, cum vino parata, e. rad. ſigill. Salom. bryon. irid. Flor. caryophyll. herb. hyſſop. ſcord. flor. ſambuc. ulmar. His diſcutientibus nonnulla *emollientia*, præcipue ſi ſcirrhi jam adultiores ſint, addantur e. g. rad. alth. liquirit. flor. chamomill. lil. alb. ſem. lin. fœnu græc.

b) *Suffimigia* e baccis junip. laur. ſuccin. maſtich. benzoë, gum. animæ parata, & ſcirrhis repetendo admiſſa.

c) *Frictiones* cum pannis aut linteis tepidis repetendæ, & diu continuandæ.

d) *Spiritus vini* rectificatiſſimus ſimplex vel camphoratus.

e) *Vinum* cum herbis nervinis coctum.

f) *Ceratum* de *ammoniaco*, emplaſtr. e *galban. bdell. ſagapen.* paratum & camphoratum.

3) Quo magis autem ſcirrhus induratus eſt, eo magis lenia emollientia interponere vel conjungere neceſſarium eſt e. g. cataplaſmata e ſpeciebus emollientibus, ſed una e temperatis nervinis parata. Item empl. diachyl. ſimpl. de meliloto.

4) Ad novum affluxum ſub hac tractatione avertendum in *ambitu* applicentur diſcutientia e. g. emplaſtr. de ſperm. ceti, diaph. *Mynſichti* bene camphor.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In tractandis ſcirrhis præcipuus reſpectus haberi debet *ſanguinis* una comprehenſi aut liberius concurſantis.

2. *Emollientia* ſimpliciter applicata, quoniam inſeparabilem propemodum habent nexum cum *maturantibus*, & ſtaſes tales ex ipſius materiæ

riæ ſitu atque habitu ad laudabilem ſuppurationem non perducuntur, fit inde, ut licet bona opinione & intentione applicentur, exitus ſuccedat a votis alieniſſimus. Scirrhos enim *ſanguineos* reſolvere & diſſipare præcipua medico-chirurgica ſit cura; nunquam autem in animum quis inducat, ad maturationem illos perducere, periculoſiſſima enim eſt res, & talis ſuppuratio plerumque nihil niſi putredinem inducere ſolet.

3. Ad ſcirrhos *cavendos* ſummopere neceſſarium eſt, ut negotium inflammationis juſtius & altius conſideretur, quam moris eſt. Sæpius enim contingit, ut, quando motus inflammatorius ſive *refrigerantibus actualibus*, ſive *potentialibus*, ſive *adſtringentibus* tractatur, poroſæ partes ſtringantur, tenues ſanguinis portiones cito repellantur, craſſior autem pars remaneat, atque ita ſcirrhum inducat.

4. In ſcirrho *ſanguineo*, prima origine conſtituto, præſtat tentare *ſectionem*, *exciſionem* & *uſtionem* (ſi partis conditio ferat) quam eundem tolerare.

5. Semper cavendum in talibus *ſanguineis* ſcirrhis, ne inſignis quædam *irritatio* affluxui humorum anſam præbeat. Quando enim affluxus invaleſcit, tunc difficillimum eſt ſervare modum, & moderamen corruptioni imponere, præcipue in ſcirrhis *mammarum conf. n. 9.*

6. Vnde ſemper convenit talia remedia adhibere, quæ ſanguinem reſolvunt & nimium affluxum repellunt; ad quem ſcopum obtinendum nihil præſtantius eſt, quam ſpiritus vini *camphoratus* aliquantulum *crocatus*, jugiter continuatus, præcipue ſub initium ſcirrhi, quando flaveſcentem vel rubicundum offert colorem.

7. *Camphora* magnam hic habet prærogativam, & in chirurgia tota incomparabile eſt remedium, quod omnibus aliis reſolventibus & diſcutientibus palmam præripit. Interea tamen ſuum quoque expoſcit tempus. Non multi ſunt anni, quibus camphora innoteſcere cœpit, a quo tempore innumeris aliis remediis, in chirurgia familiaribus, ſuperſedere poſſumus.

Antiqui *emollientia* & *diſcutientia*, interpoſitis alternatim *adſtringentibus*, adhibuerunt. Neque conſilium prorſus rejiciendum, cavendum autem, ne major emollientium portio ſumatur atque hac ratione fibræ relaxentur, & major humorum irruptio, putredinem minitans, inducatur. Legi poſſunt auctorum cautelæ de ſubordina-

tione emollientium, discutientium, repellentium. *Vid. etiam tabulæ medicæ.*

9. Ab *oleis destillatis* in scirrhis *sanguineis* præcipue cavendum, altius enim partibus se se insinuant, & magnum periculosum affluxum efficiunt. Quemadmodum generatim maxime cavendum, ne scirrhi, præcipue sangvine interfusi, repentinis acribus medicamentis irritentur.

10. *Emplastrum oxycroceum* ad remedia chirurgorum vulgaria contra affectus rubicundos, inflammatos, imo ardentes & dolentes spectat. Sed intendit potius & exæstuat scirrhos *sanguineos*, præsertim, si diutius impositum relinquatur. Unde melius est ab illo vel plane abstinere, vel illud temperare *emplastro diaphoretico Mynsichti*; id quod per se præstat altero, nec non *ejusdem emplastr. nervinum.*

11. Si pars nimium inflammata sit, *emplastr. de spermat. ran.* largiter camphoratum, in usum vocari potest.

12. In scirrhis, *musculosas partes* obsidentibus, *ceratum de galbano*, camphora largiter imbutum, eximiæ est efficaciæ. Sed nimis diu non est relinquendum, verum interdum seponendum, & per plures horas spiritus vini camph. *simplex*, vel etiam *crocatus*, interponendus.

13. *Ceruſſa* & *farina fabarum* leniter stringendo discutiunt.

14. *Myrrha* læsionibus apertis, non æque occultis, convenit, unde in scirrhis non adeo extollitur. *Camphora* multis parasangis illam antecellit.

15. *Venæ sectio*, præcipue in plethoricis, omnino locum habet, maxime in principio *sanguineorum* scirrhorum, utpote affectuum, qui facile in periculosas ulcerationes ruunt; quod & de reliquis scirrhis non in totum negandum est.

16. Illud etiam notandum, quod in ejusmodi affectibus, ubi *successiva* discussione opus, & affluxus inhibendus est, non negligenda sint *interna* remedia, uti jam sub methodo dictum, partim evacuantia, partim discutientia, partim etiam serosam seu biliosam magis acrimoniam temperantia.

17. Veterum enim & recentiorum tam Medicorum quam Chirurgorum monitum dexterrimum est de corpore rite præparando, & non *nudæ alterationi* studio adhibendo. Inprimis hic valet, justo tamen prudentis Medici moderamine, quod & vulgares Chirurgi *venam* se-

ſecandum putent in omnibus ejusmodi affectibus, in quibus affluxus *uberior* reprimendus eſt.

18. Scirrhi *ſeroſo-mucilaginoſi* uti rariores ſunt, ita, ſi corruptionem ſubeant, oſſa non facile erodunt, niſi a venereis inquinamentis pullulent. Neque etiam tales ſcirrhi ſeroſo-mucidi ſua ſponte tam promte graves ſubeunt ulcerationes, niſi mala tractatione Chirurgi, aut ægrorum ſiniſtro regimine exacerbentur, aut jam intimius corruptis evacuatio matura non adhibeatur, aut denique, ſi nimis mature ſecando vel corrodendo aperiantur, & materiæ contentæ ſpisſiori ex nudi aëris contactu gravior ulcerationis ſpecies inferatur; imo, qui fundus mali eſt, per talem ſectionem affluxus & ſtaſis ſanguinis copioſior & hinc corruptio ulceraſcens inducatur.

19. Hoc etiam incommodum per *ſectionem* aut *corroſionem* ſcirrhorum *intempeſtivam* inducitur, ut dum partim vaſa ſanguinea ſecantur vel eroduntur, ſanguinem ſeroſo-ſalſæ ſubſtantiæ affundant. Quam longe major autem acrimonia inde emergat, ſi ſanguis, utpote ſulphurea oleaginoſa materia, corruptioni ſalſæ affundatur, dolores intenſiſſimi, inſtrumentorum adhibitorum arroſio, & linteaminum applicatorum corroſio evidenter probat. Et ex chymia notum eſt vulgari, quod *oleaginoſa* ſemina, rebus fermenteſcentibus adjecta, majorem acrimoniam concilient, exemplo *broſſicæ muriaticæ*.

20. Idem evenit incommodum, ſi tumores hi, ad debitam mollitiem adducti, juſto tempore *non aperiantur*. Materia enim incluſa inducere ſolet fiſtuloſa & ſinuoſa ulcera.

21. Solent interdum ſcirrhi *ſeroſo-mucidi* fieri circa tales partes, quæ affluxu ſanguinis irriguæ ſunt. Vnde in talibus caſibus tanto magis cavendum, ne remedia *acria* adhibeantur, quæ ſanguinem nimium exagitent, atque in illo loco vehementi corruptioni viam ſternant.

22. Inſiſtendum potius ibidem eſſe temperatiſſimis *emollientibus*. Sed iterum cavendum, ne talia adhibeantur, quæ fibras magis quam humores emolliant. Ejusmodi ſunt cataplaſmata nimis humida, mucilaginoſa & pinguia, in ſemifluida ſua conſiſtentia applicata. Talia enim & cutem & ſubſtratas partes emollire ſolent, adeoque nihil, niſi corruptionis impetum & corrumpendæ materiæ copiam adaugent.

23. Præſtat itaque magis *ſicciora emollientia* in uſum vocare, ubi *emplaſtr. diachyl. ſimpl.* de novo ſubactum, vel in vitro bene conſervatum, commendari meretur, utpote quod egregiam hic exſerit utilitatem.

24. *Emplaſtr. diachyl. cum gummatibus* non æque hic commendandum, quoniam acrius eſt *ſimplice*, & nullo adhuc exitu patente æſtuationes introducit, atque majori corruptelæ occaſionem præbet. Si vero *apertum* ulcus, tum præſtantius eſt *ſimplice*, inprimis in ambitu applicandum.

25. Alias uſitatum quoque eſt *emplaſtrum Vigonis de ranis cum mercurio.* Sed tanti non eſt pretii, quam famoſitatis. *Ranina* enim portio ad coagulandos magis humores habilis eſt. *Mercurius*, ob exiguam ſui portionem, exiguum effectum præſtat, unde portio Mercurii augenda eſt. Præterea non in omnibus ulceribus quadrat, minime omnium, ubi cruda & tenax materia præſto eſt. Quando enim humorum ſtaſi bene ſeſe inſinuare non poteſt, fruſtra effectus ab illo ſperatur. Et licet mercurius præcipitatus *ruber* minorem, quam albus, habeat vim ſepticam, proprie tamen non niſi in venereis ulceribus adhibendus eſt, in quibus egregium uſum præſtat. Vnde commendatio mercurii quorundam Practicorum cum grano ſalis accipienda eſt. In ſcirrhis tamen, maxime glanduloſis, quæ intra primum initium adhuc ſubſiſtunt, emplaſtrum hoc de ranis efficax deprehenditur, ſed continuandum. Conf. *caut. 31.*

26. *Emplaſtr. Barbette ſaponatum*, ſeu, quod fere idem eſt, *Empl. Comitis Dygby ſaturninum*, efficax eſt. Poros enim partium modeſte obſtipando materiam inſpiſſatam emollit, & præcipue quando *camphora* imbuitur, ſimul diſcutit. Deſcriptio eſt ſequens:

Rec. Minii, ceruſſ. ſapon. Venet. ana unc. 10. ol. oliv. libr. 2. axung. porcin. unc. i. f. l. a. empl. pro re nata camphora imbuendum. Conf. ipſius auctoris *Barb. chirurg.* capite de *catarrhis*, & notæ *Deckeri* ad hunc locum.

27. Si tales ſcirrhi ad *profundam ulcerationem* tendant, tempeſtiva illorum apertio non ſolum locum habet, ſed ſubinde etiam neceſſaria eſt. Methodus autem ulcus, tali modo natum, tractandi convenit cum illa, quam inferius ſub ulceribus indicavimus. Eſſentiis

myrrhæ

myrrhæ & *hyperici* egregie hic conducunt ad corruptionem impetuosam cavendam.

28. Illud autem hic præcipue inculcandum, quod nulla in hisce ulceribus ſpes *conſolidationis* affulgeat, niſi materia dura, circa aperturam tumoris adhuc ſubſiſtens, per continuatam emollitionem omni modo eliquetur. Quidquid enim in hoc caſu ad conſolidandum agitur, magis nocet, quam prodeſt, & ulcera a ſimplice indole ad colliquationem malignam & vere cancroſam corruptelam deducit.

29. Efficaciam hoc in caſu præbet non contemnendam, emplaſtrum *diachyl. cum gummatibus*, ſuperius jam allegatum; item *gummi galbanum* & *ammoniacum* in aceto vini ſolutum, & ad conſiſtentiam emplaſticam redactum, in qua etiam commodius ſervari poſſunt, ſi unum vel alterum *ovi vitellum* adjiciatur.

30. Ejusmodi ulcera, quæ in *ambitu* ſuo *ſcirrhoſam* adhuc ſtaſin præ ſe ferunt, non ſunt irritanda, ſed *lenioribus abſtergentibus* tractanda.

31. In talium ulcerum, a ſcirrhis natorum, curatione circumſpectus eſſe debet uſus *mercurialium* pariter ac in ipſis ſcirrhis, nondum ulceratis; inprimis ſub initium ulcerum, niſi minus corroſiva ſint. Hæc enim in ulceribus, bene non tranſpirantibus, ſpaſticos tenſivos dolores excitant; in *venereis* autem ulcerationibus tales dolores tollunt.

32. Quod autem curationem heroicam per *ſalivationem*, quam multi improvide & audacter commendant, attinet, in ſcirrhis, niſi in cauſa venerea neceſſitas illam poſtulet, non probatur. Ceterum ulteriori experientiæ relinquimus, quod nonnulli Practici de uſu *æthiopis mineralis*, poſt unius diei intervallum, ad grana 10-20-30 propinandi, & altero die laxante modico exhibendo, commendant, ad felicem effectum reſolutorium non autem ſalivatorium inde pollicentur. De discreto autem mercurii dulcis uſu, qui pauca grana quotidie propinanda commendat, reſolutionem ſcirrhorum pollicemur. *Conf. caut. 2.*

33. *Motus corporis* inſigniter hic discutit.

34. *Cataplaſmata*, ſi cum *lacte* coquantur, hic non habent uſum, ſed illa, quæ *vino* parata & in conſiſtentiam ſemi ficceſcentem redacta ſunt.

35. Scir-

35. Scirrhi, ab *acutis* reſidui, non debent præcipitanter repelli, alias præſentiſſimum vitæ periculum inducunt. *Conf. tab. de abſceſſu*, ubi de *apoſtaſi febrili* dictum eſt.

36. Ad mitigandos dolores nonnulli commendant *ſtupefacientia*, ſed locum non habent, niſi in talibus caſibus, ubi immediate ſcirrhi *exſectio* ſubjungitur. Alias enim ſopitio, ad tempus facta, tanto majore exacerbatione recurrit. In *apertis* vero ſcirrhoſis tumoribus, qui cum dolore & ardore *ſtipati* ſunt, *narcotica hyoſciamina* & e *tabaco* parata, aliquo modo locum habent. *Opium* autem nullius eſt uſus, quia ſolutionibus continui *ſphacelum* prompte inducit. Conf. eá, quæ tabula de *occulto cancro* dicta ſunt.

37. Omnes *indolentes* ſcirrhi, ſi ad emollitionem & apertionem eosdem ducere neceſſe ſit, ulcera talia longe pejoris ſunt moris, quam ſimplicia, præcipue, quando diu ſubſtiterunt, & glanduloſas partes infarctu ſuo occuparunt. Hic quam maxime eo laborandum eſt, ut *affluxus* tam ſub maturatione, quam reliqua ulceris curatione, per interna æque ac externa excludatur.

TABVLA XX.

DE

PAROTIDIBVS.

I. DEFINITIO.

Parotides ſunt tumores glandulas juxta aures occupantes, & a ſtaſi humorum in iis locis originem ducentes. Derivantur a παρὰ juxta & οὖς auris.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Nonnulli auctores, præeunte *Galeno*, parotides ad tumores tantum *inflammatorios* reſtringunt.

2. Alii autem latiore ſenſu hos affectus ad qualemcunque tumorem in iis locis extendunt, ſive a materia ſanguinea, ſive a mucida, ſive ab utraque ſtaſis ſuſtentetur. Hinc auctores diſtinguunt inter *dolentes* & *indolentes* parotides, item ex cauſa *frigida* & *calida* natas.

3. Sta-

3. Staſis ſanguineo-inflammatoria, quoniam utplurimum in ſuppurationem qualemcunque tendit, abſceſſus indolem format, mucida autem ad ſcirrhorum mucidorum genium magis accedit.

III. *SIGNA.*

1. Exſurgit circa glandulas, parotides dictas, levis tumor, qui communiter magis eſt *tumor*, quam *excreſcentia*, & lentis ordinarie, interdum autem repentinis, progreſſibus augeſcit, & quidem non raro in molem ingentem.
2. Quo magis eſt tumor inflammatorius, eo certius dolores infert, imo febriles plane commotiones, catarrhalibus affines, excitat. Aliquando enim exiguæ glandulæ repentinum ingentem tumorem concipiunt, præcipue in puerili ætate, raro in adultis, ita ut circa poſticam colli partem, prope cervicem circa *proceſſus maſtoideos*, glandula talis, alias fere inviſibilis, tumeſcat, dureſcat, doleat, inflammatoriam indolem exhibeat, & in ſuppurationem tranſeat.
3. Quando autem a materia mucida & tenace ſtaſis ſuſtentatur, tunc non adeo dolorificum ſenſum habet comitem, & hinc etiam ad discuſſionem longe pertinacior reperitur.

V. *CAVSÆ.*

1. Cauſa *efficiens* eſt principium vitale, quod per activam congeſtionem humorum verſus illa loca exitum reſpicit. Et ſic parotides cauſarum etiam ratione a ſcirrhis, proprie dictis, quodam modo differunt, uti collatio cauſarum præcedentis tabulæ docere poteſt. Generatim autem non ſunt res admodum diverſæ.
2. Cauſa *materialis* eſt ſtaſis ſive ſanguinis ſtricte dicti, ſive reliquorum humorum, ſive utrorumque.
3. Cauſæ *occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt
   1) Vel *internæ*, quo præcipue *apoſtaſes* illæ ſeu *metaſtaſes* pertinent, quæ ex febribus oriuntur, & de quibus *tabula de abſceſſu* plura diximus.
   2) Vel *externæ*, ad quas præſertim
      a) achores infantum retropulſos,
      b) deinde aëris injurias,
      c) ſpeciatim tempeſtatem frigido-humidam, & refrigerationes hujus regionis in ſubjectis ſenſibilibus & teneris referimus.

V. *PROGNOSIS.*

1. Parotides generatim ſunt contumaces, diuturnæ, & multas difficultates involvunt. Præcipue quando lentis progreſſibus oriuntur. Ibi enim ſtaſis eſt tenax & viſcida.
2. *Reſolutio* & *discuſſio* ſtaſeos, niſi prima ſui origine tentetur, ægerrime ſuccedit.
3. *Suppuratio* vix ſincera obtinetur, nam negotium inflammationis in partibus glanduloſis ad votum non æque ſuccedit, ſed plerumque *ulceratio* ſanioſa, ſalſa, acris, corroſiva inde emergit, quæ non ſolum ſummas moleſtias, ſed acerrimos quoque ardores & dolores conciliat. Imo docet experientia, quod tales ita conſtituti ægrotantes miſere ſubinde moriantur, teſtante *Guilhelmo Fabricio obſervat. chirurg. cent. 1. obſerv. 39.*
4. Fluxus alvi, parotidi ſuperveniens, ſalutaris.
5. Parotides, febre non ceſſante, periculoſæ. *Guilhelm. Ballenius.*

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Interne.*
   1) Blandæ *laxationes* conducunt, quibus mercurius dulcis addatur. Hæ in progreſſione curationis ſubinde repetantur.
   2) Subjungantur *reſolventia* & *discutientia*; quo nomine præcipue laudamus eſſent. alexiph. *Stahlii* cum eſſentia *ſuccini* mixtam.
   3) Si commotiones febriles concurrant, uti fieri ſolet, quando tumor inflammatorius adeſt, & citius augeſcit, tum eſſentia ſuccini o mittatur, & poſt meridiem pulveres nitroſo-abſorbentes citrat cum ſale digeſtivo & antimoniato fixo bis propinentur, ante meridiem autem eſſent. alexipharm. aliquoties exhibeatur.
   4) Reliqua ſub *cautelis* videantur.
2. *Externe* ſequente ordine incedatur:
   1) Quando parotides adhuc in fieri quaſi ſunt, id eſt, in primis ſu initiis, tum applicentur reſolventia & diſcutientia, quo nomin laudantur
      a) Spiritus vini camphoratus crocatus.
      b) Epithemata camphorata, e radic. irid. Florent. ſigill. Salom bryon. pimp. alb. caryophyll. herb. ſaponar. hyſſop. adianth alb. marrub. alb. cuſcut. parata, addendo camphoram ve ſpiritum illius adſpergendo.

c) Quæ *ſpecifice* ab auctoribus paſſim commendantur, ea ſub *cautelis* allegabimus.

2) Si *discuſſio* non habeat locum, ſed parotides per motuum inflammatoriorum vigorem ad ſuppurationem tendant, tum *maturatio* per *cataplaſmata emollientia*, paululum *oleoſa*, promoveatur, & rupto abſceſſu, ut moris eſt, per mundificantia & conſolidantia læſio tractetur, ubi eſſentia balſamica *Stahlii* rem fere totam abſolvit.

3) Quando autem motus inflammatorius abeſt, & ſtaſis lenta viſcida in chronicam contumaciam abire videtur, tum blanda methodus & communia remedia non ſufficiunt, ſed efficaciora reſolventia requiruntur, de quibus ſub *cautelis* obſervationes quasdam adjiciemus.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quantam circumſpectionem in medicatione parotides expoſcant, monuit jam *Dan. Ludovici in epiſtola quadam ad Schultzium*, quæ tractatui illius de *triga cinnabriorum* annexa eſt, ubi legi poteſt, quid ſentiat de hujusmodi tumoribus & eorum per externa medicamenta tractatione.

2. *Stahlius* de parotide, quæ in tertium annum duraverit, teſtatur, quod per *ſalivationem* feliciter curata fuerit. Adhibitam autem hanc fuiſſe cautelam, ut leniter inſtitueretur ſalivatio, uſurpatis per diem 2-4 granis mercurii dulcis, adhibitis inſuper medicamentis, inſenſibilem tranſpirationem promoventibus, & bono obſervato regimine. Inſuper etiam auctor fuit, ut æger loco aliorum decoctorum uteretur *decocto ſaponariæ* & *radicis pimp. alb.* Hac ratione duravit ſalivatio in quartam usque hebdomadem, qua feliciter reſtitutus fuit ægrotans, cujus pater eodem affectu per exacerbationes miſere interiit. Eadem remedia & eandem methodum felici cum ſucceſſu adhibuimus in virgine quadam illuſtriſſima 32 annorum, cujus parotis per octo annos duraverat.

3. Quid alii Practici de *æthiope minerali* in ejusmodi induratis tumoribus reſolvendis promittant, præcedente tabula de *ſcirrhis* jam diximus.

4. *Joh Agricola chirurg. parv. globulum plumbeum*, e cervo icto exſectum, & in bracteam ductum, commendat, ac pollicetur, quod

parotis hoc plumbo compreſſa omnem ſtatim dolorem amittat.

5. *Emplaſtra* ab auctoribus multa quidem ad parotidum discuſſionem commendantur, quando autem diverſa horum tumorum indoles non conſideratur, tum facile fieri poteſt, ut talia remedia, incongrue applicata, damnum inferant.

6. Sic e. g. *Foreſtus obſerv. med. l. 12. obſ. 18.* ad parotides induratas, ſeu ex cauſa, ut dicit *frigida* natas, emplaſtrum commendat, de quo teſtatur, quod incredibilis ſit virtutis, eſt autem ſequens: Recip. ſemin. ſinap. urtic. ſulph. ſpum. maris, ariſtoloch. rotund. bdell. ammoniac. ana unc. ſemis, ol. antiqui, ceræ ana q. ſ. f. empl. add. empl. dyachyl. ſ. (cui *iris* addita ſit) unc. tres. de quo aliquid ſupra alutam inducatur, imponatur, & deinde quinto die mutetur. Hoc empl. ſi quis promiſcue in parotidibus applicare vellet, tam facile damnum, quam emolumentum reportaret. In circumſtantiis enim inflammatoriis non quadrat, bene vero in malo chronico, a ſtaſi mucida dependente.

TABULA XXI.

DE

BVBONIBVS.

I. DEFINITIO.

Bubones ſunt tumores modo inflammatorii, modo ſcirrhoſi, in glandulis inguinalibus collecti. Derivatur a ϛαϐῶν, inguen.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Bubones* dividuntur

1) In *benignos*, qui a contagio liberi ſunt. Huc ſpectant

a) Bubones, qui per *metaſtaſin* in febribus acutis benignioribus in ſuperficialibus hisce glandulis contingunt. Conf. ea, quæ tabula de *abſceſſu* & *parotidibus* de tali apoſtaſi dicta ſunt.

b) Bubones, qui *puerili* ætati eveniunt, & germanice Wache-Beulen appellantur.

2) In

2) In *malignos*, qui contagioſi ſunt. Huc pertinent
   a) Bubones *peſtilentiales*, qui in peſte prodeunt, german. Peſt-Beulen.
   b) Bubones *venerei*, quos in luis venereæ miaſmatibus obſervare licet. Germ. Venus-Beulen, gall. *boulins*.

2. Nonnulli auctores bubonis vocabulum latiori ſenſu accipiunt e. g. *Galenus* glandularum tumoribus in collo, capite, retro aures, ſub axillis, hoc nomen tribuit.

3. Sed licet non negandum ſit, quod e. g. tumores illi, qui in peſte eveniunt, non ſolum inguinales, ſed & alias glandulas, v. g. parotides, axillares, imo caput infeſtent, κατ' ἐξοχὴν tamen bubones dicendi ſunt, qui *bubonem*, ſeu locum illum, qui ad latera pubis eſt, infeſtant. Par ratio eſt bubonum *venereorum*.

4. Licet etiam *bubones* & *parotides* e. g. per metaſtaſin febrilem evenientes, vel puerilem ætatem extra contagium occupantes, non niſi loco differant, de reliquo autem eandem medicationem expoſcant, denominationes tamen accuratioris diſtinctionis cauſa non ſunt confundendæ.

II. *SIGNA.*

1. Bubonum *benignorum*, & quidem
   1) Bubonum per *metaſtaſin* febrilem productorum.
      a) Circa *exitum* nonnullarum febrium acutarum, ſed benigniorum, manifeſtat ſeſe exiguus tumor in bubone ſeu inguine.
      b) Hic modo lentis, modo repentinis progreſſibus in molem mediocrem excreſcit.
      c) Concurrunt varii motus congeſtorii.
      d) Pro horum motuum differentia differunt etiam ſymptomata. Unde modo dolentes, modo indolentes, modo inflammatorii, modo ſimpliciter duri obſervantur.
   2) Bubonum *puerilium*:
      a) Hi illis præcipue annis eveniunt, quibus liquor lymphaticus copioſius verſus genitalia loca dirigitur, nempe circa ann. 12; nonnunquam jam ſeptimum.
      b) Magnum incommodum non inferunt, & utplurimum ſunt indolentes.

2. Bubonum *malignorum*, & quidem

1) *Venereorum.*

a) In his, poſt gonorrhœæ præcipue ſuppreſſionem, magnus infarctus & intumeſcentia dura inguinalium glandularum ſeſe manifeſtat.

b) Ingentes ordinarie dolores inducunt, tendentes, lancinantes, cum motibus quibuscunque inflammatoriis.

2) *Peſtilentialium.*

a) Tumor inflammatorius in inguine præcipue, deinde etiam in parotidibus, collo, & aliis corporis partibus, proveniens.

b) Exoriuntur hi bubones ordinarie ſecundo, tertio vel quarto die morbi, raro ſerius, interdum plane ſub initium.

IV. *CAUSÆ.*

1. *Bubonum benignorum.*

1) Bubones *febriles* innituntur peculiari activitati & particulari intentioni naturæ, quæ, dum materiam noxiam per generaliorem modum extrudere commode non poteſt, eandem ad ſuperficialia hæc loca ſpecialiter expellit, & per motus qualescunque inflammatorios in abſceſſum deducere allaborat.

2) Bubones *pueriles* derivantur a lympha, quam natura circa tempus pubertatis copioſius ad glanduloſas haſce partes ea intentione adducit, vt non ſolum corpus generatim majus nutrimentum nanciſcatur, ſed & ſpeciatim ſecretio ſpermatica initium ſuum ſumat.

2. *Bubonum malignorum.*

1) Bubones *peſtilentiales* maligni, æque ac febriles benigni, *active* conſiderandi ſunt, & nulla ratione a paſſiva humorum incarceratione ſeu obſtructione in hiſce glandulis dependent. Expellit nempe principium vitale peſtilentem materiam, quam per peripheriam univerſalem expellere non potuit, ad loca talia particularia, ut ita e nobilibus partibus ad ignobiliores expellatur, & ibidem ulteriorem excretionem nanciſcatur.

2) Bubones *venerei* pro cauſa habent miaſma ſpecificum virulentum quod per gonorrhœam expelli debet. Quando autem fluxus ille virulentus imminuitur, vel ob quamcunque cauſam ſupprimitur, materia illa noxia in partes vicinas redundat. Interea tamen & h tumores mere paſſive conſiderandi non ſunt, docet enim experi

en

entia, quod natura miaſma venereum, in humoribus jam latitans, ad glanduloſas corporis partes adpellat, in quibus paſſiva redundantia & incarceratio horum humorum minime poteſt concipi.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Bubonum benignorum.*
   1) Bubones *febriles* multam involvunt difficultatem.
      a) Difficulter reſolvuntur, facile autem *retrocedunt*, & tum ſtatus febrilis de novo ingraveſcit, & ob confuſionem, in quam natura poſt turbatam illius intentionem conjicitur, periculoſe ſæpius exit, præcipue quando incongrua arte repelluntur.
      b) Ad *maturationem* admodum refractarii ſunt.
      c) Et ſi omnino ad hanc perducti ſint, laudabilem tamen & ſinceram ſuppurationem non facile ſubeunt. Unde in ulcera immorigera, cancroidea, more ſcirrhorum, nonnunquam degenerant.
   2) *Bubones pueriles.*
      a) Hi nihil periculi fovent.
      b) Sponte ſua evaneſcere ſolent.
2. *Bubonum malignorum.*
   1) Bubones *peſtilentiales.*
      a) De his tanto magis valet, quod de bubonibus, e febribus *benignis* productis, diximus. Negotium enim inflammationis & maturationis, uti in partibus glanduloſis difficulter ſuccedit, ita impeditio talis tanto periculoſior eſt, quanto minus materia illa virulenta, quæ excerni debet, ob præcipitem, quam infert noxam, nempe ſphaceloſam corruptionem, præcipue in plethoricis, moram patitur.
      b) Interea tamen hi bubones, æque ac *anthraces*, meliorem in peſte ſpem faciunt, quam ulla alia phœnomena.
      c) Simpliciter reſpiciunt *ſuppurationem*, non autem *diſcuſſionem.*
      d) Quando abſceſſus apertus eſt, feſtinantem conſolidationem ante non admittunt, quam natura intentionem ſuam excretoriam per talem aperturam plenarie obtinuerit.
      e) Qui bubones (latiore ſenſu ſumti) in capite proveniunt, periculoſiores aliis eſſe cenſentur. Loci enim dignitas & ſenſibilitas non fert tales collectiones, ab omni periculo non liberas.

2) Bu-

2) Bubones *venerei.*

a) Hi non *ſponte*, multo minus *cito*, tendunt ad ſuppurationem, neque etiam per artem tempeſtive ad illam deducendi ſunt, hinc ſatis temporis concedunt, ut gonorrhœa ſuppreſſa revocetur, & reſolutio illorum obtineatur.

b) Nihilominus refractarii ſunt, neque ita promte, ob lymphæ ſpecificam coagulationem, reſolvuntur, præcipue quando jam diuturnitate obfirmati ſunt, & miaſma venereum altius in humores diffuſum eſt.

c) Quando autem ad maturationem degenerant, vel incongrua arte ad illam deducuntur, non eſt laudabilis ſuppuratio. Unde facile ulcera venerea, diuturna, fiſtuloſa propullulant.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Bubonum *benignorum.*

1) Bubones *febriles* ita tractentur.

a) Eſſentia alexipharmaca *Stahlii* temperata aliquoties per diem, conjuncto regimine diapnoico, propinetur.

b) Verſus veſperam ſemel vel bis exhibeatur pulvis temperans ex antimoniato fixo, nitro, abſorbente citrato, & ſale digeſtivo paratus.

c) Hæc diu continuentur, & humectantia ſufficienter aſſumantur.

d) *Externe* applicentur diſcutientia camphorata e. g. ſpiritus vini camphoratus crocatus, epithemae radicibus & herbis reſolventibus & nervinis, ſæpius jam commemoratis, addita camphora, paratum.

e) Si diſcuſſionem reſpuant hi bubones, id quod potiſſimum e dolore ardente, jugiter continuante cognoſcitur, *maturatio* promoveatur per cataplaſmata temperatiora & fotus calidos.

f) Deinde *abſceſſus* aperiatur, &, ut moris eſt, tractetur.

2) Bubones *pueriles* ordinarie non indigent medicatione. Quando autem congeſtio talis inſolentior obſervatur, & aliqua incommoda parit, tum, ut adfluxus occupetur, diſcutientia camphorata emplaſtri forma poſſunt applicari e. g. emplaſtr. *Mynſichti* camphoratum.

2. Bu-

2. Bubonum *malignorum*.

1) Bubones *peſtilentiales* ita tractentur:

a) *Interne* remedia illa continuentur, quæ tabula medica de peſte commendata ſunt.

b) *Externe*.

α) Si mediocris adhuc molis ſint, & reliquæ circumſtantiæ conſentiant, per providam *ſectionem* exſtirpentur, & deinde hæmorrhagia per ſpiritum vini rectificatiſſimum ſiſtatur.

β) Si *profundiores* ſint, per *attrahentia* (ipſa adeo ſubinde veſicatoria) quantocius provocentur, & poſtea *ſuppuratio*, qua fieri poteſt celeritate, promoveatur.

γ) *Ambitus* per diſcutientia camphorata defendatur, ne affluxus mundificationem retardet.

δ) *Conſolidatio* ſoli naturæ reliquatur, feſtinatio enim hic præcipue nocet. *Conf. cautel.*

2) Bubones *venerei*.

a) Curatio *interna* petatur e tabulis *medicis* de *gonorrhœa* & *lue venerea*, atque ad gradum, quem malum hoc attigit, applicetur. Ante omnia vero gonorrhœæ revocandæ & corrigendæ, vel fluoris albi, ratio habeatur. Conferatur methodus tabulæ medicæ de lue venerea num. 15. Speciatim per *unguentum Paracelſi*. *Vid. cautel. 3.*

b) *Externe* ſequente modo procedatur.

α) *Diſcuſſio* mature tentetur per reſolventia & diſcutientia, ſæpius jam nominata, e. g. per ſacculos e rad. & herbis convenientibus repletos & ſpiritu vini camphorato crocato humectatos, item per unguentum mercuriale, empl. diachyl. cum gummatibus.

β) Si diſcuſſio obtineri non poſſit, maturatio promoveatur per cataplaſmata emollientia oleoſa, it. empl. de meliloto. Nonnulli *attrahentia* præmittere docent, ſed quia affectus non adeo urgens eſt, non ſunt abſolutæ neceſſitatis, ad minimum *temperata* eſſe debent.

γ) Poſtea apoſtema, qualitercunque ſuppuratum, aperiatur, & deinde per digeſtiva & mundificantia tractetur. *Conf. tabula de ulceribus venereis.*

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Bubones, qui *febribus* succedunt, pro aliquali excretione æstimandi sunt. Unde sæpenumero ægroti per illos sublevantur, & quia retropulsio eorum vitæ periculum inducit, omni circumspectione cavendum est, ne loco *discutientium* applicentur *repellentia*, quæ in universo foro chirurgico incredibile damnum inferunt.

2. *Pancovius* de *floribus hyoscyami* pollicetur, quod bubones recentes discutiat & tollat. Experientiæ hoc relinquitur.

3. Commendat *Paracelsus unguentum* ad vulnera venenata, quod mirifice *bubones venereos* resolvit, & materiam hanc per gonorrhæam vel fluorem album eliminat. Paratur autem sequente modo: Rec. emplastr. de galban. matricale, misceatur cum succino terebinthina soluto.

4. Si bubones *venerei* intra aliquot hebdomadas maturationi non obediant, ad *fortius* maturantia progrediendum, & deinde apostema tanto majore sollicitudine mundificandum est per essent. balsam. *Stahlii*, lign. quajaci & ejusdem oleum empyrevmaticum cum unguento digestivo miscendum.

5. *Consolidationem* præstat soli naturæ relinquere, quam præmature illam promovere. Tanto magis caveatur, ne *superficialis* consolidatio tentetur, & ex apostemate ulcus, atque ex hoc fistulosa constitutio subrepat. Balsamicæ modo dictæ essentiæ hoc malum præcavent.

6. De bubonibus *pestilentibus* notandum, quod, cum anno 1682. & sequentibus pestis grassaretur, chirurgi bono cum eventu illos immediata sectione passim exstirpaverint.

7. Dextra autem opus est operatione, periculo enim tam a priori quam a posteriori non caret.

1) *A priori* quidem, quando materia adhuc est in motu, & in bubonem verum nondum congesta, tum non sufficit excisio portionis illius, quæ in bubonem *imperfecte* quasi extrusa est.

2) A posteriori autem ipsa operatio, uti non omni caret periculo, ita etiam incerti est eventus.

8. *Stahlius* veterum sententiam probat, qui pestilentes bubones & anthraces *cauterio actuali* adurere censebant. Subjungit rationem,

quod

quod *ignis* plus penetret & curet, quam *ferrum*, præcipue in ejusmodi fermenteſcentibus & putrilaginoſis materiis.

9. Practici & Chirurgi dehortantur, ne poſt ſectionem tumorum peſtilentialium, uti & ſcirrhorum cancroſorum *hæmorrhagia* ſtatim cohibeatur, ut directio materiæ ad hanc partem exitum nanciſcatur, & illud, quod ſpisſius eſt, una extrudatur.

10. *Stahlius* in hiſce caſibus commendat, ut *per initium* eſſentia *myrrhæ*, & deinde *ſpiritus vini rectificatiſſimus* infundatur. Nam eſſentia *myrrhæ*, licet cum optimo ſpiritu vini, qui per ſe fluxum ſanguinis cohibet, paretur, hæmorrhagiam tamen non ſiſtit, ſed ſanguinem magis liquat, adeo ut vulneribus, in quibus ſangvis non ſufficienter fluit, infuſa largum hæmorrhagiæ fluxum provocet.

11. Præterea eſſentia *myrrhæ*, ſtatim poſt talem *ſectionem* infuſa, cohibet corruptionem putredinoſam, a bubonibus peſtilentibus metuendam; *ſpiritus* autem *vini rectificatiſſimus*, poſtea infuſus, fluxum ſanguinis, quantum ullum aliud medicamentum, ſiſtit.

12. *Vaſa majora*, quæ in regione inguinali reperiuntur, multam ſane circumſpectionem ab illis requirunt, qui bubones ſectione exſtirpare conantur.

13. In glandulis ſub *auribus* ſectio vix ſvadenda eſt propter ramificationes *carotidum* & *axillarium* vaſorum. Ad minimum, ſi aliquid fieri debeat, circumſpectiſſime fiat, neceſſe eſt.

TABULA XXII.

DE

RELIQUIS GLANDULARUM TUMORIBUS.

I. DIFFERENTIA.

1. Præter tumores glanduloſos, quos præcedentibus tabulis pertractavimus, occurrunt alii adhuc in iisdem glandularum partibus, qui peculiarem non habent denominationem.

2. Sic dantur tumores ſub glandulis *axillaribus*, qui in magnam ſæpe molem excreſcunt, & præ aliis talibus facilioris ſunt tractationis, præcipue autem ad maturationem citius, quam alii, perducuntur.
3. Mentio etiam injicienda eſt tumorum illorum ſatis familiarium, qui juniori præcipue ætate circa glandulas e. g. colli, poſt *retropulſa ulcera*, e. g. achores, ſcabiem, eveniunt.
4. Præ omnibus autem tumores *mammarum* adhuc nominandi veniunt, quorum interdum plures mammam ſimul infeſtant, & inſignem ſubinde duritiem offerunt, ſymptomata etiam dolorifica exhibent. Diſtinguendi autem ſunt a *ſcirrho* mammarum *ſanguineo*, ſeu *cancro occulto*, qui pejoris eſt indolis, & ſtaſin *ſanguineam* pro fundamento habet, quemadmodum communes alii tumores mammarum ſtaſin *lactis* fovent. Licet non negandum ſit, quod hi, utcunque ſimplices mammarum tumores, non raro in ulcerationes cancroſas, accedente inprimis perverſa arte, transmigrent.

II. *PROGNOSIS ET CAUSÆ.*

1. Tumores, qui ex *ulceribus retropulſis* proveniunt, quando partes glanduloſas occupant, ſatis pertinaciter ſe gerunt. Quemadmodum enim natura motibus talibus expulſivo-congeſtoriis materiam noxiam retropulſam a partibus vitalibus diſtinere intendit, & continuo per motus tales congeſtorios ad talia loca, particulariter ſelecta, appellit, ita facile comprehendi poteſt, quod horum tumorum diſcuſſio non ita facile & prompte ſuccedat, niſi intentioni naturæ alia conveniente ratione ſatisfactum ſit.
2. Tumores *mammarum*, quamdiu recentes & hinc molles adhuc ſunt, atque lac in illis mobile eſt, facilius diſcuſſionem admittunt, quam ſi lac coagulatum vel in plenariam ſtaſin deductum ſit. Quando profundi ſunt, facile abeunt in corruptionem ulceroſam. Deficiente menſium fluxu, & accedente ſanguinis ad mammas congeſtione, ſtatus fit periculoſior, & facile inflammationes proveniunt. Verbo: *cancer* metuendus eſt *occultus*, & denique *apertus*. Animi pathemata uti ſtaſin lactis inducunt, ita malum hoc quam notabiliter exaſperant. Ablactatio his mammarum tumoribus ſæpius anſam præbet, id quod per vulgus notum eſt.

III. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Methodus, hos tumores tractandi, generatim convenit cum illa, quam præcedentibus duabus tabulis indicavimus.
2. Speciatim autem adhuc notare convenit, quod *flores ſulphuris* ad duo grana pro doſi reliquis medicamentis adjici queant, ſi tumores a *retropulſis ulceribus* dependeant; niſi quidem peculiaris ſubjecti ſenſibilitas, nimia ſiccitas, vel alia morbida conſtitutio obſtet.
3. Quando autem hac ratione ſcopus non obtinetur, *blanda ſalivatio*, de qua prioribus tabulis nonnihil jam diximus, uſu venire poteſt in refractariis tabulis & duris tumoribus.
4. De tumoribus *mammarum* ſpeciatim monere conducit, quod, quo magis commotiones inflammatoriæ concurrunt, eo magis temperantia, abſorbentia citrata, nitroſa & ſalia digeſtiva reliquis *internis* combinanda ſint. *Externe* autem in talibus tumoribus inflammatoriis discutientia camphorata crocata tanto magis commendantur, admixtis moderate reprimentibus. Fricio mammarum, & lactis placida emulſio ad discuſſionem etiam faciunt, obſervata hac cautela, ut quotidie minore quantitate lac exſugatur.
5. Quando autem discuſſio non habet locum, ſuppuratio & apertio promovenda, & hæc quidem interdum per actualem inciſionem; ambitus autem per camphorata defendendus eſt.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quoniam *retropulſio* achorum, ſcabiei & aliorum ulcuſculorum admodum familiaris eſt, & non ſolum pertinaces tumores, modo deſcriptos, ſed etiam plurima prothea ſymptomata & pertinaciſſimos anomalos motus, modo verſus exteriora, modo verſus interiora collectos & directos invitat, quam maxime cavendum eſt, ne per mulierculorum querelas in devia ducamur, & ulcerantibus affectibus infantilibus atque puerilibus per nuda *repellentia* & *exſiccantia* occurramus.
2. *Mammarum* tumores, ad maturitatem perducti & aperti egregie abſterguntur & mundificantur per *ſuccum vel decoctum tabaci.*
3. *Eſſentia balſamica Stahlii*, multa eſſentia ſuccini impregnata, intra apoſtema exiguis guttulis applicata, reſiſtit ulcerationi cancroſæ. Facit etiam ad conſolidationem, admixta portione ballami *Peruviani* vel *Copaivæ.*

4. *Dieta* selecta majoris est necessitatis in *mammarum* affectibus, lactis corruptionem foventibus, quam in aliis unquam. Augmentum enim immediate quasi accipit læsio per chylum vitiatum affusum.

TABVLA XXIII.

DE

TVMORIBVS TVNICATIS,

NEMPE

MELICERIDE, ATHEROMATE, STEATOMATE.

1. DIFFERENTIA.

Differunt tumores hi *saccati*, qui a Gallis *tumeurs enkistées* appellantur, sequente ratione.

1. *Meliceris* est tumor mollis. Vnde admotis digitis statim cedit, illi autem retractis pari fere celeritate recurrit. Continet materiam *melli* consistentiam & fere etiam illius colorem referentem.

2 *Atheroma* est tumor quodam modo durior, & continet materiam *pulta ceam*, *farinaceam*, *furfuream*. Derivatur ab ἀθάρα, *pulticula*.

3. *Steatoma* reliquos duritie superat, & continet materiam *sebo* simi lem. Derivatur a στέαρ, *sebum*. Germ. Speck = Beulen. Differ tamen a *struma*, cui duritie cedit, neque, sicut hæc, tam inæqualen habet tumorem.

4 Ceterum in hoc conveniunt tres hi tumores:

1) Quod peculiari membrana, satis firma & tenace, quasi sacculo in clusi & ad veram maturationem inepti sint, a parvulo nodo inci piant, atque sensim & diu excrescant.

2) In quavis corporis parte tumores hi cystici nascantur.

3) In superficie sub cute lateant.

4) Huc illuc quodammodo moveri possint.

5) In *steatomate* & *atheromate* fibrillæ quædam intertextæ sint, quæ moveantur seu trahantur & vehementem sensum excitent.

II. *CAVSÆ.*

1. Cauſa *materialis generalior* eſt *lymphæ inviſcatio.*
2. Cauſa *ſpecialior* eſt *ſtaſis lymphæ* hujus inviſcatæ, in peculiari corporis parte.
3. Cauſa *efficiens* eſt ipſa circumſpecta natura, quæ materiam talem membrana includit, ut ab affluxu & contactu reliquorum humorum defendatur, & tanto diutius ſine corruptione in hoc ſacculo delitescere poſſit.
4. Cauſæ *antecedentes*, lymphæm obviſcantes, variæ ſunt, inter quas principem locum habet *miaſma venereum.*

III. *PROGNOSIS.*

1. Tria hæc tumorum genera non ita frequenter quidem occurrunt, minime omnium *atheromata*, contumacis autem re vera ſunt indolis, & plurimum negotii Chirurgo faceſſunt. Medicamentis rariſſime cedunt, & ad mortem usque perdurare ſolent.
2. Interea tamen per plures annos ſine corruptione & periculo in ſaccu-lis ſuis delitescere poſſunt.
3. Hinc niſi tumor ſit enormis, neque in loco maxime incommodo, tolerari potius, quam ſectioni ſubmitti ſolent a multis ægrotis, præcipue, quia doloris ſunt expertes, & raro partium functionibus impedimentum afferunt.
4. Si poſt materiæ emunctionem *folliculus* non prorſus exſtirpetur, recidivam parit, aut ſi tantillum illius relictum fuerit, ulcus fiſtuloſum diuturnum & fœtidum inducere ſolet.
5. Membrana denſa & tenax tam reſolutionem hujus ſtaſeos, quam corruptionem impedit, & ſic ex parte obeſt & ex parte prodeſt.
6. Quando autem materia contenta agilioris eſt indolis; uti in cauſis luis venereæ ſubinde eſſe ſolet, tum citius corruptio inducitur & membrana roditur.
7. Præcipue *melicerides* corroſivam indolem præ aliis citius exhibere & oſſa arrodere obſervantur. Maxime ſi incongrue tractentur.

IV. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Interna* medicatio, uti ſub *prognoſi* jam dictum, parum quidem auxilii hic confert, poſſunt tamen corpus præparantia præmitti, inprimis ſi inquinamentum venereum hos tumores induxerit, vel iisdem ſupervenerit. In tali caſu neceſſaria ſunt antivenerea, quæ ſecundum

dum methodum & gradus differentiam tabula *medica* de *lue venerea* commendatam possunt applicari.

2. *Externe* sequente via incedendum est.

1) Si tumores hi adhuc sint recentes, resolutio & discussio illorum, licet anceps sit, tenetur per eadem resolventia topica, quæ præcedentibus tabulis jam allegata sunt, præcipue per *camphorata*, emplastr. *sap. Barb. camph.* de *cicuta* camph. de *ranis vigonis* cum mercurio aucto, empl. *diachyl. c. gumm.* item etiam per compressionem cum *lamina ferrea*.

2) Suppuratio uti intricatum est negotium, ita maturantibus nulla ratione respiciatur.

3) Quando obfirmati sunt tales tumores, efficacissimum & optimum est remedium, ut simul & semel *exscindantur*. Legi hic meretur *Severinus de recondita abscessuum natura*. Nempe incisio fit cruciatim, materia commodo cochleari e folliculo eximitur, & denique ipse folliculus extrahitur.

4) In *fovea* deinde conveniunt myrrhata, succinata, pauxillum terebinth. & mastich. in *ambitu* autem penetrantia discutientia, e. g. empl. diachyl. cum gummatibus bene solutis, cum camphora imbutis.

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Nonnulli auctores *septicum* præferunt *actuali incisioni* cum ferro. Sed his assensum non præbemus.

2. Ante *causticorum* applicationem materiam emolliendam prius commendant emplastris emollientibus.

3. *Musitanus*, educta materia, ad folliculum destruendum oblinit illum penicillo spiritu salis armoniaci vel oleo mercurii albi leviter imbuto, usque dum æger dolorem persentiscat & sanguis appareat. Sed suspecta sunt corrosiva, neque iisdem indigemus, quia folliculi extractio sine his fieri potest.

4. Nonnulli tumores hosce superficiales *deligant*, sed hæc deligatio rarius locum habet, nempe in illo solo casu, quando tumor circa sui radicem seu centrum augustus & pendulus seu fastigatus & imminutus, circa peripheriam autem expansus est. Ceterum quia successive fit hæc operatio & toto hoc tempore multi dolores persentiscuntur, præferenda est *excisio*.

5. Sa-

5. *Salivatio*, quam multi probant, non commendatur, nisi subsit causæ venereæ talis gradus, cui salivatio destinata est. Et licet in primis horum tumorum initiis resolutionem præstare possit, nulla tamen ratione violenta talis medicatio tali exiguo incipienti affectui, qui securioribus remediis superatur, adhibenda est. Decocta enim antivenerea sufficiunt.

6. *Decocta* hæc *antivenerea*, uti satis notum est, parantur e lignis & radicibus. Notandum autem, quod *radices* in affectibus *ulcerosis* majorem usum habeant, quam ligna, quæ tamen in vagis internis corruptelis non aspernuntur. *Succinata* utilissime etiam hic adhibentur.

7. Allegat *Stahlius* exemplum de exitiali eventu puellæ sex annorum, *steatomate*, nucis juglandis magnitudinem ultimo referente, affectæ; quem tumorem primus Chirurgus maturantibus, emollientibus & tandem acribus tractaverit, donec tandem rumperet, sed sine laudabili suppuratione, & frustranea subjuncta multa medicatione. Postea alterum Chirurgum *salivationem* adhibuisse, sed sine successu. Tandem viribus exhaustam & extenuatam mortuam esse. Et sic in ulcerascente tali statu tam mercurialia quam septica nocent.

8. Ceterum adhuc notandum, quod, si tumores hi obfirmati sint, plerumque etiam viscera interna talibus nodis obsessa reperiantur, quemadmodum in cadaveribus sectis vidimus. Sic e. g. in adolescente 18 annorum defuncto sequentia detecta sunt.

1) *Duodeno* intestino magnum *steatoma*, gallinacei ovi ambitum æquans, ita collocatum incumbebat, ut *venam portæ* & *ductum communem biliarium* comprimeret.

2) *Mesenterium* innumeris exiguis talibus tumoribus, sebacea materia refertis; conspiciebatur, in *centro* autem *steatoma* erat, quod alterum magnum in duodeno magnitudine superabat.

3) In *pulmonibus* multæ itidem glandulæ induratæ & sebacea materia refertæ erant, & quidem e sinistro latere erant hæc tubera continuata & spisse cohærentia cum illis, quæ per collum ad aures usque pertingebant, in dextro autem latere majora erant, in pectus autem non descendebant, sed sensim decrescendo ad humerum desinebant, integramque libram exsciſſa ponderabant.

9. Suppeditant autem hæ obſervationes talem uſum practicum, ut non nimium polliceamur, quando tales tumores ſaccati obfirmati offeruntur, bene conſiderando, quod, ſi omnino dextra exſciſſione tumores illi *externi* removeantur, æger tamen nihilominus ob internarum partium corruptionem vitam perdere poſſit.

10. Interea *exſciſſio* ipſa peritam adminiſtrationem requirit, nempe cutis ſuperſtrata ita eſt ſecanda, ut tota tumoris moles circumcirca ſit liberata & radix detecta, atque ita *tumor* cum *petiolo* ſuo radicitus, & nullo fruſtulo relicto, poſſit exſtirpari.

TABVLA XXIV.
DE
GANGLIIS.

I. DEFINITIO.

Ganglium eſt nodus in partibus tendinoſis, oſſeam ſubinde duritie exhibens. Derivant a græco, γάγγλιον, quod per contortionem nervi præternaturalem interpretantur. German. vocatur ein Ober=Bein.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Ganglia* non quidem inter *ſcirrhos* numeranda ſunt, meliore tamen jure ad hos, quam ad *excreſcentias* referuntur. Nam in excreſcentiis *nova* ſtructura ſupponitur.

2. Et quemadmodum *ſcirrhi* reliquos tumores magis ſimpliciores, etiam ſaccatos, præcedente tabula tractatos, duritie ſuperant, ganglia ipſis adeo ſcirrhis duriora ſunt.

3. A nodis podagricis per reliquas circumſtantias facile diſtinguuntur.

III. *SIGNA.*

1. Naſcuntur ganglia, & tacite ſubinde, ſub cute in partibus tendinoſis, extrorſum & introrſum circa carpum.

2. Inſidere ejusmodi ſolent partibus, quæ oſſibus ſunt propinquæ, raro autem in aliis locis, quam in manibus & pedibus tenerioribus

mirum tendinibus muſculorum, digitos moventium, reperiuntur. Licet *ganglia* dentur a nativitate.

. Mobile eſt ganglium, quando muſculus movetur, & quando preſſionibus irritatur, ſenſum quodammodo dolorificum, quo alias caret, exhibet.

. Succeſſive incrementum ſumit, & quidem ita, ut ſub initium paululum mollius ſit, dum vero ſenſim ſuccreſcit, interdum in duritiem inſignem convertitur.

. Diverſæ ſunt magnitudinis & nonnunquam in uno ſubjecto plura occurrunt, ordinarie autem unum.

. Quæ magnæ molis evadunt, partis mobilitatem & officium impedire ſolent.

CAVSÆ.

. Cauſa *proxima* de gangliis non poteſt reddi. Semper enim dubium manet, num a *tendinis* induratione, criſpatione & tortuoſa contractione, uti nodi podagrici, an vero ab impacta ibidem materia quadam lenta lymphatica, uti ſaccati tumores tabula præcedente nominati, dependeant. Vero tamen ſimile eſt, quod, licet tendinis affectio nonnumquam conſpiret, materia tamen viſcida & impacta potiſſimum accuſanda ſit; id quod geneſis ganglii, ejusdem contactus, ſitus & medela confirmant,

. Cauſa *occaſionalis* eſſe ſolet diſtorſio, contuſio, conquaſſatio impetuoſa ſub labore intenſo, ictu, lapſu, wenn man die Hand verſtauchet und vergriffen, oder den Fuß vertreten hat. Licet non immediate ſemper, ſed poſt aliquot demum dies ordinarie ganglia ſuccedant.

. Non ipſis oſſibus incumbunt ſeu inhærent, quod ex pathognomica illa circumſtantia, dum mobilia ſunt, diluceſcit. Hinc tali reſpectu Uber-Beine non appellantur, ſed hoc nomen a duritie veluti oſſea, quam ganglia inveterata & confirmata nonnunquam exhibent, accepiſſe videntur.

PROGNOSIS.

. Ganglia, quo magis attinguntur, commoventur, & fricantur, eo magis accreſcunt, mobilitatem partis lædunt, & tanto facilius dolent, niſi ſub illa compreſſione reſolvantur.

. Sibi relicta, non facile periculum involvunt.

3. Quemadmodum ex ſe ad *maturationem* & *exulcerationem* nunquam tendunt, ita etiam nulla arte ad talem corruptionem facile perduci poſſunt, niſi quidem *corroſiva* infauſte adhibeantur.
4. Quando autem per inſignem inflammatoriam irritationem circumjacentium partium offenduntur, tunc periculoſi affectus ſpaſmodici exoriuntur, & ulceratio cancroſo-corroſiva exſpectanda eſt.
5. Tolerantur interim facile, niſi admodum indureſcant & augeſcant, quod tamen raro fit.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Gangliorum curatio conſiſtit in *reſolutione*. In hunc finem ſequentia remedia adhiberi ſolent.

1. *Emplaſtra* e discutientibus penetrantioribus parata e. g.
   a) E gummi reſinis, præcipue galbano, tum etiam ſagapeno, ammoniaco, bdellio, ſarcocolla in aceto ſolutis.
   b) E compoſitis laudantur empl ſaponat., de ranis cum mercurio, de ammoniaco *Foreſti*, præmiſſa & repetenda inunctione cum oleo amygdal. dulc. vel alia lenitione & emollitione.
   c) Succedit hoc experimentum, quando ganglium adhuc recens eſt, & in accremento quaſi conſtitutum, atque nucis juglandis quantitatem nondum ſuperavit.
2. *Compreſſio* moderata, diuturna, per plures hebdomadas continuanda, cum *lamina ferrea*, quæ quotidie arctius, ſi forte ſtrictura remiſerit, comprimitur. Sufficit autem vel ſimplex talis lamina, vel cum pauxillo mercurii vivi illita & alternis diebus repetita. Hæc itidem in recentibus efficax eſt.
3. Quando autem jam ſeneſcentia ſunt, negotium commode non ſuccedit, ſed ea in uſum ſunt vocanda, quæ tranſpirationem impediendo partes ſolidas *emolliunt*, & tunc locum habet *preſſio fortis* & torſio ſeu disruptio impetuoſa.
   a) *Emollitionem* intendunt per reſinam albam aut ſtyracem albam una cum oleo amygdal. dulc. aut oleo liliorum alborum mixtam.
   b) *Disruptionem* per fortem manualem compreſſionem. Man ſolle das Uber-Bein zerdrücken, daß die humores mucidi, ſecundum hypotheſin, aus dem folliculo heraus gepreſſet würden. Disrupto ganglio imponenda commendant *emplaſtra* ſuperius deſcripta.
4. Reliqua peculiaria ſub *cautelis* tangemus.

VII. *CAV-*

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Gummi *ſagapenum* ſubtilius quidem eſt & minus acre quam *galbanum*, magis tamen veluti evanidum, & non tam fortiter agens.
2. Commendatio *ſalivæ*, jejuni præcipue hominis, ad diſcuſſionem recentium gangliorum nota quidem ſatis eſt, ſed optandum, ut ubique experientiæ reſponderet.
3. *Laminam ferream* e tali globulo conficiendam commendant, cum quo animal grandius trajectum & interfectum eſt. Num autem hæc circumſtantia ad eſſentiam rei pertineat, dubitamus.
4. Nonnulli Chirurgorum e. g. *Solingen*, commendant *exſciſſionem* gangliorum; quæ vero perperam inſtituitur, & multis periculoſis ſucceſſibus anſam præbet.
5. *Corroſivis* exſtirpare velle ganglium, eſt res periculoſa.
6. De *morſicatione* dicendum etiam eſt. Commendant nempe nonnulli, ut æger ipſe, vel alius etiam, cum decente modeſtia *morſicando* nodum talem emolliat & ſenſim quaſi concerpat.
7. Auctores e. g. *Muys* & *Mekeren* certas encheireſes docent, quibus diſruptio fieri poſſit. Prior pollicem ganglio imponere & deinde omni vi premere docet. Poſterior manum menſæ imponendam & deinde pugno aliquoties ganglium percutiendum commendat. *Helvetius* malleum ligneum adhibuit.
8. Notum eſt exemplum viri cujusdam, cujus ganglium ſatis magnum & durum, vehementibus aliquot percuſſionibus profligabatur. Der Chirurgus ſchlug ihm etliche mahl mit aller Heftigkeit vermittelſt einem harten Buche auf das ganglion, da es denn gleich verſchwand.
9. *Specifica, ſympathetica imaginaria* & ipſa denique *ſuperſtitioſa* remedia nominanda reſtant.
   1) *Contactus* gangliorum a *moriente* aut *mortuo* homine.
   2) Speciatim manus *filii ſeptimi*, uti ſtrumas, ita etiam ganglia curare dicitur. Es ſollen aber keine Töchter darzwiſchen gebohren ſeyn.
   3) Abſterſio cum *induſio*, in quo homo recenter mortuus eſt, ita ut ſudore emortuali adhuc madidum ſit.
   4) Aſpectus duorum hominum, uni equo inſidentium, & quidem luna creſcente. Sed fides ſit penes experientiam.

5) *Baculus* mendico, ſine prævia petitione, e manibus ereptus, & ganglio preſſione admotus. Sed *Muys* ſine talibus circumſtantiis ganglium baculo fortiter percuſſit.

TABULA XXV.

DE TUMORIBUS OEDEMATOSIS, SEU FRIGIDIS DICTIS.

I. *DIFFERENTIA.*

1. De his in tabulis medicis jam actum eſt, & quoniam magis pharmaceuticam medicationem, quam chirurgicam reſpiciunt, hoc loco ea tantum tangemus, quæ perverſas Chirurgorum tractationes avertere & juſtos limites adſignare illis poſſunt.
2. Hinc omnino diſtingui debet inter tumores œdematoſos, qui ab *externis* cauſis inducti ſunt, adeoque & topicam diſcuſſionem exſpectant, & inter eos, qui ab *interna* cauſa, decubitu nempe immediato & congeſtione humorum ad partes exteriores, originem duxerunt, adeoque & altiorem in viſceribus ſcaturiginem agnoſcunt.

II. *CAUSÆ.*

1. Plerique autem tales tumores ortum ſuum ab *interna* cauſa ducunt nempe a lymphæ & ſeri organis ſecretoriis obſtipatis, atque hinc uſu eorum depuratorio intercepto.
2. Nonnulla œdemata ab *externis* cauſis naſcuntur, e. g. a refrigerationibus, fibras cutaneas relaxantibus, emollientibus, humores transeuntes coagulantibus, item a contuſionibus, perverſis medicationibus *topicis*.
3. Sic contingunt particularia talia œdemata non raro poſt ſtaſes ſanguineo-eryſipelaceas & phlegmonodeas, ſubtilibus diſcutientibus tractatas.
4. Unde *Paracelſus* in chirurgia ſua, ubi de cauſis œdematum diſſerit, illorum originem a refrigeratione partis affectæ deducit, neque ib

actua

actualem modo refrigerationem designat, licet & hæc non parum contribuere possit, sed magis *potentialem*.

5. Quando enim affectus erysipelacei & phlegmonodei emplastris refrigerantibus, vel *solis* camphoratis tractantur, priore modo serum coagulatur, posteriore autem sanguis subtilior reprimitur, serum autem remanet. Unde œdematosus tumor, frequenter etiam *scirrhus sanguineus*, succedit.

III. *METHODUS CVM CAVTELIS PRACTICIS.*

1. In tractatione *œdematum*, a causa *interna* dependentium, prima cautela hæc sit, ut omnis *instrumentalis* chirurgia excludatur.

2. Pessimum enim revera est consilium, œdemata *scarificationibus* profligare velle, præcipue quando jam diutius hæserunt. Cum enim ortum suum e longinquo quasi habeant, absurdum est, effluxum evacuare, fontem autem affluxus intactum relinquere, nedum tollere.

3. Periculosum præterea est, si ægri sint cacochymici, aut intemperie scabiosa vel venerea adfecti. In his enim circumstantiis tanto periculosior est *scarificatio*, quia vulnuscula ægerrime consolidantur, & hinc ulcerationi ansam præbent.

4. Sic etiam œdemata talia, a causa *interna* ortum habentia, multa circumspectione per chirurgiam *medicam* tractanda sunt. Quando enim cito repelluntur, eadem fere pericula inferunt, quæ ab affectibus inflammatoriis retropulsis inducuntur.

5. Testantur enim numerosa hujus rei exempla, quod dejectio appetitus, magnæ angustiæ, respirationis difficultas, virium prostratio, agrypnia, febres acutæ cum vitæ subinde periculo succedant, quando tumori pedum œdematoso spontanea retrocessio vel arte facta retropulsio supervenit.

6. Monent Medici quidam, ut remedia *interna* cum *externis* debeant combinari. Sed revera si *interna* efficacia justa continuatione adhibeantur, non opus erit externis. Si etiam *interna* remedia operæ pretium non faciant, ab *externis*, nisi periculum inducere velimus, prorsus abstrahendum.

7. Optandum sane esset, ut Chirurgi in hisce casibus prorsus abstinerent. Conveniens enim horum œdematum *topica* tractatio ab illis rarissime exspectanda est. Vnde magis consultum ducimus, ab omnibus remediis

diis externis dehortare, quam casibus fortuitis ægrum exponere.

8. Speciatim notandum est, quod in hisce tumoribus non conveniant *pinguedines*, quia erysipelaceam provocant stasin, vel facile ad ulcerationem talia œdemata deducunt. Neque *adstringenia* locum hic inveniunt, e. g. *colcothar vitrioli*, quod emplastris admisceri solet. *Exsiccantia* quoque non prosunt, e. g. cadmia, tutia, spodium, pompholix. Talia enim non tam in *clausis* tumoribus, quam soluta illorum unitate per stypticitatem suam aliquid præstant.

9. Itaque de *externis* nihil, quam solam congruam *diætam*, præcipue cibos *zingibere* conditos, commendamus, & ab animi pathematibus sibi temperandum quam maxime suademus.

10. Quando stases tales ad *ulcerationem* inclinant, quæ tameu quovis modo impediatur, suadent nonnulli, ut *sulphuris* externo usu hoc impediatur; quemadmodum excretiones scabiosæ hac ratione repelluntur. Sed licet hoc consilium non plane de nihilo sit, cavendum tamen quam maxime, ne sulphur inconvenientibus formulis vel alia incongrua methodo adhibeatur.

11. Recentiores quidam *formulas sulphuratas* in lixiviorum consistentia præscribunt, e. g. lixivium e scoriis reguli antimonii paratum, sulphure antimonii imbutum. Sed experientia siniſtra circumspectionem docet. Certum enim est, quod solutio sulphuris antimonialis efficaciam exserat causticam. Vnde cuti maculam rubicundam facile inurit, atque hinc excoriationem & ulcerationem in parte affecta suscitat. Et sic contrarium hac methodo præstat.

12. Si autem *sulphur* omnino in usum trahere velimus in illis frigidis tumoribus, qui a causis *externis* originem suam sumserunt, præstat illud *in substantia* vel diluta tantum solutione adhibere, & quidem hac ratione. Lixivium sulphuratum post sui coctionem aqua ulteriore magis diluatur, membrum affectum eodem aliquamdiu fomentetur, postea etiam aceti aliquid lixivio instilletur, quo nexus sulphuris & alcali dissolvitur, sulphur præcipitatur, penetrans illius odor percipitur, & sic penetrantissima sua efficacia se insinuare potest.

13. *Emplastra* quæ hoc loco conveniunt, sunt e. g. saponat. Barb camph. *Mynsichti diaphoreticum*. Hoc diaphoresin non promovet sed ita tantum nominatur, quod non æque, ut alia emplastra, poro

obsti

obſtipando, tranſpirationem impediat. Si his emplaſtris aliquid ſulphuris inſpergatur, egregium uſum præſtant.

14. Emplaſtrum de meliloto, modice camphoratum, imponi quoque poteſt, non continuo ſed per vices, ita ut per noctem imponatur, per diem iterum removeatur, ne ob nimiam ſanguinis attenuationem ulceratio inducatur. Nocent autem emplaſtra *valde gummatoſa*; aut *reſinoſa tenacia*.

15. Ab *acrioribus* remediis, e. g. oleis deſtillatis, gummi-reſinis, abſtinendum vel ad minimum ſibi temperandum. Semper enim plus hic valent temperata reſolventia & diſcutientia.

16. Unde non contemnendus eſt uſus herbæ *chelidonii majoris recentis*, leviter conquaſſati, & paululum calefacti, ad fundendos enim humores aliquid contribuit.

17. Sic folia *bardanæ majoris*, leviter conquaſſata, tumoribus talibus conveniunt.

18. Diſſolutioni ſtaſium œdematoſarum etiam inſeruiunt *rad. bardanæ* (cujus *folia* modo commendata ſunt) *ſigill. Salom. bryon. piper murarium* quoque & *fœnu græcum*, ſi tanquam epithema *ficcum* adhibeantur.

19. Ab *humidis* nimium epithematibus & cataplaſmatibus abſtinendum eſt. Hinc loco aquæ *vinum* vel *urina* pro decocto conficiendo in uſum trahatur. Sicuti etiam urina & urinoſa excrementa e. g. ſtercus caprillum & ovillum tepide impoſita non contemnendæ efficaciæ deprehenduntur. Ruſticus quidam liberavit aliquem ſolo fimo vaccino impoſito; fuit autem œdema, a cauſa externa productum.

20. Inter odorifera *petaſitis* & folia ejus recentia, per ſe calide impoſita, laudantur. Si vero in *decocto* adhibere placeat, præſtat halitus forma applicare, ut nempe decoctum fervens vel in vas conveniens effundatur, vel lateribus candefactis affundatur, ut ita vapor ad partem affectam penetrare poſſit; cavendo tamen ne adurendo partem lædat.

21. Frequentiori uſu ſi repetantur, ſub initium conficiantur *vino*, poſtea *aceto*, ſive ſolo ſive vino admixto, ſemper tamen major portio aceti quam vini ſumatur. Acetum enim partim reſolvit, partim conſtringit; ſicuti omnia externa, quæ hic uſum habere poſſunt, partim

humores reſolvere, partim etiam vias roborare & partes ad lenem ſtricturam provocare debent; quo nomine *acetum* efficax eſt.

22. Quando humores *diutius* hæſerunt, tunc diſcuſſio vel plane non, vel ſegniter procedit; id quod bene notandum, ne putemus, cogi poſſe negotium.

23. *Decoctum tabaci* in recentibus œdematoſis tumoribus commendationem meretur, vel *ipſe tabacus* cum butyro non ſalito in unguentum redactus. Ubi tamen attendendum, ne nimium butyri ſumatur; atque pinguedine hac noceatur, ſed paululum *ſaponis* admiſceatur, vel *emplaſtr. ſapon. Barbette* alternando imponatur, neque nimium frixentur, alias tabacus odorem & penetrantiam ſuam amittit. Nota ſunt exempla, in quibus felici ſucceſſu hæc applicata ſunt.

24. Sed iterum monemus, hæc topica applicanda eſſe œdemati tantum illi, quod a cauſis *externis* dependet; in aliis non æque neceſſaria ſunt.

25. Ceterum, uti œdemata *hydropica* calore reſolvuntur, frigore autem redeunt, contra *particularia* œdemata frigore conſtringuntur, & calore turgent, ita ex hiſce redundat, quod, ſi omnino externa ubique applicare velimus, emplaſtica adſtringentia particularibns, a frigore retrocedentibus, id eſt a cauſis externis dependentibus, epithemata autem, fotus, vapores & balnea vaporoſa illis, quæ calori cedunt, & a cauſis internis ſuſtentantur, conveniant.

26. *Bufones* & *lacertæ* a quibusdam externe commendantur. De *ole bufonis* ſeu *rubetæ* ſpeciali efficacia legatur *Foreſtus de hydrope*, de uſu *lacertarum* interno æque ac externo vid. *Scultetus in armament chirurg.*

27. Ponunt quidam pedes in *vinacea* calida.

28. *Borrichius* veſicas eximias, aqua calida repletas, ventri impoſuit, quibus ſudorem excitavit, bono cum effectu.

29. Denique dicendum eſt de *ſtricturis* partium ſatis notis, quas Chirurgi mediante *faſcia ampla* in tumoribus œdematoſis inſtituunt. Hæc certe operatio, exceptis paucisſimis caſibus, arti opprobrio & ægri maximo damno evenit; præcipue quando tumor a cauſis internis a peculiari defluxu rhevmatode originem habet, & per hanc ſtricturam ſuſpenditur, diſſipatur & repellitur, vitæ periculum incurrere poſſunt ægrotantes. Hanc imperitisſimam hominum inſcitian

jan

jam olim reprobavit *Paracelſus* von der *impoſtur* mit denen Roll-Binden.

TABULA XXVI.

DE

HYDROCEPHALO.

I. DEFINITIO.

Hydrocephalus eſt tumor capitis aquoſus, modo partes illius *internas*, modo *externas*, occupans, & a ſeceſſione humorum lymphatico-ſeroſorum originem ducens. Derivatur ab ὕδωρ, aqua, & κεφαλὴ, caput. German. der Waſſer-Kopff.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Hydrocephalum tabula *medica* de hydrope *particulari* paucis jam tractavimus. Reſtat, ut nonnulla hic adjiciamus.
2. Duplici autem modo conſiderandus eſt hydrocephalus. Collectio enim aquæ contingit
   1) Vel *externe*, ubi *ſerum* hæret
      a) Modo inter *cutem* & *pericranium*.
      b) Modo inter *pericranium* & *cranium*.
      c) Huc etiam referri merentur tumores, a *poſtico* capitis pendentes, qualem recenſet *Ruyſchius* obſerv. 52.
   2) Vel *interne*, ubi aqua hæret
      a) Modo inter *cranium* & *duram matrem*.
      b) Modo inter *duram* & *piam matrem*.
      c) Modo inter *has* & ipſum cerebrum, cujus præcipue ventriculi ſero referti inveniuntur.

III. *SIGNA.*

A. Hydrocephali *externi*.

1. Quando collectio lymphatico-ſeroſa contingit intra *cutem* & *pericranium*, cognoſcitur illa e ſequentibus:

1) Tumor eſt *magnus* & *enormis*, ita ut exempla proſtent, quorum hydrocephalus plures ſeri menſuras continuit.

2) Tumor eſt *elevatus* in altum, *mollis*, tactui cedens & recedens.

3) Vtplurimum *pellucidus*, ita ut ipſa aqua conſpici poſit, quando hydrocephalus inter candelam vel ſolis radios & viſum noſtrum conſtituitur.

4) Sic etiam motus fluctuantis aquæ percipitur, quando hydrocephalus comprimitur.

5) Nullus autem dolorificus ſenſus inde percipitur.

6) Quando vero hydrocephalus talis non per ſe, ſed per cauſam externam, nempe vehementem contuſionem & conquaſſationem exoritur, tunc dolor cum rubedine ſub initium accedit, poſtea autem evaneſcit.

2. Quando collectio ſeroſa intra *pericranium* & *calvariam* contingit, tunc tumor aliquantulum durior, & dolore exquiſito tenſivo conjunctus eſt.

B. Hydrocephali *interni*:

1. Quando ſecesſio aquoſa inter *cranium* & *duram matrem* facta eſt, tumor itidem *durus* reperitur, & non cedit, niſi valide comprimatur. Vnde eximius *dolor* perſentitur. Nam futuræ dehiſcunt & dilatantur. Præterea *oculi* clauſi & cum continuo ægri vagitu *lacrymas* fundunt.

2. Quando inter *duram* & *piam matrem* ſerum ſtagnat, tunc *frons* prominet, *oculi* tument, & extra orbitas protuberant.

3. Quando inter utramque *meningem* & ipſam glanduloſam *cerebri* ſubſtantiam ſecesſio occurrit, tunc animi & corporis functiones languent, & ægrotantes ſoporiferis facile affectibus corripiuntur; imo cerebrum ipſum, diſſolutis oſſibus bregmatis, extra ſuperiorem calvariæ partem, quando tumor augmentum ſumit, protuberat.

IV. *CAUSÆ.*

1. Hydrocephalus *internus*, uti *infantibus* proprius eſt, ita contingit

1) Vel *ante* partum, & tunc accuſant vel nimium aquæ potum, vel fructuum acidorum eſum ex parte matris, ex parte autem ipſius infantis inſolitum ipſius ſitum; de quibus rebus, tanquam incertis, nihil certi affirmamus.

2) Vel

2) Vel *ſub* partu, nempe quando in partu difficili caput infantis prominet, thorax autem non ſtatim ſuccedit. Vnde per ſtrictu-ram uteri ſpaſticam ſtrangulatio quaſi circa venas exoritur *jugula-res*, & hac ratione magna ſeri copia verſus caput reſtringitur. Contingit etiam talis ſtrictura, quando rudis manus obſtetricis ca-put infantis comprimit.

3) Vel *poſt* partum, quia lymphatica vaſcula adhuc mollia ſunt, & oſſa cranii nondum coaluerunt, vel, ſi hoc factum ſit, a levi cau-ſa dehiſcunt.

4) Rariores ſunt cauſæ *internæ*, quæ in hydrope alias culpandæ ve-niunt.

2. Hydrocephalus *externus*.

Hic violentæ externæ cauſæ tantum accuſandæ ſunt, præcipue vehe-mentes contuſiones. Talem hydrocephalum in *adultis* etiam ſubin-de occurrere ab auctoribus obſervatur.

PROGNOSIS.

1. Hydrocephalus *internus* eſt affectus calamitoſus, & quando *lethargus* accedit, animæque functiones inſigniter læſæ ſunt, moriuntur tales ægri vel corruptione ſphaceloſa, vel apoplexia, vel convulſio-nibus.

2. Hydrocephalus *externus* curationem quidem interdum admittit, pe-riculo tamen non vacat.

3. Et quo *importunius* hic affectus ſeſe exſerit, eo minus præſidii eſt in medicamentis; quando autem *lenius* procedit, remedia nonnunquam aliquid præſtant.

4. Quando tumor in dies creſcit & vaſa lymphatica rupta ſunt, res eſt conclamata.

5. Brevioris exitus eſt hic morbus. Hinc ad rariora exempla pertinet illud, quod ephem. natur. cur. cent. I & 2 aſſeveratur, videlicet talem affectum in duodecimum & viceſimum usque annum protra-ctum eſſe.

METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.

1. *Interne* propinentur *nutrici*, &, ſi fieri poſſit, etiam infanti, lenia *laxantia*, præcipue phlegmagoga, conjunctis *reſolventibus* & leniter *diureticis*.

2. *Externe* mature adhibeantur affectæ parti *nervina resolventia*, & qui dem in *sacculis*. Laudantur in hunc finem
   1) *Radices* irid. Florentinæ, cyper. pimpinell. alb. vincetox. bryor caryophyllat. sigill. Salom.
   2) *Herbæ* adianth. alb. puleg. rorismarin. majoran. salv. thym beton.
   3) *Flores* lavendul. spic. chamomill. rosar.
   4) *Semina* anis. fœnic. cumin. dauc. coriandr.
   5) Locum etiam habent *fotus* & *cataplasmata* vino parata, conjunct per aliquot subinde horas emplastr. saponat. *Barbette*.
   6) His non sufficientibus ad *operationem* progrediuntur, de qua sul *cautelis* dicemus.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Radix *iridis nostratis*, ad grana duo vel tria reliquis *phlegmagogis* ad di potest. Evacuat enim serosam viscidam materiam; speciatim autem in pectoris infarctu egregie se gerit, wenn die Kinder Rö cheln oder Keichen auf der Brust haben; abesse autem debet febri acuta.
2. Hydrocephalus quando in adultis reperitur, ipsa ratio dictitat, quo efficaciora evacuantia, resolventia & auxilia chirurgica locum ha beant; sed cum omni circumspectione & reliquarum circumstantia rum consideratione.
3. Siccommendant auctores usum *pulveris sternutatorii* & reliquorum *apo phlegmatizantium*.
4. *Hildanus* aquam *calcis vivæ* spongia applicavit, & hydrocephalum hac ratione curavit.
5. Alii commendant *setaceum*, *fonticulum*, emplastra *rubefacientia* ve *vesicatoria*, nuchæ applicanda.
6. Alii *cauterium* occipiti inuri, vel cuti hinc inde *vulnuscula* infligi ju bent. Vid. *Poisau* de morbis serosis sect. 2. part. 1. c. 1. & *Lamswer den* in appendice observ. 33.
7. His omnibus irritis auctores quidam *incisionem* per *transversum* com mendant, cui recentiores nonnulli *scarificationem profundam* præ ferunt & quidem in illa regione, in qua tumor maximus est.
8. In *infantibus* non concedunt operationem, nisi in utero jam mater no hydrocephalus adsit & partum impediat. Sed quis non vi det,

det, esse hanc operationem intricatissimam & periculo plenissimam.

9. In *adultis* hydrocephalus *externus* melius tolerat incisionem, quam *internus*, licet & in tali casu non omne periculum absit.

10. Operatio fit *lanceola* aut *tuba cannulata*, vulgo *trocar* dicta, quam in paracentesi pectoris & abdominis adhibere solent.

11. Incisio in loco *declivi* instituenda, & aqua non simul, sed per aliquot dierum intervalla evacuanda est.

12. Ante operationem omnis nervus intendatur, ut per *fotus* aut *cataplasmata* discutientia & nervina discussio obtineri, & ita operatio chirurgica prætermitti possit.

13. Quando cranii ossa non dehiscunt, & aquæ sub illis latent, non alia, quam *trepanationis* operatio locum habet.

14. Si sub *dura* matre collectio serosa hæreat, illa per punctionem incidenda est cum *lanceola*, *plumaceolo* involuta.

15. Quod si vero in *ventriculis* cerebri secessio facta sit, neque *incisio* neque *punctio* locum habere videtur.

16. In hydrocephalo externo *incipiente*, vel si levior humoris extravasati pressio futuras a se invicem dimoveat, fascia, *la capelline* Gallis dicta, usum præstat. Quando autem ulterius tumor progressus est, fascia hæc nullam habet utilitatem.

TABVLA XXVII.
DE
PROCIDENTIA VTERI.

DIFFERENTIA.

I. Vteri prolapsus diversis sui *gradibus* considerandus est.

1) Vel enim uterus intra *vaginam* tantum prolabitur, & tunc vocatur uteri *descensus*, germ. Senckung der Mutter, qui iterum suos habet gradus.

a) Modo enim *leviter* tantum descendit, ita ut solo pondere molestiam in illa regione creet.

b) Mo-

b) Modo ad *extrema* vaginæ usque prolabitur.

2) Vel uterus *extra* pudenda prominet, german. Sturtz der Mutter, quæ præcipitatio ſpeciatim prolapſus dicitur, & duplici modo contingit.

a) Nunc enim uterus prolabitur ſine *inverſione*, & tunc orificium ejus internum conſpicitur.

b) Nunc *inverſus* eſt uterus, & tunc inſtar molæ carneæ, quæ caput majoris infantis refert, intra femora propendet, ac ſerum cruentum e poris & vaſis illius profluit.

2. Ad uteri procidentiam, late ſumtam, refertur etiam *vaginæ* prolapſus qui itidem ſuos habet gradus. Præterea vagina modo *ſola*, modo *cum utero* prolabitur. Sola quando prolabitur vagina, tumorem minorem, mollem, inſtar inteſtini globoſi, exhibet, & interna ſui parte ſaccum refert.

3. Cum prolapſu uteri non confundendæ ſunt *excreſcentiæ* illæ carnoſæ quæ e vagina uteri ſæpius prominent, & non raro in magnam molem excreſcunt. In hac diagnoſi decipiuntur nonnunquam peritiſſimi, tam Medici, quam Chirurgi.

4. Poſuimus quidem hanc differentiam ad mentem tam veterum quam modernorum auctorum: docet autem experientia a poſteriori & conſideratio anatomica a priori, quod *ipſius uteri* prolapſus rarior, *vaginæ* autem frequentior occurrat. Quare ea, quæ de uteri procidentia paſſim dicta ſunt, anguſtis hisce limitibus incluſa volumus quocunque etiam modo patroni frequentioris prolapſus nexum anatomicum præfigurare ſibi allaborent.

II. *CAVSÆ.*

1. Cauſa *proxima* prolapſus uteri num ſemper ſit *relaxatio* partium ligamentoſarum, vel etiam interdum *diſſolutio*, Criticis decernendum relinquimus.

2. Qui *diſſolutionem* admittunt, ſequentem de uteri prolapſu ſibi formant nexum cauſalem.

1) Si vaginæ nexus fibroſus, quem cum partibus vicinis habet, in illo duntaxat loco diſſolvitur, ubi ipſi utero proxima eſt, tunc uterus cum aliqua tantum colli parte, eaque inverſa, intra ſinum muliebrem deſcendit.

2) Quando autem univerſus colli tractus a partibus adjacentibus avel-

litur,

litur, tunc uterus non inverſus cum collo inverſo extra pudenda prominet.

3. Sic & *ſolius vaginæ* prolapſum derivant
   1) Modo a ſeparatione illius portionis, quæ pudendo proxima eſt.
   2) Modo a ſeceſſione interioris portionis ab exteriore.
4. Cauſæ *occaſionales*, quæ uteri deſcenſum & prolapſum inducere poſſunt, permultæ ſunt, inter quas præcipuum locum habet *partus difficilis*.

III. *PROGNOSIS.*

1. *Prolapſus* uteri, ſtricte dictus, ſeu *præcipitatio*, difficilius reſtituitur, quam illius *deſcenſus*; difficillime omnium, ſi uterus *inverſus* prolabatur.
2. In *vetulis* & *gravidis* omnia ſunt graviora, quam in junioribus, & extra graviditatis tempus conſtitutis.
3. Quando prolapſus a cauſa *violenta externa* inducitur, e. g. a rudi obſtetricis tractatione, aut magnis in partu conatibus, tunc majorem in curatione involvit difficultatem, quam ſi a cauſis internis ſenſim productus ſit.
4. Quando uterus prolapſus aëri diu exponitur, vel femorum occurſu multum comprimitur, facile inflammatio, gangræna, ſphacelus & mors ſuperveniunt; vel ulcera fætida inducuntur.
5. Si connexio, quam uterus cum partibus vicinis habet, valde labefactata ſit, curatio tantum *palliativa* locum habet.

IV. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

Cura duplici ſcopo abſolvitur.

1. *Repoſitione* ſeu *reductione*, quæ ſequente modo obtinetur.
   1) Ægra ſupine collocatur, cruribus elevatis ac poplitibus reflexis.
   2) Vterus prolapſus conveniente fomentatione fovetur.
   3) Linteum duplicatum molle admovetur, & hoc uterus tam diu premitur, donec in ſitum ſuum naturalem fuerit reductus.
   4) Quod ſi vero vagina ita intumuerit, ut reductio impediatur, decocto emolliente humectetur, ne inflammatio & gangræna accedant.

5) Quando autem corruptio gangrænodea, in ſphacelum ruens, jam præſto eſt, nullum aliud remedium, quam *exſtirpatio*, locum habet; quæ licet valde anceps ſit, felici tamen ſucceſſu inſtituta eſſe, auctores quidam teſtantur. Sequentia autem de illa adminiſtranda monent:

a) Vt *exciſio* ita fiat, ne portio quædam corrupta reſtitet.

b) Vt *ligaturæ* debito modo fiant & conſtringantur.

c) Coronidis loco *cauterium actuale* commendant.

d) Sed quis non videt difficultates & pericula, quæ hanc operationem circumdant.

2. *Retentio* quæ obtinetur

1) Vel *ſola quiete* & decubitu in dorſo, per octo aut novem dies, inprimis in juvenculis, quæ ſunt bonæ conſtitutionis.

2) Vel *medicamentis*, externe applicatis, nempe *ſuffimigiis*, & injectionibus uterinis, atque pulveribus adſtringentibus; nervinis. Laudant in hoc caſu

a) Fumum *ſtercoris bovini*, carbonibus injecti.

b) Corticem *granatorum*.

c) Nuces *cupreſſas*.

d) Poma *gallarum*.

e) *Equiſetum* & *alumen* in aqua ferrariorum aut vino auſtero decocta.

f) *Aquam Hungaricam* cum *lapide medicamentoſo* agitatam, & decocto adſtringente mixtam.

g) *Pulverem ſympatheticum* cum ſpiritu vini *camphorato* & *ſalis*, vel decocto adſtringente in forma fomenti aut injectionis admotum.

h) *Peſſos* e bombace vel linteis contortis factos, & decocto quodam adſtringente madefactos.

i) *Emplaſtra catagmatica*, inguinibus & hypogaſtrio admovenda.

3) Quando autem moles uteri hisce remediis non poteſt retineri, aut ægra ſitum hunc diu ſervare recuſat, *peſſaria* german. Kräntzlein, in uſum perpetuum vocanda ſunt.

a) Parantur e *ſubere* aut alio ligno leviore, item ex *ebore*.

b) Variæ ſunt *figuræ*; præferuntur autem, quæ habent *triangularem* & *oblongam* figuram.

c) In

c) In medio ſunt perforata, ut menſes fluere poſſint.

d) *Funiculo* debent eſſe prædita, quo, ſi viſum fuerit, extrahantur.

e) Quando e lignis parantur, ceræ liquefactæ, cui maſtix, ſuccinum & aſa fœtida mixta ſint, injiciantur, ne corrumpantur, aut aſperitate ſua lædant.

f) Ad uteri cervicem usque immittuntur, & per totam, ſi opus ſit, vitam geſtantur.

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ante repoſitionem uteri conſiderandum eſt, num ordinariæ *excretiones alvi* & *urinæ* ſucceſſum habeant. Sin ſecus, promovendæ ſunt, & quidem per *clyſterem* emollientem, leniter carminativum. Alvus enim quando hac ratione aperta eſt, urina ſponte ſuccedere ſolet.
2. A *purgantibus* autem & *ſtimulantibus* prorſus hic abſtinendum.
3. *Oleoſa* & *pinguedinoſa*, quando adhibita fuerunt, ante repoſitionem bene abſtergantur, ne uterum reductum ad novum prolapſum procliviorem reddant.
4. Ex eodem fundamento manus Chirurgi, uterum reponentis, quando per pinguia inungitur, tantam, uti vulgo creditur, non adfert utilitatem.
5. *Suffimigia* & *injectiones uterinæ*, quæ ad novum prolapſum cavendum applicari ſolent, ſi fluxus menſium vel lochiorum adſit, in tempus commodum differantur, & interea quieta corporis continentia ſervetur.
6. Ab *adſtringentibus* multis & crudioribus, externe applicandis, abſtinendum eſt. *Internus* illorum uſus majorem adhuc requirit circumſpectionem. Hinc parciſſime debent propinari *ſang. dracon. oſteocoll.* & quæ præter hæc interne commendari ſolent.
7. *Rouſſetus* libr. VI. cap. 5. *de partu Cæſareo* autumat, quod *peſſaria* intra ipſum uteri fundum ingeri, & ibidem retineri debeant; cui vero ſententiæ plures obſtant rationes.
8. *Sterilitatem* per peſſaria non induci, experientia paſſim confirmat.
9. In *gravidis*, quando ultimis præcipue menſibus, uteri *deſcenſus* obſervatur (quod non ita raro evenit) *ſubligaculo* abdomen & uterus

contineantur, ne nimium deſcendant. Accedente vero partus tempore quovis modo caveatur, ne ruditer parturiens tractetur, alias *deſcenſus* in *præcipitationem*, vel plane *inverſionem* tranſit.

10. *Quies* per totum curationis tempus quam maxime commendetur, & ægra caveat ſibi a *vociferatione* & omnibus illis cauſis, quæ tuſſim aut ſternutationem excitare poſſunt.

TABVLA XXVIII.

DE

PROCIDENTIA ANI.

I. *DEFINITIO.*

Procidentia ani eſt exitus inteſtini recti e ſede ſua naturali, inter egeſtionem fæcum alvinarum ordinarie contingens, & a relaxatione *tunicæ nerveæ & glanduloſæ* dependens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Prolapſus inteſtini recti eſt tantum *partialis*, nempe tunica duntaxat interior nervea & glanduloſa prolabitur, non autem tota tunica fibroſa exterior. Hæc enim partibus vicinis, præcipue ſpinæ dorſi, tenacibus ligamentis undique annexa eſt.

2. Hinc fidem fere ſuperat exemplum illud, cujus mentio fit in A. N. C. dec. II. an. I. quod ad integræ ulnæ longitudinem inteſtinum rectum fuerit prolapſum; cum primis quia univerſum inteſtinum in ſtatu naturali vix dimidiam ulnam refert.

3 Cum procidentia ani non debent confundi *protuberantiæ* illæ, quæ in hæmorrhoidibus *cæcis* notabilem ſæpe molem referunt.

III. *CAVSÆ.*

1. Cauſa *continens* hujus affectus eſt relaxatio *tunicæ nerveæ & glanduloſæ*, cui ſpecialiſſime adnumeranda eſt paralytica affectio *ſphincteris* ani.

2. Cauſæ *occaſionales* ſunt præcipue ſequentes.

1) Ingens niſus ad ſcybala duriora dejicienda.

2) Partus difficilis, in quo itidem talis vehemens niſus occurrit.

3) Crebriores & diuturnæ alvi fluxiones, præcipue acres, bilioſæ, dyſentericæ. Huc etiam referendæ ſunt frequentes draſticæ purgationes.

4)

4) Molimina hæmorrhoidalia impetuoſa.

5) Vulneratio ſphincteris a caſu, ictu, inciſione, quæ ſub calculi quidem exſectione rarius, ſub ani autem fiſtulæ apertione ſæpius contingit.

6) Aſcarides, in inteſtino recto ordinarie ſtabulantes.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Recens prolapſus inteſtini recti nihil alit periculi; niſi temporis diuturnitas illud adferat. Quando autem inflammatio, gangræna & ſphacelus accedunt, lethalis utplurimum eſt affectus.
2. Facilius curatur in junioribus, quam adultis.
3. Procidentia ani, quæ ab aliis morbis dependet, e. g. dyſenteria, paralyſi ſphincteris, prius non curatur, quam ſublatis cauſis antecedentibus.
4. Quando a vehemente tantum niſu procidentia ani producta eſt, tunc vel ſponte introrſum cedit inteſtinum, vel levi manuali opera reponitur.
5. Prolapſus ani, qui nonnullis mulieribus tempore imprægnationis ordinarius eſt, poſt partum iterum ceſſat.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

Curatio abſolvitur duabus indicationibus, videlicet *repoſitione* & *retentione*.

1. *Repoſitio.*

1) Prolapſum inteſtinum in priſtinum reponere locum levi manuali opera ordinarie ſuccedit.

2) Quando autem *inflammatorius* tumor repoſitionem impedit; tunc pars inflammata emollientibus & diſcutientibus prius fovenda eſt.

3) *Scybala* quando repoſitioni impedimento ſunt, per *clyſterem* emollientem removeantur.

4) Deinde æger pronus decumbat capite decliviori, coxis vero elatioribus, & inteſtinum, a tumore inflammatorio liberatum, blanda preſſione reponatur; id quod vel ſolis digitis oleo roſaceo inunctis, vel adhibito ſimul linteo calido aut ſpongia fieri poteſt.

2. *Retentio.*

1) Hæc majorem, quam *repoſitio*, involvit difficultatem.

2) *Tabula medica* CX. de tractatione inteſtini prolapſi jam actum eſt; hic nonnulla adjiciemus.

3) *Vratislavienſes* præ aliis laudant *unguentum Foreſti*, præcipue ſi ingredientia vino cocta ſint. *Vid. Foreſtus libr. XIII. obſ. med. 1. 2.*

4) *Decoctum* e cortic. granat. flor. roſar. rubrar. plantag. balauſt. burſ. paſtor. vino paratum, etiam uſum ſuum præſtat.

5) Plura ejusmodi remedia commendat *Wedelius diſſertat. de procidentia ani.*

6) Horum omnium effectus promovetur per topica, *lumbis & oſſi ſacro* impoſita atque *faſciis* firmata.

7) Quoties alvum æger exonerat, toties dicta hæc remedia removenda ſunt.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quando procidentia ani ab *hæmorrhoidalibus* moliminibus dependet omnia *adſtringentia*, tam *interne* quam *externe* adhibita, damnum inferunt. Hinc dextra ſane dijudicatione opus eſt, tanto magis, qui hæmorrhoidum ratio utplurimum plane hic non attenditur, & adſtringentia promiſcue atque audacter præſcribuntur.

2. Conducit potius in tali caſu legitima hæmorrhoidum tractatio. *Externe* uſum habet *unguentum* e floribus *verbaſci* & *calendulæ* recentibus paratum. Item parcus & providus uſus *unguenti* de *linaria*. *Suffitus* etiam e maſtiche, ſemine carvi, herb. puleg. ſerpill. ſalv. majoran. rorismarin. uſum præſtat.

3. *Spaſmi hæmorrhoidales*, qui plerumque conſpirant, & talem procidentiam de novo ſemper efficiunt, demulcentur per *clyſteres oleoſos* paululum *carminativos*.

4. *Extra* vero cauſam *hæmorrhoidalem* locum habeant *ſuffitus* e maſtich thur. terebinth. bacc. laur. ſem. carv. gallis, radic. tormentill. biſtort ſang. dracon. ſucco de catechu parandi; limbus ani etiam adſpergendus vel cum *oleo roſaceo* illinendus.

5. Omne autem *frigus* ab ejusmodi operatione excludatur.

6. In *infantibus*, qui continuo ejulatu inteſtinum rurſus protrudunt fruſtra *repoſitio* tentatur, niſi accurate obſervetur punctum illud temporis, quo ipſum inteſtinum motu ſuo *periſtaltico* repoſitionem facilitat; uti *Uratislavienſes* anno 1702. p. 142. annotarunt.

TABULA XXIX.
DE
HERNIIS.

DEFINITIO.

Herniæ ſunt prolapſus vel *inteſtini*, vel *omenti*, vel *utrorumque* e ſede ſua naturali, tumores plus minus notabiles formantes, & a *peritonæi* qualicunque læſione dependentes.

DIFFERENTIA.

1. *Herniæ* vocabulum num a græco ἔρνος, *ramex*, vel a latinorum *hæreo*, vel a voce *herna*, qua *Marſi*, Italiæ populi, *ſaxum* quondam indigitabant, ſit derivandum, Criticis relinquimus. Nullus enim uſus practicus inde redundat.
2. Græcorum κήλη licet quemlibet tumorem deſignet, uſitata tamen acceptione auctores hoc vocabulo illos ſalutant tumores, quos ſub *ſignis* recenſebimus.
3. Germanorum Bruch inde non habet denominationem ſuam, ac ſi peritonæum ſemper *ruptum* ſit. In plurimis enim herniis peritonæi tantum relaxatio occurrit. *Vide cauſas.*
4. Dividuntur autem herniæ ab auctoribus
   1) In *proprias* ſeu *veras*, quæ ab inteſtinis & omento conſtituuntur, & de his valet *definitio.*
   2) In *improprias* ſeu *ſpurias*, quæ a flatibus, aquis, carne luxurrante & ſanguine ſtagnante foventur.
5. Denominationes herniarum *propriarum* pro diverſitate reſpectuum variant. Partim enim denominantur
   1) A *loco*, quo reſpectu hernia eſt vel
      a) *Umbilicalis*, græce *exomphalos*, vel *omphalocele*, quæ *in umbilico*, vel *juxta* eundem provenit; vel
      b) *Inguinalis*, græce *bubonocele*, quando in *inguine* ſeſe manifeſtat; vel
      c) *Scrotalis*, græce *oſcheocele*, quando in *ſcroto* apparet; vel
      d) *Abdominalis*, græce *hypogaſtrocele*, Gallis *Ventrale*; quæ inter

um-

umbilici & inguinis regionem reſidet, atque ex puerperio difficili nonnunquam exoritur. Partim denominantur

2) A *materiis* ſeu *partibus*, tumores tales conſtituentibus. e. g.

a) *Enteromphalus* dicitur, quando hernia *umbilicalis* ſolo *inteſtino* formatur.

b) *Enterocele* vocatur, quando hernia *ſcrotalis* ſolo *inteſtino* fovetur.

c) *Epiplomphalus* audit, quando hernia *umbilicalis* ſolo *omento* conſtituitur.

d) *Epiplocele* appellatur, quando hernia *ſcrotalis* ſolo omento ſuſtentatur.

e) *Entero epiplomphalus* nominatur, quando herniam *umbilicalem* *inteſtinum* & *omentum* ſimul conſtituunt.

f) *Entero epiplocele* denominatur, quando herniam *ſcrotalem in* *teſtinum* & *omentum* ſimul formant.

6. Herniæ *impropriæ* diverſas itidem habent denominationes, e. g.

1) Tumor *aqueus*	*a*) in *umbilico* dicitur		*hydromphalus.*
	b) in *Scroto*	- -	*hydrocele.*
2) Tumor *flatulentus*	*a*) in *umbilico*	- -	*pnevmatomphalus.*
	b) in *ſcroto*	- -	*pnevmatocele.*
3) Tumor *carnoſus*	*a*) in *umbilico*	- -	*ſarcomphalus.*
	b) in *ſcroto*	- -	*ſarcocele.* Fleiſch = Carnöffel.
4) Tumor *varicoſus*	*a*) in *umbilico*	- -	*varicomphalus.*
	b) in *ſcroto*	- -	*varicocele* vel *cirſocele.*

7. Ratione *durationis* herniæ *propriæ* ſunt

1) Vel *recentes*, in quibus *annuli* ſunt anguſtiores. *Conf. cautel.*

2) Vel *inveteratæ*, ubi *annuli* multum ſunt dilatati, ita ut partes repoſitæ cito relabantur.

8. Porro herniæ differunt ratione *decurſus* ſeu *deſcenſus.* Modo enim *parum* modo *multum* viæ jam emenſæ ſunt. Sic in *bubonocele* inteſtinum

1) Modo in *ſupremo* inguinis hæret.

2) Modo in *medio* illius ſubſiſtit; quæ duæ ſpecies herniæ *incompletæ* vocantur, & ſexui fœminino magis propriæ ſunt, atque in his inferior annulus illæſus adhuc videtur.

3) Mo

3) Modo in *ſcrotum* usque provolutum eſt, nonnunquam ad labia pudoris muliebris deſcendit, ſed raro; quæ ſpecies herniæ *completæ* dicuntur.

9. Ad differentiam *ſpecialiorem* progredimur.

1) Hernia *umbilicalis* ab *inguinali* differt

a) Ratione *loci*, qui in bubonocele inguen eſt, in exomphalo autem umbilicus.

b) Ratione *ſubjecti*. *Bubonocele* adultis æque ac infantibus familiaris; *exomphalus* autem frequentior in infantibus, ob frequentes ejulatus, in adultis autem rarior eſt, & vix in aliis, quam *obeſis* vel partum difficilem perpeſſis, occurrit.

c) Præterea in *exomphalo* non facile aliud quam inteſtinum *jejunum* & *ileum*, quæ umbilico propiora ſunt, elabuntur.

d) Quomodo hernia *umbilicalis* ab aliis umbilici tumoribus, nempe ab *hydromphalo*, *pnevmatomphalo*, differat, *ſigna*, inter ſe collata, docent.

2) *Bubonocele* non confundi debet cum *bubone*, in eodem loco occurrente. Ingens alias damnum inferri poſſet, ſi pro bubone haberetur & *ſectio* ſuſciperetur. Dignoſci autem poteſt bubonocele e ſymptomatibus illis notabilibus, quod ingentes *dolores* & *vomitus*, excrementorum odorem referentes, interdum exhibeat, & præcipue, quod in hac tumor contactu mollior ſit, & moderatæ digitorum preſſioni cedat; in illo autem extra maturantium uſum durus reperiatur, & ex parvo nodo incipiat atque ſucceſſive augeatur.

3) Herniæ *omentalis* & *varicoſæ* differentiam contactus non ſemper poteſt docere, ſed circumſtantiæ prægreſſæ & conjunctæ. *Conf. ſign.*

4) *Hydrocele* differt ab *hydrope ſcroti*. Nam in illa aquæ ſub *tunica vaginali*, in hoc autem *ſub cute* colliguntur. Vnde *hydrops ſcroti* poſt ſui cum digitis preſſionem ſcrobiculum oſtendit.

5) Ad hernias *improprias* nonnulli referunt *bronchocelen* & herniam *humoralem*, quæ apoſtema in ſcroto ſubaudiunt. Sed *bronchocelen* tabula de *ſtrumis* tractavimus, & hernia *humoralis* latet ſub *abſceſſibus*.

10. Denique hernia eſt

1) Vel *ſimplex*,

2) Vel *duplex*, quando in utroque inguinis vel ſcroti latere tumor adeſt; item quando *propria* cum *impropria* conjuncta obſervatur, e. g. *hydro-enterocele*, vel *impropria* cum alia *impropria* v. g. *hydro-ſarcocele*.

II. Reliquas ſpecialiſſimas herniarum differentias docent *ſigna*, inter ſe collata.

III. *SIGNA.*

1. *Enteromphalus*

1) Exhibet tumorem tenſum & aliquo modo durum.

2) Spiritus quando retinetur, tumor augeſcit, ob preſſionem, quam *diaphragma* inteſtinis inducit.

3) Tumor quando premitur, vel æger ſupinus decumbit, inteſtinum cum ſtrepitu & rugitu retrocedit, atque ita tumor evaneſcit.

2. *Epiplomphalus*

1) Tumor tactu mollis eſt & indolens in eodem loco.

2) Verſus baſin ſuam latus, in vertice autem anguſtus & acuminatus.

3) Digitis quando blande premitur, omentum ſine borborygmo in ſitum redit naturalem.

3. *Entero-epiplomphalus*

1) Mole, inæqualitate & dolore a prioribus ſpeciebus ſe diſtinguit.

2) *Inteſtinum* quando cum rugitu repoſitum eſt, tumor autem non prorſus evaneſcit, *omenti* ſimul præſentiam teſtatur.

3) Ceterum recentiores obſervarunt, quod herniæ *umbilicales* raro in ipſius umbilici medio & quaſi centro erumpant, ſed plerumque *ſupra* & *infra* illum, vel ad *latera* ejus.

4. *Hydromphalus*

1) Mollis quidem eſt, ſed tactui non cedit.

2) Diaphanus vt plurimum obſervatur hic tumor, quando candelam inter & oculos noſtros collocatur.

5. *Pneumatomphalus*

1) Mollis eſt & tactui cedit.

2) Scrobiculus ſtatim explanatur, quamprimum preſſio ceſſat.

3) Quando percutitur, reſonitum edit.

6. *Sarcomphalus.*

1) Durus eſt tumor, & tactui non cedit.

2) *Sus-*

2) *Succeſſive* tumor augetur.
3) In aliis dolens, indolens in aliis obſervatur.

7. *Varicomphalus*
Varicoſam refert intumeſcentiam, colore modo livido, modo brunneo conſpicuam, ob ſanguinem ibi ſtagnantem.

8. *Bubonocele*
1) Tumor modo in uno, modo in utroque inguine apparet. Recentiores obſervant, quod etiam *ſupra* inguina & juxta labia pudendorum muliebrium nonnunquam hernia formetur.
2) Extendit ſeſe hic tumor plerumque ad *annulum* usque exteriorem.
3) *Inteſtinum* quando tumorem format, cum ſtrepitu ordinarie reponitur.
4) *Omentum* vero ſi herniam conſtituat, tumor mollis eſt, & pars prolapſa ſine rugitu reponitur.
5) De ſymptomatibus ingentium *dolorum* & *vomitus*, in bubonocele interdum ſeſe manifeſtantibus, ſub *differentia* jam dictum eſt.

9. *Enterocele*.
1) Hujus ſigna potiſſimum conveniunt cum ſignis *enteromphali*, & loco tantum differunt.
2) Videlicet manifeſtat ſeſe tumor in *ſcroto*, qui ſub initium vtplurimum exiguus eſt.
3) Quo plura autem inteſtina prolabuntur, eo majoris molis tumor conſpicitur, ita ut in ſtupendam ſubinde molem ſeſe extendat.
4) Inteſtinum, quando levi preſſione reponitur, id quod jacendo commodiſſime ſuccedit, ſtrepitus auditur.
5) Quamprimum autem manus removetur, eodem ſtrepitu inteſtinum de novo prolabitur.
6) Hic ſtrepitus etiam obſervatur, quando inteſtinum ſacco ſuo, vel nonnunquam ſcroto accretum eſt, &, ut antea, reponi non poteſt.
7) Teſticulus etiam, niſi recentior ſit enterocele, ſentitur; quo ſigno diagnoſtico ab *hydrocele* & *pnevmatocele* diſtinguitur.
8) *Alvus* vtplurimum eſt clauſa. Prolapſus enim inteſtini impedit tranſitum excrementorum. Idem contingit in *bubonocele* & *entero-epiplocele*.

10. *Epiplocele.*

1) Hujus ſigna, ſi *loci* differentiam excipiamus, conveniunt cum ſignis *epiplomphali.*

1) Nempe adeſt tumor mollis in ſcroto, qui ſucceſſive exoritur, & niſi *omentum* proceſſui peritonæi accretum ſit, facile poteſt reponi, & quidem ſine rugitu.

3) Rarior eſt quam *enterocele*, quia omentum in paucioribus ad proceſſum usque peritonæi, nedum ulterius ſe extendit.

11. *Entero-epiplocele.*

1) Hujus ſigna, excepta loci diverſitate, conveniunt cum ſignis *entero-epiplomphali.*

2) Nempe quando inteſtinum cum ſtrepitu repoſitum eſt, tumor tantum minuitur, prorſus autem non evaneſcit.

3) De reliquo *enterocelen* & *epiplocelen* mole & inæqualitate ſuperat.

12. *Hydrocele*

1) Tumor, aqua repletus, in ſcroto ſucceſſive exoritur.

2) Infantibus præcipue familiaris eſt, qui a nativitate interdum hoc affectu corripiuntur.

3) Candelam inter & viſum noſtrum quando ponitur, diaphana eſt niſi aqua, in illa contenta, ſit crasſior, brunnea, nigricans.

4) Aqua ſub tunica *vaginali* colligitur; ſi autem ſub *cute*, ceu membrana communi, collectio facta ſit, *hydrops ſcroti* ſolet appellari. *Conf. differ.*

5) Teſticulus aqua ita circumdatus eſt, ut ſentiri nequeat. Vid. *ſigna enteroceles* num. 7.

13. *Pnevmatocele.*

1) Non ita raro, uti nonnulli putant, hernia *ventoſa* occurrit; exſerit autem ſeſe duplici modo.

2) Vel enim aër intra membranam, *dartos* dictam, incluſus eſt, & tum tenſus apparet tumor, ac preſſioni non cedit.

3) Vel aër intra *fibras* membranarum communium ſubſiſtit, & tum preſſioni cedit, ac de uno loco in alium viſibiliter adigitur.

14. *Sarcocele.*

1) Occurrit ſucceſſive teſticularum vel glandularum inguinalium ex *creſcentia* carnoſa. Evenit enim non ſolum in inguinibus ſed etiam teſtibus.

2) Tu

2) Tumor hic durus eſt, nonnunquam dolorificus. Sub initium autem diu expers dolorum obſervatur.

3) Eſt affectus non adeo vulgaris; id quod ad meliorem discretionem a *bubonibus venereis*, admodum familiaribus, obſervetur.

15. *Varicocele* ſeu *cirſocele*.

1) Duplicem circumſtantiam hujus affectus auctores commemorant.

2) Quando illæ venæ inflatæ ſunt, quæ *ſcrotum* & membranam *dartos* percurrunt, tunc *varicocelen* affectum illum appellant. *Varicum* ſchema exhibent, & hinc facile dignoſcuntur.

3) Quando autem tumor vaſa *ſeminalia*, *præparantia* dicta, occupat, tunc græcum nomen, nempe *cirſocelen* (a κιρσὸς, varix) ei imponunt & hanc inflationem non viſu ſed tactu dignoſcimus.

16. *Duplices* herniæ dignoſcuntur,

1) Quando tumor in *utroque inguine* apparet.

2) Quando ſcrotum *ubique* turgidum eſt, & modo in una, modo in altera regione, hernia poteſt reponi.

3) *Hydro-ſarcocele* ſpeciatim dignoſcitur, quando aqua educta teſticulum magnum & durum relinquit.

4) *Hydro-enterocele* manifeſtatur, ſi poſt inteſtini repoſitionem ſimplex hydrocele remaneat.

IV. *CAVSÆ.*

1. Herniarum *verarum* & *propriarum*.

1) Hæ pro cauſa *interna* agnoſcunt vel *relaxationem* vel *rupturam* peritonæi.

2) Nonnulli ſolam *relaxationem* ſtatuunt, quibus autem experientia refragatur. Interim verum eſt, quod relaxatio longe frequentior ſit, quam ruptura. Peritonæum enim eſt membrana ſatis denſa & mollis, quæ extenſionis magis quam rupturæ capax eſt.

3) Alii contendunt, quod in *umbilicali* hernia ſemper *ruptura* peritonæi adſit, quia hæc membrana in illo loco ita non poſſit dilatari, ut herniam ibi formet.

4) Alii contra rariſſime fieri dicunt, ut in adultis umbilicus & reliqua integumenta rumpant, niſi vehementiſſimo impetu id contingat; in teneris autem infantibus facilius rupturam concedunt, propter vaſa umbilicalia, quæ in illis ita conſtituta ſunt, ut impetum non poſſint eludere.

5) Vſum vero practicum, quem hæc differentia ſuppeditat, magis ad operationem, quam ad reliquam herniæ tractationem, pertinere, quivis facile dignoſcet.

6) Cautelæ *externæ* & *occaſionales* ſunt variæ, e. g.

a) Sufflaminata reſpiratio ſeu potius inſpiratio cum niſu vehemente, ſpeciatim in conatu parturiendi, fæces alvinas induratas deponendi, grave pondus, repleto præcipue ventriculo, elevandi & per ſcalas portandi.

b) Aucta reſpiratio, e. g. clamores, vociferationes, tubarum inflationes.

c) Caſus ab alto.

d) Percuſſiones in abdomen.

e) Equitatio vehemens.

f) Vomitus enormis.

7) Hæc omnia cauſam habent communem. Per conſtrictos enim *abdominis* & *diaphragmatis* muſculos peritonæum premitur, ut cedere cogatur.

8) Recentiorum quidam negant, quod *omentum* poſſit herniam conſtituere, quia ultra umbilicalem regionem ſe non extendat. Sed plus valent rerum teſtimonia. Inſuper in vivis alia, quam in mortuis, eſt ratio, in illis enim partes relaxantur, in his conſtringuntur. Interea rarius occurrit, uti ſub *ſignis* jam indicatum eſt.

9) *Galenus* aſſeruit, quod ſolum inteſtinum *cæcum*, utpote ab omni vinculo liberum, prolabi poſſit. Alio loco etiam *ileon* in ſiniſtra ſcroti parte prolapſum concedit. Reliquis autem inteſtinis, ob arctam cum adjacentibus partibus cohæſionem, deſcenſum denegat; in qua ſententia plurimi poſtmodum Medici acquieverunt.

10. Sed licet ſpecioſum videatur aſſertum, moles tamen horum tumorum, quæ interdum plane monſtroſa eſt, ſatis probat, quod ſolum *cæcum* talem herniam conſtituere non poſſit, ſed quod plura, ſi non omnia prolapſa ſint inteſtina. Quando enim herniæ *inguinales* & *ſcrotales* contingunt *ſucceſſive*, tunc non dilaceratio ſed extenſio contingit; imo reliqua viſcera cum diaphragmate verſus inferiora ſenſim trahuntur; de qua re curioſum exemplum recenſet *Nicol. de Blegny in zodiaco gallico.*

11. Re-

II) Reſtat dicere de *modo* prolapſus *ſpecialiore*, quod auctores admodum inter ſe diſſentiant.

a) Communis de *duplicatura peritonæi* conceptus a recentioribus Anatomicis rejectus eſt. Videatur *Nuckii adenograph.* pag. 130. ſequentem autem ſibi formant conceptum de relaxatione peritonæi in hernia *inguinali* & *ſcrotali*.

b) Per *annulos* ſeu foramina, tribus abdominis muſculis inſculpta, egreditur *proceſſus peritonæi*, qui in viris *vaſa ſpermatica*, in fœminis autem *ligamenta uteri rotunda* continet; & a lamella illius exteriore formatur.

c) Licet autem hæc tunica exterior, a peritonæo pendens, in ſtatu naturali vaſis præparantibus & deferentibus tam arcte ſit annexa, ut difficile videatur, illam inde avelli & diſtendendo ita relaxari poſſe, ut tam ſpiſſa & magnæ molis inteſtina eo deſcendere queant, monſtrat tamen experientia rei veritatem.

d) Sic *Excell. Stahlius* teſtatur, ſe unquam publica anatomia in cadavere adoleſcentis cujusdam reperiſſe tunicam hanc ad longitudinem unius digiti dehiſcentem.

e) Dilatatio quando ſenſim ſenſimque per molem inteſtinorum incumbentium & qualescunque aëraſcentes in abdomine vapores vel humiditates contingit, tandem ita ampliatur membrana interior, ut in ſaccolum quaſi efformetur. Nam ſub ipſa tali dilatione excreſcit hujus tunicæ textura & peritonæi ſubſtantia, ut velut veſica tumida conſpiciatur, wie eine ziemliche etwas naß gemachte Blaſe; & in hunc ſaccum ſenſim decumbunt inteſtina.

f) In ſexu fœminino proceſſus peritonæi ligamenta rotunda in labia usque pudoris proſequitur. Quare in illo herniæ completæ fieri æque poſſunt.

g) De herniis *umbilicalibus* notandum, quod egreſſus eadem hic ratione fiat. *Annulus* enim a *tendinibus* muſculorum unitis itidem ac in inguine formatur, per quem proceſſus peritonæi foras exit, & funiculum umbilicalem comitatur, qui a cauſa violenta, æque ac illi in inguine, dilatatur.

. Herniarum *impropriarum* ſeu *ſpuriarum*.

1) *Hy-*

1) *Hydromphalus* & *hydrocele* dependent a collectione & oppletione humoris lymphatico-ſeroſi; ibi quidem in *umbilico*, hic autem in *ſcroto*.

2) *Pnevmatomphalus* & *pnevmatocele* proveniunt a *flatibus*, quibus umbilicus & ſcrotum expanduntur. Eſt affectus ſolis fere infantibus & pueris familiaris.

3) *Sarcomphalus* & *ſarcocele* rarius occurrunt, & conſiſtunt in excreſcentia, quæ in umbilico, inguine & ſcroto fit, ſpongioſa.

4) *Varicomphalus* & *varicocele* pro cauſis habent varicoſam venarum intumeſcentiam; ibi in *umbilico*, hic in *ſcroto*. *Conf. cauſæ varicum.*

V. *PROGNOSIS.*

I. Herniarum *propriarum.*

1) *Recens* hernia, in qua *annulorum* dilatatio non eſt magna, neque partes concretæ ſunt, ſpem curationis promittit.

2) Eſt interea res difficilis herniam ſemel factam funditus reſtituere, niſi in ſubjectis *tenerrimis*, & ad decumbendum per aliquot hebdomadas idoneis. Peritonæum enim nimium *diſtentum*, & tonico ſuo robore privatum, non ita facile iterum conſtringitur, *ruptum* vero cum ipſis inteſtinis ſæpius concreſcit.

3) Hinc ad rariora pertinent exempla, quæ *Lanfrancus* de duobus viris, uno quadragenario, altero ſexagenario refert, quod ab herniis ſuis perfecte liberati ſint.

4) Maximum autem periculum, quod *veris* herniis imminet, eſt *incarceratio* inteſtini vel omenti. Quando enim hæ partes vel ob anguſtiam loci, per quem cum impetu trajectæ ſunt, vel ob inteſtina prolapſa, flatibus & fæcibus induratis repleta, non poſſunt reponi, ingentes dolores excitantur, & niſi celerrime ſuccurratur, æger in ſubitaneum vitæ periculum conjicitur. Facile enim vomitus iliacus, inflammatio, gangræna & ſphacelus ſuperveniunt.

5) Quo diutius reductio inteſtini vel omenti differtur, eo majus eſt periculum talis incarcerationis & ſuccedentium ſymptomatum, præcipue *paſſionis iliacæ.*

6) Quo impetuoſius & celerius hernia exorta eſt, eo difficilius partes, quæ per anguſtum annulum violentia quadam transpreſſæ ſunt poſſunt reduci, & eo facilius *incarceratio* metuenda eſt.

7) *Bra-*

7) *Bracherium* commodum poſt partium repoſitionem plus certitudinis & conſtantiæ promittit, quam optima quæque *emplaſtra glutinantia* & *conſolidantia*. Hinc niſi æger tali *bracherio* præditus ſit, a metu novi prolapſus non eſt liber.

8) *Sterilitatem* ex herniis metuere, fruſtraneum eſt.

2. Herniarum *impropriarum*.

1) Hæ quam diu auxilium chirurgico-pharmaceuticum admittunt, facilioris ſunt curationis.

2) Quando autem ad chirurgiam *inſtrumentalem* accedendum eſt, non raro periculoſe cedunt. Sunt enim operationes, quæ multas involvunt difficultates.

3) *Hydrocele*, quæ citra abdominis & pedum œdematoſum tumorem ſolum ſcrotum & præputium larga aquoſitate gravatum tenet, uti affectus eſt adultis rariſſimus, ita in pueris & infantibus, quos familiariter infeſtat, facile utplurimum diſcutitur.

4) Quando autem diſcuſſa hæc ſcroti expanſio frequenter recurrit, tunc non eſt vera *hydrocele* ſed *hydrops ſcroti*, qui pertinaciter utplurimum ſe gerit.

5) *Pneumatocele* uti vulgo ſoli infantili & puerili ætati propria eſt, ita minus ordinarie fovet periculum. Vel enim mature diſcuſſionem admittit, vel *pertuſione* & emiſſione flatuum reſtituitur.

6) *Sarcocele*, niſi in primo principio excreſcentia illa luxurians impediatur, futuro tempore nulla ſpes eſt, quod tale ſpongioſum concrementum reſolutionem admittat; ſed in ſectione ſalus quærenda eſt.

7) Idem de hernia *varicoſa* ſentiendum eſt. Niſi enim diſcuſſio mature inſtituatur, ſola *exſectio* locum habet.

II. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. Herniarum *propriarum*.

1. *Umbilicalium*.

1) In malo *recentiore*, quando partes prolapſæ non ſunt inflammatæ, nec cum umbilico concretæ, nec inteſtina fæcibus referta, *repoſitio* & *retentio* facile obtinentur. Nempe

a) Æger ſupinus decumbit.

b) Partes prolapſæ levi manuum preſſione in priſtinum locum reponuntur.

c) Deinde vel *fasciis*, vel, quod melius est, *bracheriis*, huic affectui accommodatis, a novo prolapsu defenduntur.

d) Suppositis medicamentis, *processum peritonæi* constringentibus & *annulum* consolidantibus.

e) De *ligatura* & *cauterio potentiali* inferius dicemus.

2) In malo *auctiore* & *neglecto*, ubi strangulatio, inflammatio, cohæsio cum umbilico, febris vehemens, abdominis distensio, oris amarities, vomitus primum bilioſi, deinde fæcum alvinarum accesserunt, sequente modo agatur.

a) Adhibeantur per duodecim & plures circiter horas *fotus*, *cataplasmata emollientia*, blanda manuum compressio, & subinde probetur, num fæces ex anguſtiis expediri & prolapsæ partes reponi possint.

b) Sin minus, ad *operationem* fiat progressus, præmissa alvi lenitione & flatuum eductione.

c) Æger supinus, abdomine elatus, jaceat.

d) Chirurgus tumorem, hinc inde prehensum, *cruciatim* scalpello incidat, cavendo ne partes subſtratas vel vasa lædat.

e) Si nimia cutis distensio hanc apprehensionem non concedat, cuspide scalpelli leviter impressa sectio exigua instituatur, & deinde adhibito simul *conductore*, pro necessitate amplificetur.

f) Subjectum adipem unguibus, ferramento, *Gallis de chaussoir*, folio *myrtaceo* aut scalpello, paulatim dilaceret vel quasi dedolet, donec peritonæum in conspectum veniat.

g) *Peritonæo* detecto & digitis attracto leviusculum vulnus scalpelli mucrone infligat, & deinde *specilli sulcati* ductu sursum & deorsum illud amplificet.

h) *Omentum* patefactum duas in partes dissecet, & si cum *peritonæo* & *musculis* abdominis superne, aut cum *intestinis* inferne coaluerit (id quod frequentius in hac hernia fieri solet) ab utrisque divellat; cavendo ne intestinum lædatur.

i) Repositis ita intestinis, intusque a ministro cohibitis, *omenti* portiones, a partibus vicinis separatas, injecta prius *ligatura* (uti in *gastroraphia* dicetur) rescindat. Hæ enim portiones ut plurimum corruptæ sunt, aut post aëris accessum e vestigio

corrumpuntur, & nisi rescindantur, exomphali recidiva tanto magis metuenda est.

k) Postea *peritonæum*, duas etiam in partes resectum, vinculo pariter constringat; qua ratione & peritonæi & omenti portiones, quæ *supra* ligaturam sunt, emoriuntur & decidunt; illæ autem, quæ infra eandem existunt, cum integumentis coalescunt.

l) Quando autem adest *inflammatio* & inde subsequens *strangulatio*, ut intestina reponi non possint, eadem prorsus methodus, quam in *bubonocele* infra commendabimus, locum habet, *annulum* nempe vel simplici scalpello, vel instrumento, *Gallis bistouri caché* dicto, dilatando, & intestinis repositis hic inde *scarificando*.

m) Postea itidem cum *omento* & *peritonæo* agatur, quod modo dictum est.

n) Præterea immittatur *turunda*, ut illa interius non ultra integumenta in abdominis cavitatem protuberet; a qua ita impacta suppurationem, annuli constrictionem & cicatricem firmissimam induci contendunt.

o) Denique *cutis portio*, quæ a tumore præter modum extensa est, resecatur (ut æqualis fiat abdominis superficies) vulnus sutura intercisa claudatur, & *fasciis* idoneis obvolvatur.

2. *Scrotalium.*

1) Repositio tentetur

a) Per blandam manualem *pressionem*.

b) Per decubitum ægri supinum, capite declivi & abdomine erecto.

c) Per *cataplasmata emollientia* oleosa & moderate resolventia; item per *fomenta*, si nempe simplex manualis pressio non sufficiat.

2) *Retentio* partium repositarum fit per *bracheria*, de quibus sub *cautelis* dicemus.

3) Quando autem dictis auxiliis *repositio* non potest obtineri; id quod vel a partium prolapsarum inflatione, inflammatione, accretione, strangulatione, vel ab angustia *annulorum* membranaceorum dependet, tunc ad *operationem* progrediendum est. Hanc autem conditionem empirici, die Bruch-Schneider, non attendunt,

ſed operationem, licet reponi poſſit hernia, inſtituere ſolent. Interea duplici modo operatio peragitur, videlicet vel cum vel ſine teſticuli ablatione.

a) Primus modus, qui fit *cum teſticuli ablatione*, eſt empiricorum, & hic non differt a *caſtratione*, niſi quod ante ligaturam partes prolapſæ una cum ſacco repelli debeant. Sequente autem modo peragitur:

α) Æger ſupinus collocatur, reclinato capite, inflexis cruribus & abdomine elevato.

β) *Omentum* vel *inteſtina* digitis, oleo inunctis, ſurſum verſus *oſſis ilei* marginem blande intruduntur, ita ut illa inteſtini portio, quæ ultimo loco exiit, primum reponatur.

γ) Poſtea locus, rubrica vel carbone antea notatus, & tumoris longitudini æquans, ſcalpello inciditur, tum *ſpecillo ſulcato* ſuperne & inferne dilatatur; ita ut tumor ſecundum univerſam ſui longitudinem aperiatur & ad proceſſum usque peritonæi incidatur.

δ) Deinde Chirurgus removet *adipem* ſcalpello, oblique ducto *vaginam herniæ* una cum *teſticulo* e ſcroto integumentisque extrahit, *ligaturam* ad ſpatium digiti transverſi infra *annulum externum* injicit, eamque filo aliquoties circumducendo ita conſtringit, ut *vaſa ſpermatica* & *proceſſus peritonæ* ſimul ligentur, *filum* autem *extra* vulnus propendeat.

ε) Quo facto totum *ſcrotum*, ut & *funiculus vaſorum* ſupra & infra, *plumaceolis*, adſtringentibus remediis imbutis, munitur.

ζ) Sequentibus diebus applicantur digeſtiva, ſuppurantia, & talia remedia, quæ partes *animare* dicuntur.

η) Intra diem tertium & ſeptimum teſticulus mortuus vel ſponte abſcedit, vel abſcinditur; uti & pars vaſorum inferior.

ϑ) Tandem etiam vulnus ad perfectam curationem deducitur. Hic autem empiricorum modus uti periculo plenus eſt, ita hodie plerumque reſpuitur.

b) Vel *ſine teſticuli ablatione:* qui modus operandi iterum *duplex* eſt:

1) *Pri*

1) *Primus punctum aureum* der güldene Stich, ab inventoribus ſuis dicitur, & filo aureo, argenteo aut alio flexili e. g. plumbeo, quod rubiginem non contrahit, ſequente modo peragitur.

α) Æger, ut decet, collocatur, & cutis conſueto more inciditur.

β) Vaſa ſpermatica cum vagina ſua, nempe peritonæo extenſo, a vicinis partibus ſeparantur vel inſtrumento obtuſo vel unguibus.

γ) Filum, quod craſſitiem aciculæ majoris refert, infra portionem funiculi denudati trajicitur, ut proceſſum ſupra rupturam aut principium laxitatis bis circumvolvat.

δ) Tunc fili extrema intorquentur, ne cuſpidibus ſuis partes vicinas & ipſum peritonæi proceſſum lædere poſſint. *Moderate* autem fieri hoc debet, ne nimis arcta ſacci conſtrictione vaſa ſpermatica comprimantur, aut laxiore ſtrictura malum non curetur.

ε) Hoc filum per totam poſtea vitam, conſolidato vulnere in illo loco relinquitur.

ζ) Notandum quod hæc operatio publico ſummæ curiæ, des Parlements, edicto in Gallia prohibita ſit.

2) *Secundus* modus, Gallis hodie uſitatiſſimus, eſt ſequens.

α) Integumentorum inciſio eodem modo contingit, uti ſuperius dictum eſt.

β) Qua facta Chirurgus unguibus vel ſcalpelli cuſpide ſurſum elevat proceſſum vel ſaccum herniæ, & leviter incidit.

γ) Deinde immittit *ſpecillum ſulcatum*, cujus ductu vaginam ſeu ſaccum herniæ ſurſum & deorſum dilatat, & ſub hac inciſione inteſtino parcit, quod colore ſuo facile diſtinguitur. Læſio autem inteſtini non habenda eſt, quando, ut fieri ſolet, lympha quædam e ſacco inciſo deſtillaverit.

δ) Detectum hac ratione inteſtinum paululum ad ſe trahit, ut cognoſcat, num mobile ſit, vel *annulis* adhæreat; poſtea, ſi mobile ſit, encheireſi ſupra allegata reponere conatur.

ε) Quod ſi vero *annulorum* faucibus ita conſtringatur, ut per illas anguſtias intropelli non poſſit, *inferior annulus*, facta inciſione, dilatandus eſt; immiſſo prius *ſpecillo ſulcato*.

ζ) Hoc inſtrumento ſi penetrare non valeat, *indicem* ſiniſtræ manus ſupra inteſtinum prono ſitu usque ad annuli oram propellit, & hunc ſcalpello, ſuper appulſi digiti ſuppoſitum unguem deducto, tantisper *ſcarificat.*

η) Poſtea *ſpecillo*, facilius intromiſſo, ſcalpellique manubrio nonnihil deorſum ducto & retracto, *annulum* duas circiter lineas latum incidit, & *arteriæ* læſionem vitat.

ϑ) Ad faciliorem annuli dilatationem excogitarunt nuper inſtrumentum, nempe *ſcalpellum incurvum & anguſtius*, intra canaliculum deliteſcens, Gallis *biſtouri caché* dictum, quod annulo immiſſum erigitur & retrahitur. Sic annulum ſine ullo inteſtini lædendi metu incidi poſſe credunt; ſed iisdem cautionibus, ac biſtouri ordinarium, indigere experti aſſeverant.

ι) Dilatato annulo Chirurgus inteſtinum reponit eo, quam jam diximus, modo.

κ) Deinde conſiderandum eſt *omentum*, in quo ſi quid nigri & jam emortui appareat, excidi illud debet; injecto priu vinculo, aliquoties circumvoluto.

λ) Tunc *turunda*, quæ filo extra vulnus propendente prædit eſt, annulis inſeritur.

μ) Denique ad ſuppurationis promotionem, & novæ eruptionis cohibitionem vulnus *digeſtivis*, *emplaſtro* & *ſpleniis* trian gularibus deligatur, atque *faſcia*, quæ *ſpica* audit, applica tur, & quidem femori *flexo*, ut, quando hoc extenditur, e magis firmetur.

ν) Hac ratione, ſuccreſcente in annulo *cicatrice*, viam ramici coarctari contendunt. Quando autem cicatrix legitim non inducitur, tum a nova cauſa nova facile relaxatio, & hin nova hernia, eaque *incompleta*, ein Uber-Bruch, contingit.

ο) Si vero *inveterata* fuerit hernia, ita ut partes, ex longo jam tempore prolapſæ, non poſſent reponi, ſuſpicio eſt, *omentum* & *inteſtinum* cum ſe invicem & cum herniæ *vagina*, hanc ve ro cum tunica *dartos* & *teſticulo* firmiter coaluiſſe; qu in caſu.

ι) Omentum ab inteſtino

2) Dei

2) Deinde utrumque ab herniæ vagina divellendum eſt, ita tamen, ut illud potius quam hoc, & utrumque minus quam hæc jacturam patiatur.

3) Quodſi vero adeo firma ſit hæc adhæſio, ut partes non poſſint dimoveri, tum inteſtino parcendum, reliquæ autem partes ſinendæ ſunt usque ad ſuppurationem, in qua ligantur, & deinde omenti portio reſcinditur, inteſtinum autem intra abdomen reponitur.

d) Si *teſticulus contuſus* vel alia ratione male affectus ſit, tunc reſecari debet artificioſe.

e) In *ſexu ſequiore* quando contingit hernia, quæ operationem requirit, eodem modo illa inſtituenda, & non, niſi in hoc, differt, quod minores hic difficultates & circumſtantiæ occurrant.

3. *Inguinalium.*

1) Æger ſupinus collocatur, capite declivi & genubus ſurſum protenſis.

2) Sic inteſtinum vel ſponte ſua retrocedit, vel levi manuali opera reponitur.

3) Quando autem flatus vel excrementa repoſitionem impediunt, hæc impedimenta leni laxante vel clyſtere emolliente removentur.

4) Ubi autem graviora impedimenta, e. g. tumor inflammatorius, obſtant, *fotus* vel *cataplaſmata* uſu veniant.

5) Repoſitis partibus prolapſis *emplaſtrum ſtyptic. Crollii* vel aliud *catagmaticum* & *bracherium* applicetur, æger autem tamdiu quietus jaceat, donec peritonæum vel conſolidatum vel ad naturalem tonum reductum ſit; id quod in caſu recente & juniore ætate utplurimum feliciter ſuccedit.

6) Quando autem repoſitio partium prolapſarum præſcriptis remediis & encheireſibus non auſcultat, tunc *operatio* chirurgica ſequente modo inſtituitur.

a) Æger, uti ſupra dictum, collocatur, & cutis eadem ratione, quam ſub herniis *ſcrotalibus* & *umbilicalibus* indicavimus, inciditur.

b) *Peritonæum*, quando detectum eſt, itidem inciditur, verſus an-

nu-

nulum dilatatur & tunc inteſtinum paululum extrahitur, viſitatur, &, niſi corruptum ſit, modeſte reponitur.

c) Quando autem annuli (qui a tendinibus muſculi *transverſalis*, *oblique aſcendentis* & *deſcendentis* formantur, & in inguine, anguſto quaſi hiatu, per viam *obliquam* vaſis *ſpermaticis* tranſitum præbent) adeo anguſtati ſunt, ut partes prolapſæ per eosdem non poſſint reponi, tunc illi dilatandi ſunt.

d) Inſtituitur talis dilatatio vel digito, vel novo illo inſtrumento *biſtouri caché* dicto, quo inciſio magna, vel, quod melius videtur, multæ parvulæ in peripheria annuli efficiuntur.

e) Inteſtinum quando aëre in tantam molem diſtenſum eſt, ut repoſitionem impediat, ſubtiliore acu hinc inde perforatur; vel, quod efficacius eſt, paululum magis extrahitur.

f) Repoſito inteſtino *hiatus* in peripheria *ſcarificatur*, ut fortior cicatrix obtineatur.

g) Poſtea vulnus, ut moris eſt, tractatur & conſolidatur; obſervando, tam quod in hac, quam aliis operationibus *affluxus* per diſcutientia *camphorata* ſollicite avertendus ſit.

h) *Epiplocele*, quoniam per annos ſæpe multos ſine notabili incommodo ferri poteſt, non requirit operationem.

i) *Inteſtinum* & *omentum*, quando cum aliis partibus coaluerunt, tractantur, uti præcedentibus operationibus dictum eſt. Cum vero corruptionem jam contraxerint, tum, ut moris eſt, removeantur.

4. *Ventralium.*

1) Quando inteſtinum vel omentum, vel utrumque ſimul in aliquadam abdominis regione herniam conſtituunt, dicitur illa *ventralis.*

2) *Rupturam* peritonæi hic ſemper accuſant, quam a vulnere illius prægreſſo, male curato, utplurimum derivandam eſſe cenſent. Sed quantum hæc ruptura valeat, ſuperius indicatum eſt.

3) *Curationem* quod concernit, ſolam *palliativam* locum habere, nempe per epoſitionem & per *bracherium* retentionem ſtatuunt. Interea tamen conſtat, operationes quæ a *Celſo* commendantur, nempe *ligaturam* vel *inciſionem* cum *gaſtrorraphia*, a Gallis hodie frequentius inſtitui

B. *Impropriarum.*

1. *Hydroceles.*

1) Hernia *aquoſa recens* admittit *medicæ* chirurgiæ tentamina.

2) Præmittuntur autem *interne* evacuantia *hydragoga*; quæ, quando lactantes adhuc ſunt, nutricibus propinantur.

3) Poſt talem evacuationem conveniunt remedia *topica*, quæ ſerum ſtagnans reſolvunt & ſimul partium tonum & reniſum reſtaurant. Talia ſunt

a) *Radices* irid. Florent. ſigill. Salom. bryon. caryophyllat. imperator. angel. bardan. leviſt. chelidon. raphan.

b) *Herbæ* origan. cum ſummitatibus ſuis, hyſſop. abrotan. abſinth. centaur. min. card. benedict. rorismar. puleg. mont. chelidon. bardan.

c) *Semina carminativa* ſeu calida *majora & minora*, præcipue *carvi*, quod externe & interne efficacisſimum eſt.

d) *Emplaſtrum* ſaponat. *Barbette.*

e) *Lixivium* moderate ſaturatum, *ſulphuratum* aut *ſaponatum*; id quod leniter repellit & ſubadſtringit.

f) Conducit enim tonica, nervina, exſiccantia & leniter repellentia modo conjungere cum reſolventibus, modo ſubjungere, ut ita diſcuſſio omni modo tentetur.

4) Quando topica hæc aliquamdiu adhibita ſunt, laxantia modeſte repetuntur.

5) Si vero *diſcuſſio* non ſuccedat, ad *inſtrumentalem* operationem tranſeundum eſt, quæ aquarum *evacuationem* immediatam reſpicit.

6) Triplici autem modo aquas evacuare ſolent, nempe *ſetaceo*, *cauterio* & *punctione*; quæ tamen ultima operatio omnium tutisſima & commodisſima eſt, atque ſequente ratione inſtituitur.

a) Chirurgus *acu tricuſpide* ſcrotum perforat, & quidem magis verſus ſuperiorem & externam regionem, ne teſticulum lædat.

b) Exempta acu per *cannulam* omnem aquam ſimul & ſemel evacuat, contraria encheireſi ac in paracenteſi abdominis.

c) Quo facto cannula extrahitur, & vulnus, corrugata cute, fa-

cile curatur, præcipue si pars pertusa tonicis, roborantibus, exsiccantibus & subadstringentibus foveatur.

7) Et sic tota operatio nullam habet difficultatem, nisi quod metus *recidivæ* adsit, quæ tamen ante dictis discutientibus & exsiccantibus continuatis impediri, vel tempestivis evacuantibus præoccupari debet.

8) *Hydrops scroti* eadem ratione tractatur, & internum remediorum usum magis adhuc postulat. *Conf. tab. med. de hydrope.*

9) In infantibus, uti & illis, quibus serum in pinguedine stagnat, cutis exterior multiplici scarificatione aperienda est, sic serum sensim destillat & scrotum detumescit.

10) *Caustica*, quæ ad evacuandam aquam, intra folliculum peculiarem aut tunicam *vaginalem* hærentem, nonnulli commendant, minus tuta sunt. *Eschara* enim inducta quia profunde aperienda est, læsio vasorum spermaticorum facile fieri solet. Quando autem feliciter negotium succesſit, læsionem, absumto folliculo, ad cicatricem perducunt.

11) Quod ad *setaceum* attinet, punctioni præfertur, quando aquæ vt vulgo fit, inter tunicam externam & internam continentur. Quando autem aquæ cavitatem scroti occupant, tum punctio administranda est.

12) *Testiculus* quando ab aquarum mora & corruptione vitium contraxit, exstirpandus est.

2. *Hydromphali.*

Hujus curatio iisdem remediis *internis* & *externis* perficitur, & *operatio* non, nisi loco, differt.

3. *Pnevmatoceles* & *pnevmatomphali.*

1) *Interne* propinentur

a) *Laxantia* infusa cum carminativis combinata, quæ tertio vel quarto die repetantur.

b) Illis autem diebus, qui intercurrunt, *resolventia carminativa* exhibeantur, e. g. essent. gent. rub. cent. min. succin. pimpinell. alb. tinct. antim. item salina abstergentia; subjunctis tonicis, v. g. tinctur. martis aperit. *Ludovici*, croc. mart. aperitiv. *Stahlii.*

2) *Externe* applicentur

a) *Sac-*

a) *Sacculi* e resolventibus, carminativis, nervinis, quorum mentio jam facta est, parati; adjiciendo camphoram & momentum croci.

b) *Saponacea* resolventium nomine etiam laudantur.

c) *Clysteres carminativi* egregium usum præstant.

d) His non sufficientibus ad *operationem* accedendum est. Videlicet umbilicus vel scrotum acu majore vel alio commodo instrumento pertunditur, & flatus hac ratione emittuntur.

e) Flatibus in *totum* sive in *tantum* emissis, *topica* de novo applicantur, præcipue nervina & carminativa.

4. *Sarcoceles & sarcomphali.*

1) Hæ spongiosæ excrescentiæ non facile admittunt pharmaceuticas medicationes, præcipue quando inveteratæ sunt. Recentissimæ autem resolventibus interdum cedunt. De *radice ononidis vid. Sculletus obs. 63.*

2) *Maturatio* enim aut qualiscunque *ulceratio* toto genere periculosa est, & corruptiones *cancrosas* inducere solet.

3) Hinc tales excrescentiæ, quæ in testiculis, inguinibus & circa umbilicum exoriuntur, nullo alio remedio, quam *exsectione* eradicantur.

4) In excrescentiis quidem inguinalibus sub initium aliqua spes est, per compressionem & adstrictionem illas inhibere.

5) Cavendum autem, ne cum hisce excrescentiis *bubones* confundantur. Hi enim discussionem aut maturationem admittunt. Præterea longe frequentius, quam *sarcocele*, occurrunt.

5. *Varicoceles & varicomphali.*

1) Exposcunt *interne & externe* resolventia, discutientia, nervina.

2) Quando stimuli venerei prægressi *cirsocelen* induxerunt, tunc interne temperantia *nitrosa* cum *laxantibus*, externe autem *camphorata* præcipue locum habent.

His non sufficientibus ad *operationem* progrediendum est.

α) Aperitur vena ope lanceolæ & quidem per totum tumoris tractum; præmissa, si opus sit, *venæ sectione* generaliore.

β) Quando unciæ circiter duæ per specialem hanc venæ sectionem eductæ sunt, vulnus *plumaceolis* expletur, *emplastrum stypticum Crollii* eidem imponitur, *splenii* & *fascia* conveniente firmatur.

γ) Ambitus autem camphoratis defenditur, & porro, ut moris est, vulnus tractatur.

6. *Compositæ* herniæ, speciatim

1) *Hydro - enteroceles.*

a) Intestina prius reponuntur & bracherio retinentur.

b) Deinde *hydrocele*, ut moris est, tractatur.

2) *Hydro - sarcoceles.*

a) Aquæ prius evacuantur.

b) Deinde *sarcocele* respicitur.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Hernia *umbilicalis* quando occurrit, observandum est, num contingat prolapsus per ipsum umbilici *annulum*, vel *supra* eundem; quale exemplum *Hildanus* habet; vel *infra* & *supra* simul; *vid. Barbette* part. I. cap. VII. vel ad *latera*, uti experientia sæpe testatur. Nam peritonæum circa annulum & vicinas partes tenuius est, quam alibi. Vocantur tales herniæ *ventrales* Bauch-Brüche, quarum peculiarem tractationem sub *methodo* jam indicavimus.

2. *Sectio*, quando in *exomphalo* necessaria est, instituì debet mature, antequam gangræna & sphacelus accedat; cujus indicia sunt pulsus intermittens, sudor frigidus, tumor lividus & indolens.

3. Sunt, qui putant, *incisionem* minus apte in *umbilico* posse fieri, ob cutem maxime corrugatam & contractam. Sed notandum, istam in exomphalo longe aliam faciem, quam in statu naturali, exhibere. Rugæ enim ita evanescunt & cutis adeo tensa est, ut ipse umbilicus non amplius appareat.

4. *Ligatura*, quæ a vetustissimis Chirurgis jam tradita est e. g. a *Celso* Libr. VII. cap. XIV, a recentioribus merito rejicitur. Nam ob fortem fili constrictionem non solum valde dolorifica est, sed & propter partis νέκρωσιν periculosissima habetur. Trajiciunt enim acum per dilatatam umbilici portionem, filo illam ligant & fortiter constringunt. Hac ratione pars illa, quæ supra ligaturam est, emoritur; quæ vero vinculo constricta est, conglutinatur, & cicatricem inducit.

5. *Cauterium potentiale*, quo *umbilicum* nonnulli adurunt, ob gangrænæ metum valde suspectum & minus usitatum est.

6. Her-

6. Hernia *ſcrotalis* vel *inguinalis* recens quando repoſita eſt, & æger, non adeo annoſus, per aliquot hebdomadas placide decumbere non detrectat, *bracherio*, ſine alio apparatu, nonnunquam reſtituitur.

7. Licet autem *bracheria* ſint moleſta, & extra decubitum diuturnum curationem tantum palliativam, nempe repreſſionem partium prolabentium, præſtent, hoc tamen incommodum, præcipue ſi machinæ hæ convenienter paratæ ſint, multo libentius ægri in ſe ſuſcipiunt, quam periculoſas *herniotomias*.

8. Et ſane quam diu neceſſitas non urget *ſectionem*, nunquam commendanda eſt. Dantur enim non pauci hernioſi, qui *brachériis* commodis inſtructi ſatis bene vivunt, & omnis generis labores perferunt; cum antea per plateam ſine prolapſu inteſtinorum ambulare non potuerint.

9. Per *emplaſtra catagmatica* adſtringentia, Bruch-Pflaſter, conſolidationem promovere velle, fruſtraneum eſt conamen; niſi recentiſſimus affectus & æger infantilis, vel ad minimum puerilis ſit ætatis; in quibus circumſtantiis aliquid, licet non adeo multum, emplaſtra poſſunt.

10. Ex adverſo vero non leve etiam incommodum *emplaſtra* inducere obſervantur. Ad partium enim concretionem anſam præbent, & quando alio tempore neceſſitas ſectionem herniæ poſtulat, hæc partium accretio multam remoram objicit Operatori.

11. Nihil autem firmi & ſolidi obtinetur, niſi ſitus corporis tranquilliſſimus & ſupinus obſervetur; quem vero temere commendare in ætate infantili non debemus. Ex incongruo enim tali ſitu majora circa conformationem corporis prognaſci poſſunt incommoda.

12. *Sectio* herniarum præ omnibus quidem ſolidam promittit curationem, ſed periculum, quod ſecum ducit, & exquiſitiſſimi dolores non poſſunt non ægrum deterrere.

13. Speciatim operatio illa, quæ *punctum aureum*, der güldene Stich, appellatur, vera *tortura* dici meretur. Vnde & hodie raro in uſum vocari ſolet; præcipue quia ſpeculationi magis, quam experientiæ, ſatis facit. Omnis enim aditus non intercipitur, & ſic inteſtina incumbunt orificio internæ dilatationis, & graviſſimum preſſionis ſenſum inducunt.

14. Quando autem æger quidam ſolo *bracherio* herniam continere non contentus eſt, ſed illius fundamentalem curationem per *ſectionem* deſiderat, tunc non ſolum peritus Operator, verum etiam optima methodus herniotomiæ eligi debet.

15. Sunt *Herniotomi*, dexteritate inſtructi, qui in hernia *ſcrotali* teſticulum cum proceſſu ampliato per aliquot dies relinquunt; id quod rationi ſatis conſentaneum eſt. Teſticulus enim quando ſtatim poſt ligaturam factam abſcinditur, fieri facile poteſt, ut ligatura rumpat, & damnum irreparabile inde oriatur: Das kurtz abgeſchnittene Ende ſchlupffet durch, und kan man es ſodann nicht mehr faſſen. Vnde foramen in peritonæo relinquitur.

16. Quando autem teſticulus per aliquot dies relinquitur, donec putreſcere incipiat, pars ligata interea conglutinatur, & tunc ſine periculo auferri poteſt.

17. *Scroto* imponitur *cuneus eburneus*, ne nimis condenſetur, antequam conſolidatio perficiatur, daß es nicht zuſammen wachſe. *Vulneri* autem ea applicantur, quæ aliis vulneribus adhiberi ſolent, e. g. vinum generoſum, aqua dilutum, calefactum. *Hæmorrhagia*, ſi excedere videatur, *albumen ovorum* cum *alumine* vel *bolo* tepide applicari poteſt. Conducit etiam *ſtuppa lintea* his rebus imbuta.

18. Attingere etiam placet conamen illorum, qui hernias per *transplantationem* curare, vel ad minimum illarum augmentum prohibere intendunt, e. g.

1) Portio *umbilici* tiliæ aut juglandi perforatæ implantatur.

2) Ovum ſudore illius loci impræguatur, & ejusmodi arbori inſeritur, vel camino ſuſpenditur.

3) Radices recentes *fabariæ* ſeu *craſſulæ*, germ. Brüche = Kraut, parti affectæ admovent & foveri ibidem aliquamdiu jubent; poſtea in terram defodiunt, & quidem in talem locum, ubi ab injuriis liberæ eſſe & tranquille creſcere poſſunt; adſpergunt quoque iisdem urinam ægrotantis.

4) Mediocrem truncum ſeu *ſtirpem ſalicis* ſecundum longitudinem findunt, ita tamen ut ſuperne & inferne cohæreat, in medio autem eousque diducatur, quo æger tranſire poſſit. Poſtea ſalicem iterum colligant, ut denuo coaleſcat, & ita ſperant auxilium. Satis commoda & minoris pretrii remedia hæc eſſent, ſi modo experientiæ reſponderent; utplurimum autem fallunt.

19. Sunt

19. Sunt qui uſui *nucis vomicæ* in herniis infantum magnam efficaciam adſcribunt; ſed imitatio non temere ſuadenda eſt, præſertim in tenerrimis infantibus. Licet enim hæc nux utiliter adjiciatur *electuario de ovo Maximiliani*, & alias experientia ſatis confirmet, quod non ſit ſimplex deleterium in hominibus, uti eſt in animalibus, quæ cæca naſcuntur, vehementem tamen illius efficaciam in herniis tam diu ſuſpectam habemus, donec ulterioribus experimentis confirmata ſit.

20. Damnavit hanc nucem *Hartmannus in introductione ad materiam medicam*, permotus deleterio illo effectu, quem canibus, vulpibus, volucribus, infert. Sed fallitur, *amygdalæ* enim *amaræ* in brutis eundem prorſus effectum exſerunt, quas tamen homines ſine ullo incommodo edunt.

21. Annoſiores, in quibus hernia *ſcrotalis* per *ſectionem* eſt curata, caveant ſibi, quantum fieri poteſt, a laborioſis motibus. Occurrunt enim exempla, in quibus portio peritonæi, leviter tantum conſolidata, ſub gravioribus niſibus de novo rupta fuit, & irreparabile damnum induxit.

22. Poſt *ſectionem* æger quietus jaceat, corpus temere non agitet, & ſic intra ſex vel octo dies extra periculum erit conſtitutus. Alvus non irritetur, aperta autem ſervetur, ante enim, quam peritonæi apertura fuerit conſolidata, tormina flatulenta incommoda excitare poſſunt.

23. Occurrunt aliquando *portentoſa* herniarum exempla, ubi inteſtina ex incuria ac inconveniente regimine ad genua usque prolapſa reperiuntur.

24. *Flatulentia* quando herniarum repoſitioni obicem ponit, commendant ordinarie inteſtini levem ſcarificationem; ſed docet experientia, quod exigui ſit effectus, ſtatim enim vulnuſcula iterum coëunt. Melioris efficaciæ ſunt *clyſmata* carminativa, vel *facculi* carminativi, vel, quod modeſtiore & magis circumſpecta applicatione adhibendum confert, *unguentum* ex oleis chamomill. aneth. rut. & carvi.

25. Herniosis admodum commoda eſt *caloris* admiſſio, *frigus* autem vehementer noxium obſervatur.

26. Ad *clyſteres*, pro incarceratione expedienda, niſi inteſtinum jam per aliquot dies in ſcroto hæſerit, & peſſima ſymptomata ſupervenerint,

nerint, non facile transeundum est. Descendunt enim ad scrotum, & ratione ponderis sui intestina magis deprimunt atque herniam augent.

27. Herba *perfoliata* ad herniam *scrotalem* tanquam *specificum* quidem laudatur, sed experientiæ non respondet.

28. Notandum, quod in *bubonocele* raro exeant intestinum *jejunum* & *colon*, nunquam *duodenum* & *rectum*, sed semper fere *ileum*. In omni *exomphalo* primum exit *omentum*, de intestinis *jejunum* & *ileum* æquali ratione.

29. *Annuli*, qui in statu naturali sibi invicem *paralleli* non sunt, in herniis tales observantur. In *bubonocele* exterior, tanquam firmissimus, illæsus creditur, & hanc esse causam statuunt, quod *incompleta* hernia inde proveniat.

30. De *impropriis* herniis pauca adjicienda sunt:

a) *Sarcocele*, nisi in primo principio medicamenta congrua adhibeantur, non admittit curationem pharmaceuticam, & ne tunc quidem perfectam, sed tantum *suspensivam*, ne scilicet vehementius invalescat.

b) *Amuletica* in sarcomatibus talibus bonum subinde præstant effectum, inter quæ *manus mortuæ* contactus præcellit. Hæc si diutius affricetur excrescentiæ, & æger paulo pensitabundi, sensibilis & timidi sit genii, non raro salutaris deprehenditur.

c) Efficacissimum remedium est quidem *exsectio*, requirit autem multam circumspectionem & notitiam anatomicam.

d) Spongiosa talis excrescentia, quæ glandulis *inguinalibus* innascitur, præcipue providam & peritam poscit sectionem, propter grandiora vasa in vicinia posita, nempe arteriam & venam *cruralem*.

31. Denique notandum, quod in omnibus herniis *propriis* remedia *interna* directum quidem usum raro habeant; quando autem alvi adstrictio & flatulentia adest, optime se gerunt pilulæ *Stahlianæ* vel *Becheri* genuinæ. De reliquo *tincturæ alcalicæ*, cum dimidia parte spiritus C. C. mixtæ, pro tonico scopo utiliter adhibentur.

TABVLA XXX.
DE
STRUMIS SEU SCROPHULIS.

I. *DEFINITIO.*

Struma est excrescentia spongiosa, glandulas prope asperam arteriam frequentissime occupans, & in magnam sæpe molem procrescens. Dicitur a nonnullis *bronchocele*, german. ein Kropf.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Excrescentiarum tot fere sunt species, quod diversitates partium solidarum; ita ut ipsa etiam ossa ab illis non sint immunia. Observarunt enim auctores, præcipue *Bartholinus in histor. anatom.* insignes tales excrescentias duras, cornu æmulantes. Sed hæ rariores sunt; frequentius autem *spongiosæ* ossium conquassatorum extuberantiæ occurrunt.
2. *Strumas* quo jure ad excrescentias, & quidem partium *glandulosarum* referamus, sub *causis* dicemus.
3. *Fungi* in partibus *membranaceis*, *tendinosis* & *ligamentosis* oriuntur. Vnde circa articulationes ordinarie excrescunt.
4. *Sarcomata* in partibus *carnosis fibraceis* excrescunt, & quando peculiari tunica inclusa sunt, *nattæ* appellantur.
5. *Polypus narium* excrescentiam *carnoso-membranaceam* exhibet.
6. *Caro luxurians* est concrementum *fungoso-fibrosum*, læsionibus externis subinde accedens.
7. *Verrucæ* dependent ab ipsius cutis *nerveo-membranosis* fibrillis, inordinate excrescentibus.
8. *Clavi pedum* cum verrucis quidem plurimum conveniunt; *profundius* autem excrescunt, dolores inferunt, ad callosam magis texturam accedunt.
9. *Nævi materni* in variis partibus contingunt, & hinc modo *strumosam* seu glandulosam, modo *fungosam*, modo *carnosam*, modo *verrucosam* excrescentiam offerunt.
10. De *strumis* hac tabula, de reliquis excrescentiis sequentibus agemus.

III. *CAVSÆ.*

1. Si ulla res, certe inflatio glandulosa in strumis intricata est. Glandulæ enim prope asperam arteriam, si cum monstrosis strumis illas comparemus, admodum exiguæ sunt.
2. Strumæ eandem, quam *herniæ carnosæ* seu melius *spongiosæ*, habent indolem. Hinc, quando exsecantur, texturam spongioso-fibrosam cum satis perspicuis & capacibus porosis meatibus exhibent.
3. Et quemadmodum *hernia carnosa* non contingit, nisi post violentam disruptionem tunicæ crassioris albugineæ, quæ testiculum proxime ambit, ita etiam strumæ pro fundamento habent disruptionem peculiaris illius tunicæ, qua hæ glandulæ circumductæ sunt. Hac enim rupta, extra orbitam excrescendo luxuriat glanduloso-tubulosa substantia.
4. Ex hisce considerationibus rejicimus vulgarem de strumis pathologicum conceptum, qui *infarctum* humorum coagulatorum accusat.
5. Causæ *occasionales* hujus rupturæ variæ occurrunt, e. g.
   1) *Generatim* commotio asperæ arteriæ & colli violenta.
   2) *Speciatim* clamores, ejulatus, præcipue in parturientibus, vomitus vehemens, strangulatoriæ compressiones.
   3) De *hæreditaria* & *endemia* strumarum constitutione sub *cautelis* pauca dicemus.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Difficilis est curatio harum excrescentiarum.
2. Considerandum est tempus *durationis*. In principio enim & mediocri incremento, dum adhuc in motu sunt, admittunt subinde moderationem, imo interdum curationem.
3. Quando autem in *statu* sunt strumæ, tunc *medico-chirurgica* curatio quæ *maturationem* respicit, ancipitis est eventus; *instrumentalis* autem modo irrita, modo plane periculosa deprehenditur, præcipue si strumæ ambitum habeant majorem.
4. Quo magis excrescunt strumæ, eo certius respirationi & deglutitioni impedimentum afferunt.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quando strumæ adhuc sunt in *incremento*, tunc conveniunt

1) *Interne*

a) *Evacuantia* & alia *revellentia.*

b) *Essentiæ resolventes*, quæ simul sunt diureticæ, nempe essent. pimpinell. alb. helen. succin. ligni sassafras; præcipue *vincetoxici*, quæ tanquam resolvens & discutiens egregium ad strumas laudatur. *Vid. cautel. 10.*

c) *Spongia usta*, mane & versus vesperam aliquamdiu sumta, in recente struma non contemnendi usus est. Dosis est scrupulus vel drachma semis.

d) Sic etiam *sal gemmæ*, a *Paracelso* commendatum, si perito usu adhibeatur, efficax deprehenditur.

2) *Externe* pro scopo discutiente laudantur

a) *Cataplasmata* e discutientibus & leniter adstringentibus radicibus & herbis parata; quibus præ aliis *radicem vincetoxici*, quæ in A. N. C. commendatur, addendam monemus.

b) *Emplastra* saponata, de spermate ceti, de ranis *Vigonis* cum mercurio in triplo, ceratum santalinum, quod subadstrictionem substantiæ spongiosæ præstat.

c) *Gummata* galban. bdell. in aceto soluta & applicata.

d) *Linimenta* ex ol. laur. chamomill. lumbric. terrestr. quibus deinde unum e prædictis emplastris imponitur.

e) Speciatim *oleum bufonis*, quod *Borellus* commendat, laude sua non privandum est.

f) Item *oleum lacertarum*, quod *Scultetus* in observat. suis chirurg. commendat.

g) Non minus *olea aranearum* & *scorpionum*; modo parce & non adeo frequenter adhibeantur.

h) De *sympatheticis* & reliquis remediis sub *cautelis* dicemus.

2. Quando strumæ vel sponte sua vel incongrua arte inflammantur, & ad *maturationem* accedere videntur, eo laborandum est, ut separatio, quo fieri potest modo, quantocyus promoveatur. Periculosa enim res est, quando strumæ maturantes cito non abscedunt, & quo diutius ichorosa ulceratione corripiuntur, eo molestius & periculosius est negotium.

De exstirpatione strumarum per *sectionem* vel alia violenta remedia sub *cautelis* dicendum erit.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Adſtringentia*, ſi incongrue adhibeantur, loco discuſſionis retropellunt. Vnde ægri aſthmata repentina, imo convulſiva vel alia graviora pericula incurrunt; quæ ſub ipſa ſtrumarum toleratione minime exſpectanda fuiſſent.

2. *Amuletica, ſympathetica* & *transplantatoria* remedia incerta ſunt. Dantur exempla, ubi nihil, dantur, ubi multum præſtiterunt.

3. In A. N. C. legitur, quod *mures* vivi diſſecti & applicati, aliquid præſtiterint. De capite *talpæ*, *lacertæ*, *bufone* videatur *Paulin.*

4. Exc. *Stahlius* propria ſua experientia confirmat, quod *filum cruentum*, per *murem vivum* trajectum, & collo alligatum in puellæ cujusdam ſtruma, adhuc minore, ulterius incrementum inhibuerit (Vulgus e ſuperſtitione præſtigiatoria requirit, ut filum hoc a puella nondum ſeptenni paratum ſit) Filum ſanguine muris bene imbutum duplici vel triplici circuitu collo patientis ita circumdant, ut cutim undique ſtricte tangat. Hujus remedii effectum in ſtruma ſatis magna experti ſumus.

5. Quid de contactu *manus* mortuæ ad excreſcentias tollendas promittatur, præcedente tabula jam indicavimus. Præferunt autem manum illius, qui morbo chronico mortuus eſt. Nounulli efficaciam, quam manus mortua exſerit, adſcribunt frigori; ſed hac ratione fruſtum glaciei præferendum eſſet.

6. *Vivas* quoque *manus* efficaciam quandam habere afferunt, nempe manus *filii ſeptimi*, qui non habuit ſororem, natu majorem. Experientia hujus contactus ſucceſſum modo felicem, modo contrarium docet.

7. De *Regibus Galliæ* & *Angliæ* auctores pro certo tradunt, quod ſtrumas contactu manuum curare poſſint & ſoleant.

8. Antiqua etiam & vulgaris eſt traditio, quod, ſi *rana*, *bufo* vel *talpa* tam diu in manu teneatur, donec moriatur, manus illa efficaciam accipiat, ejusmodi excreſcentias curandi.

9. Quidquid autem hic contingit, notandum, quod excreſcentiæ tales adhuc eſſe debeant in fieri, & ægrotantes ipſi teneriores vel timidi atque ad imaginandum & credendum promti. Multum enim poteſt imaginatio tam in conſtruendis, quam deſtruendis excreſcentiis.

10. Commendavimus quidem ſub *methodo* remedia illa pharmaceutico-chirurgica, quæ, ſecundum vulgarem hypotheſin, ſtagnantibus *humoribus* reſolvendis & diſcutiendis in recentibus ſtrumis deſtinantur. Sed cum hæ non fundentur in *humorum ſtaſi*, hunc etiam effectum præſtare non poſſunt. Quando *acria* remedia adhibentur, inflammationem efficiunt, & periculum ſanioſæ ulcerationis inferunt.

11. Interea tamen diſcutientia illa in primis principiis non plane ſunt contemnenda. Quemadmodum enim *ante* tunicæ diſruptionem, præcipue ubi *vitium hæreditarium* ſubeſt, congeſtionem & ſtagnationem humorum prorſus negare non poſſumus, ita etiam dicta diſcutientia uſum ſuum præſtant.

12. Quando conſideramus, quod ſtrumæ in certis regionibus morbi quaſi *endemii* ſint, ſatis cognoſcimus, violentas cauſas, quibus tunica diſrumpitur, univerſam pathologiam hic non abſolvere. Sane enim violenta talis diſruptio uni regioni præ altera non poteſt eſſe propria. Unde erroneum motum, quo humores verſus talia loca ante membranæ rupturam diriguntur, majoris hic momenti eſſe cenſemus, quam quascunque alias cauſas, quæ regionibus illis tribuuntur. Interea tamen vera excreſcentia in ſtrumis primario accuſanda eſt.

13. Obſervatio *Sculteti* de efficacia *lacertarum*, tam externe, quam in *electuariis* interne adhibitarum, lectu digna, &, præcipue ſi teneris præſcribantur, laudabilem ſubinde effectum præſtant.

14. Proſtant quidem exempla apud auctores, quod ſtrumæ per maturationem ſint curatæ, eſt autem res periculo pleniſſima. Hinc a remediis vehementibus ſic dictis *attrahentibus*, *rubefacientibus* & *maturantibus* abſtinendum eſt, ob cancroſam corruptionem metuendam.

15. Curationem per *ſectionem* paſſim felicem fuiſſe, auctores teſtantur. Revera autem dexteritate hic opus eſt, propter viciniam vaſorum, *carotides* nempe *externas* & *venas jugulares*; inprimis etiam, quia ſtrumæ majores ſanguiferorum vaſorum ramos habent multum diſtentos.

16. Speciatim locum magis habere videtur *ſectio*, quando ſtrumæ non ita magnæ & inſuper adhuc mobiles ſunt. In his enim vaſa non minus ampliata eſſe ſolent. Præter ea palpabilior quoque eſt ambitus & diſtinctio a reliquis partibus.

17. Sequente autem methodo sectionem instituere solent.
   a) Struma per totum sui tractum *cruciatim* inciditur.
   b) Quatuor *labia* scalpello ita diducuntur, ut universa excrescentia comprehendi & a reliquis partibus separari possit. *Conferatur tabula de tumoribus saccatis.* Hac ratione tota glandula cum sacco suo removetur.
   c) Hæmorrhagia quando sub operatione circa radicem exoritur, tractanda est illa, uti suo loco indicavimus.
18. Per *cauteria potentialia* strumas duras & profundas exstirpare velle temerarius est ausus, ob viciniam nervorum & vasorum sanguiferorum.
19. *Compressio* per *monile plumbeum*, mercurio agitatum, in strumis incipientibus laudatur.
20. *Lorum e corio humano* in strumis æque ac in partu difficili summum levamen adferre perhibent. Sed experientia docet; quod lora, ex aliis animalibus confecta, idem præstare valeant; quod fascia, e lineo parata, ejusmodi lori officio fungi possit. Non enim nisi *pressione* agunt.
21. Per *deligationem* exstirpari possunt strumæ, quando circa sui radices angustæ sunt, & petiolum quasi referunt. Raro autem hoc contingit.
22. De incolis *Insulæ S. Thomæ* referunt nonnulli auctores, quod subinde strumas in *pedibus* habere soleant.

TABULA XXXI.

DE

FUNGIS.

1. DEFINITIO.

Fungus est concrementum porosum, squameum, filamentis laxis, pendulis, inæqualiter sibi invicem interspersis, præditum; colorem modo flavescentem modo lividum exhibens, circa articulatione

ordinarie enaſcens, & ab erronea naturæ activitate originem ducens. Germ. der Glied-Schwam.

II. *DIFFERENTIA.*

Fungus differt a *carne luxuriante*

1. *Textura.* Caro enim luxurians eſt concrementum mixtum, nempe partim *fungoſum*, partim *fibroſum*, durum, carneum. Fungus autem exhibet ſubſtantiam magis laxam, ſquameam.
2. *Loco & partibus*, in quibus tales excreſcentiæ proveniunt. Nam caro luxurians in partibus magis ſanguineis, carnoſis, fungus autem in exſanguibus, tendinoſis, membranaceis circa articulationes propullulat.
3. *Symptomatibus.* Fungus enim, quando irritatur, circa ſui radicem dolorem adfert; licet uterque affectus, ſibi relictus, expers dolorum obſervetur.

III. *CAUSÆ.*

1. Indicavimus jam præcedente tabula, quod vulgaris pathologia, quæ *ſtaſin humorum* viſcidorum in *ſtrumis* accuſat, in rei veritate non ſit fundata. Idem de *fungis* eſto judicium. Hi enim non ex humoribus vitioſis, ſed ex irregulari fibroſa textura conſtant.
2. Oriuntur autem fungi e ſequentibus cauſis *occaſionalibus*.
   1) E *vulneribus* inæqualiter mundificatis.
   2) Ex *ulceribus* impuris, corruptis & irritatis.
   3) Speciatim quando per remedia *acria cauſtica* affluxus humorum nimius excitatur. Hac enim ratione fungus in capaciſſimam ſæpe magnitudinem excreſcit, & vel vulnera vel ulcera ita depravat, ut conſolidationi difficillime obtemperent.
   4) Ex alia violenta exacerbatione morbida partium tendinoſarum aut articulationum.

V. *PROGNOSIS.*

1. Quam diu concrementum fungoſum exiguum eſt, nulla adeo incommoda, nedum pericula adfert.
2. Quando autem talia augmenta ſumit, ut in texturam ſuam conſpicua vaſa ſanguifera & nervos admittat, tunc gravioribus turbis, quando irritatur, aptum exiſtit, præcipue autem circa ſui radices ſtipatos habet ſenſibiles dolores.

3. Con-

3. *Confirmati* fungi ægerrime exſtirpantur.
4. Quando incongua arte tractantur, corruptionem cancroſam facile induunt, & in reliquo corpore tabida hectica conſumtio obſervanda eſt.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Fungus *exiguus*, *recens*, modo enaſcens moderatis *ſepticis*, cum una vel altera guttula *olei terebinthinæ* & *ſpicæ*, adjecto modico caſtorei remixtis, abſumitur. Hac etiam ratione *ſeptica* temperantur, & partes non adeo offendunt. Laudantur in hunc finem
   1) Oleum philoſophorum, quod commode abſumit.
   2) Alumen uſtum.
   3) Crocus metallorum.
   4) Mercurius *vitæ*.
   5) Poſſunt etiam adhiberi *venerea*, ſed cum circumſpectione, præcipue ſi ad ſanam usqe partem eroſio pervenerit. Hinc *unguentum Ægyptiacum* parcius adhibendum eſt.
   6) In fungo ſenſibili & teneriore ſequens pulvis, quando adſpergitur & repetitur, ſenſim excreſcentiam aufert.
   Recip. *Radic.* irid. Florent. ariſtoloch. rotund. ana unc. j
   Herb. rorismar. ſalv. rut. ana man. j.
   Myrrh. elect. oliban. ana unc. ſemis. f. pulv. Hæc & alia temperata balſamica præcipue locum habent, quando fungus adhuc hæret in vulnere vel ulcere.
2. Fungus autem *adultior*, *confirmatus*, *magnus* medicationi non auſcultat ſed chirurgiam *inſtrumentalem* expoſcit, nempe vel *deligationem*, locum habeat, vel *exſectionem*.
   1) Præmittuntur autem operationi
      a) Blandæ purgationes
      b) Venæ ſectio in plethoricis vel adſuetis.
      c) Diaphoretico-diuretica, ne humores acres excrementitii, facta ſectione, ad partem ulceraſcentem congerantur, adeoque tanto gravior fiat ſenſibilitas.
   2) Conjunguntur
      a) Analepticæ potiones.
      b) Diſcutientia externa peripheriæ applicanda, ad novum affluxum arcendum.

c) Ha

d) Hæmorrhagiam ſiſtentia, ſi circumſtantiæ illa requirant.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Principiis obſtare, optimum hic eſt conſilium. Hinc in vulneribus vel ulceribus eo proſpiciendum eſt, ut *æqualis mundificatio* obtineatur, id quod commodiſſime fit per balſamica, quibus ſpiritus vini admixtus eſt.
   Quando autem omnino emicant tales excreſcentiæ, primis ſtatim initiis talium rudimentorum reſiſtatur per lenia ſeptica, ſuperius nominata, quibus addimus *unguentum apoſtolorum.*
3. Ab *arſenicalibus* remediis ſibi cavendum.
4. Adultior & grandior fungus rectius per *ſectionem*, quam multam *eroſionem*, conſumitur. Sane enim in omnibus fungoſis, membranaceo-ligamentoſis aut glanduloſis excreſcentiis habenæ *corroſivis* temere non laxandæ ſunt. Conferantur *Hildani obſervationes*, ubi inſigne exemplar grandioris fungi, per ſectionem ablati, exhibetur.
5. Excreſcentiæ fungoſæ, quæ intra articulationes graviter contuſas & cum contuſione luxatas propullulant, ſolis Chirurgis non poſſunt relinqui.
6. Suadent plerique Chirurgi, neque inconſultum eſt, ut *ſubadſtringentia* & *nervina* cum *ſepticis* conjungantur, quæ tam progreſſum excreſcentiæ ulteriorem; quam (ſi vaſa ſanguinea nutriendo fungo jam admiſſa ſint) ſanguinis affluxum reſtringant.
7. Speciatim *maſtichina* huic ſcopo inſerviunt. Hæc enim non æque adſtringendo, quam tonum roborando effectum ſuum præſtant.
8. Cavendum quam maxime, ne quid horum omnium, corpore adhuc impuro, ſuſcipiatur, alias affectus ſpaſmodici vel fluxus *ſynoviæ* inducuntur.
9. Quo junior ægrotans & quo magis natura cum nutriendo corpore occupata eſt, eo diligentius affluxum humorum per *defenſiva* arcendum commendamus. Vegete enim, uti reliquum corpus, ita etiam fungoſa excreſcentia in talibus nutritur.

TABULA XXXII.

DE

SARCOMATE.

I. DEFINITIO.

Sarcoma eſt concrementum non admodum durum, carnoſum, fibraceum, multo ſanguine refertum, & in partibus carnoſis enaſci ſolitum. Derivatur a σὰρξ, caro, & germanice κατ' ἐξοχὴν ein Gewächs appellatur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Sarcomata proveniunt
   1) Vel in *externis* corporis partibus, de quibus hac tabula agemus. Hæc quando peculiari tunica incluſa ſunt, *nattæ* vel *natæ* vocantur.
   2) Vel in partibus *internis*, quo *polypi cordis* pertinent.
2. De *polypis narium* & *nævis maternis* ſequentibus tabulis agemus.
3. Sarcomata omni dexteritate diſtingui debent ab illis tumoribus, qui humores corruptos pro cauſa *continente* habent.

III. *SIGNA.*

1. Concrementa hæc carnea filamentoſa ordinarie ſenſim accreſcunt, & capacem magnitudinem aſſumunt. *Vid. cautel.*
2. Nonnunquam indolentia ſunt, nonnunquam autem inflammationibus afficiuntur, & tunc ad gangrænam atque ſphacelum habent proclivitatem.
3. Cum *lunæ* motibus conſpirant. Hac ènim creſcente vel decreſcente ſarcomata creſcunt vel decreſcunt.
4. Reperiuntur in genis, brachiis, femoribus, dorſo &c.
5. Non adeo dura, ſed, ut caro, tactui obvia ſunt.
6. Facile poſſunt exacerbari, præcipue ſi ſæpius fricentur & commoveantur.
7. Speciatim poſt iracundiam, nimium cibum & potum ſpirituoſum ſarcomata talia dolent & ardent.

IV. *CAUSAE.*

1. Oriuntur ſarcomata externa

1) Vel

1) Vel ex levi *puſtula ſanguinolenta*, profundius hærente, genuinam inflammationem & ſuppurationem reſpuente, vel immodeſta frictione tractata, exſiccata.

2) Vel ex *tumore ſanguinolento* capaciore, accedentibus iisdem cauſis, modo dictis.

3) Vel ex *intumeſcentia verrucoſa* importuna frictione agitata.

2. De ſarcomatum *internorum* ſeu *polyporum cordis* geneſi tabulis *medicis* nonnulla diximus.

V. *PROGNOSIS.*

1. Sarcomata quando per immodeſtam frictionem, corroſionem, ſectionem vel qualiacunque vellicantia remedia irritantur, tunc affluxus humorum augetur & ad corruptionem ſive ulceroſam, ſive ſphaceloſam via paratur.

2. Hæmorrhagiæ periculoſæ ſarcomata læſa facile excipiunt. Hæc enim concrementa capacia habent vaſa ſanguifera, quæ temporis progreſſione in ipſam excreſcentiam immittuntur, & pro parte integrante, erroneo naturæ conceptu, æſtimantur.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1) Sub primo ſacromatis ortu

1) Præmittantur

a) blandæ purgationes

b) Venæ ſectio revulſoria. *Conf. tab. de venæ ſectione.*

c) *Hirudinum* applicatio. *Vide cautelas.*

2) Subjungantur diſcutientia externa cum adſtringentibus conjuncta, e. g.

a) *Rad.* bryon, irid. Flor. ſigill. Salomon. biſtort. torment. ſymphyt.

b) *Herb.* ſcord. hyſſop. rut. agrim. alchimill.

c) Cort. granator. ſem. carvi.

Hæc vino vel aceto coquantur & in forma *cataplaſmatis* repetito imponantur.

2. Quando autem ſarcomata ulterius progreſſa ſunt, tunc modo dicta non ſufficiunt, ſed vel *exſectio*, vel *cauteriſatio*, vel deligatio, vel efficacia *ſympathetica* remedia in ſubſidium vocanda ſunt; de quibus ſingulis ſub cautelis dicemus.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Applicatio *hirudinum* efficax deprehenditur, licet apud Chirurgos

commendata non occurrat. Præmittitur luna decreſcente *purgans* & *venæ ſectio*, & deinde ſarcomati immediate admittitur *hirudo*, qui ſanguinem educit.

2. Remoto hoc animalculo in *peripheria* applicatur emplaſtrum aliquod diſcutiens, e. g. *diaphoret. Mynſichti* vel de *ſpermate ranarum*, bene camphoratum; ipſi vero *ſarcomati* imponitur cataplaſma ſub *methodo* commendatum.

3. Ad tollendas ejusmodi excreſcentias laudant præcipue patroni curationum ſympatheticarum contactum *manus mortuæ*, & præ aliis quidem manum illius extollunt, qui tabe mortuus eſt: Hac manu ſarcoma fortius fricatur, & in ſubjectis ſenſibilibus efficax ſæpe deprehenditur. Sic certum eſt, *hordeolum* per talem contactum eſſe ſublatum.

4. Sunt qui commendant applicationem linteorum, *ſudore emortual* imbutorum.

5. Notandum autem generatim de curationibus hiſce *ſympatheticis*, *a muleticis*, *magneticis*, *transplantatoriis*, quod non tam a cauſa materiali, e. g. a *frigore* manus mortuæ, quam primario a cauſa morali, nempe ſenſibilitate animi dependeant.

6. Alii *exſectionem* talis ſarcomatis commendant, quæ ſecurius inſtituitur, quando ſarcoma adhuc in incremento conſtitutum eſt. Quod ſi vero adoleverit, majus periculum involvit.

7. Hoc periculum inprimis metuendum eſt, ſi ſarcoma *magnæ molis* per ſectionem tractetur. Nota fuit uxor, cujus ſarcoma, in dorſo prognatum, ad *ſuras* dependebat. Hæc cum decumbere vellet, concrementum hoc omnibus viribus ſurſum tollere debuit, pondus enim triginta circiter librarum habebat, & ingentibus vaſis ſanguiferis præditum erat.

8. Talia portentoſa concrementa, ſi ſectioni ſubjiciantur, non poſſunt non graves hæmorrhagias minari, & ſatis docent, quam provide & cum qua judicioſa anatomiæ notitia talis operatio inſtituenda ſit.

9. In *obſervationibus Hildani* occurrit exemplum generoſi cujusdam & annoſioris viri, cui ex *angulo* oculi excreſcentia talis fungoſo-membranoſa, multis robuſtis vaſis tam venoſis quam arterioſis prædita, & integram libram pondere referens, excrevit, quæ ab *Hildano* per ſectionem feliciter exſtirpata eſt.

10. De

10. *Deligatio* locum habet in illis excreſcentiis, quæ *petiolo* quaſi reliquis corporis partibus adhærent, & pendulum ſitum exhibent. In hisce circumſtantiis filo capaci ligatura circa radicem inſtituitur, qua reliquo corpori adhæret.

11. Expedit autem non una vice omnem affluxum per ligaturam intercipere, ſed primo notabiliter tantum conſtringere; deinde poſt duodecim, vel pro re nata viginti & quatuor horas ſtricturam intendere, donec ſenſim tam arcte conſtringatur, ut omnis affluxus tollatur, excreſcentia marceſcat & tandem ſectione auferatur.

12. Quando autem affluxus *uno actu* per ligaturam intercipitur, non ſolum ingentes dolores inducuntur, verum etiam corruptio *putredinoſa* facile invitatur.

13. Ad *ligaturam* dextre adminiſtrandam proſtant nonnullæ inventiones, e quibus, præcipue ſi parvi ambitus ſit excreſcentia, *arcus* ex oſſibus ceti paratus non contemnendus eſt. Hac enim encheireſi intra tres dies plenaria interceptio ſecure ſperari poteſt.

14. Videlicet adhibetur huic *arcui funiculus e pilis equinis* longis, aut e *ſerico* ſæpius contorto ac firmo, paratus, atque hic funiculus ſimplici vel duplici ambitu petiolo circumducitur. Ita arcus, qui perpetuo elatere conſiſtit, & pro re nata plus vel minus firmus formatus eſt, continuo funiculum ſuum ſtringit, & quo magis pars affecta cedit, eo magis arcus ille intendit ſtricturam. Atque ita ſucceſſive affluxus inhibetur & excreſcentia ſicceſcit.

15. Pro hac operatione parare etiam ſolent *machinas* tales *tenſorias*, quales horologia parva habent, wie die Federn an den Sack-Uhren.

16. Quæ *Paracelſus* ad ſarcomata inhibenda commendat, multam difficultatem tam a priori quam poſteriori involvunt. Suadet enim, ut ſarcomatis radix inquiratur & accurate obſerventur vaſa illa, unde huic excreſcentiæ nutrimentum ſuppeditatur. His detectis *ligaturam* vel *cauteriſationem* commendat. Sed difficile eſt detegere vaſa illa, e quibus ſarcoma nutrimentum ſuum accipit, & ita præſtat concrementum exſcindere, quam multum inveſtigare.

17. Præter ea *cauteriſatio*, quam *Paracelſus* dicto modo commendat, non ſolum rarius locum habet, ſed & multam circumſpectionem requirit.

18. Quando autem *corroſiva* adhibentur, tunc inflammationes, ingentes ſpaſmi, convulſiones, imo ſphacelus inducuntur. Itaque optimum eſt, ab illis abſtinere.

19. Denique de *nattarum exſectione* notandum eſt, quod eadem methodo, qua *ſteatomata* exſcinduntur, ſit inſtituenda. Videlicet cutis ita inciditur, ut tota moles hujus excreſcentiæ circum circa liberari, fibræ membranaceæ usque ad ſuam radicem reſcindi, & ita excreſcentiæ cum petiolo ſuo funditus exſtirpari poſſint.

20. Præcipue autem ad *vaſa ſanguifera*, quæ *nattis* nutritionem & vitalem conſervationem ſuppeditant, reſpiciendum, & hæmorrhagia nimia per prævium deligationem avertenda eſt. In vaſis vero *minuſculis* non opus eſt tali deligatione.

TABVLA XXXIII.

DE

POLYPO NARIUM.

I. DEFINITIO.

Polypus narium eſt concrementum fungoſo-carnoſo-membranaceum, modo introrſum circa *os cribroſum*, modo extrorſum in naribus proveniens. Derivatur a πολὺς, multus, & πῦς, pes, german. ein Naſen-Gewächs.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Diſtinguunt multi auctores inter *ſarcoma* naſi & *polypum*. Per *ſarcoma* ſubaudiunt excreſcentiam duram, fere cartilagineam, & nullo petiolo pendulam, quæ ob amplum ſui fundum longe difficiliorem curationem involvat, neque eadem prorſus methodo, uti polypus, tractari poſſit. *Polypus* ex *ſignis* ſubſequentibus dignoſcitur.

2. *Polypus* quomodo conſiſtentia & reliquis circumſtantiis differat, eadem *ſigna* docent.

III. *SIGNA.*

1. Polypus offert excreſcentiam præternaturalem, modo in una nare, modo in duabus.

2. Hoc

2. Hoc concrementum exhibet *conſiſtentiam* jam magis ſpongioſam & mollem, ſeu, uti nonnulli loquuntur, pituitoſam; jam magis carnoſam & ſolidam; circa radicem autem ſui membranaceum quid refert.

3. *Colorem* habet modo nigricantem & rubicundum, modo lividum & pallidum, pro texturæ & reliquarum circumſtantiarum diverſitate.

4. Nonnulli polypi unica tantum *radice* præditi, & petiolo quaſi ſeu pedunculo penduli ſunt; nonnulli plures habent radices & multis in locis narium tunicæ adnexi ſunt.

5. Hæ radices modo *extrorſum* ad latera narium, modo *introrſum* circa *os cribroſum* reperiuntur; imo nonnulli polypi radicem ſuam in *ſinubus* plane *cranii* capiunt.

6. Sic etiam polypi modo unam habent *prominentiam*, modo pluribus extremitatibus conſpicui ſunt. Alii *extrorſum* e naribus procreſcunt; alii *antrorſum & retrorſum* per *fauces* propagines ſuas diffundunt; alii *extrorſum* & *introrſum* ſimul procreſcere ſolent.

7. Polypus utplurimum expers eſt *dolorum*, nonnunquam autem ſatis ſenſibilis reperitur.

8. Prout luna creſcit & decreſcit, polypi itidem creſcunt & decreſcunt.

V. CAVSÆ.

1. Cauſæ quæ polypum narium inducere ſolent, ſunt

1) Vel *internæ*, ubi inprimis accuſandæ veniunt

a) *Hæmorrhagiarum* adſuetarum & nimiarum ſuppreſſiones.

b) *Phlegmatorrhagiæ* narium, nempe coryza, gravedo, catarrhi acriores. Hæc enim materia acris facile ulcerationem, quam *ozænam* vocamus, inducit, & quando tale ulcus ob denegatum acceſſum non ſatis & æqualiter poteſt mundificari, vel incongruis methodis, præcipue præmaturis exſiccantibus, tractatur, excreſcentia talis luxurians inde emergit.

2) Vel *externæ*; quales ſunt læſiones naſi violentæ, nempe vulnera, contuſiones, fracturæ oſſium naſi, quæ quando improvida arte tractantur, ſufficienter non purgantur, vel, ob acria præcipue adhibita, nimio humorum affluxu offenduntur, polypum narium inducere poſſunt.

2. *Sarcoma* seu dura illa & cartilaginea narium excrescentia *spinam ventosam* pro fundamento sæpius habere auctores observarunt.

V. *PROGNOSIS.*

1. Polypus narium generatim est pertinax malum.
2. Qui colorem habet lividum vel multos dolores infert, ad cancrosam corruptionem inclinat.
3. Qui carnosi magis & duriores sunt, præcipue qui ab auctoribus multis *sarcomata* vocantur, pertinacissimi sunt. Diffusi enim sunt circa sui radicem, & hinc commode non possunt exstirpari.
4. In quanto majorem molem polypus excrescit, in tanto majora incommoda ægri conjiciuntur. Nares enim clauduntur, respiratio fit difficilis, & loquela, præcipue si retro *uvulam* promineat polypus, notabiliter impeditur.
5. Optimæ notæ sunt, qui molles, albicantes & unico, eoque subtili, pedunculo penduli apparent.
6. Scorbutus, lues venerea, vel alia humorum dyscrasia, quando cum polypo complicata sunt, curationem tanto difficiliorem reddunt.
7. Quo magis introrsum polypus radices suas cepit, eo difficilius exstirpatur.
8. Polypus quando *cancroideam* indolem exhibet, neque tamen status ulceratus jam adest, præstat illum non tangere, vel ad summum dolores tantum lenientibus placide sopire.
9. Radices quando funditus non exstirpantur, polypus facile recrudescit.
10. Polypum plenarie ablatum esse, testatur libera inspiratio & aëris attractio per illud narium latus, quod hoc malo obsessum fuit.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Polypus exstirpatur

1. Vel *medicamentis* leniter *septicis*, quando satis prominet & adhuc exiguus est.
   1) Præmittitur lenis vulneratio, ut septica eo melius effectum exserere possint.
   2) Habent Chirurgi *canalem argenteum*, quo septica applicari debent, ne reliquis partibus noceant. Ordinarie autem linteo carpto illa

illa applicant, & unguento vel oleo quodam partes ſanas defendunt.

3) Ipſa autem ſeptica ſint lenia, inter quæ pulvis *talpæ* & *erinacei* per uſtionem paratus efficax eſt. Item linimentum ex oleo philoſophor. ovor. ceruſſa & momento camphoræ paratum.

4) *Adſtringentia* miſceantur, ut affluxui nimio reſiſtatur.

2. Vel *deligatione*, quæ ſatis quidem commoda eſt, ſed non habet locum, niſi polypus circa ſui radicem tenuis & petiolo quaſi pendulus ſit, ita ut filum commodo inſtrumento radici poſſit applicari. Quibus autem encheirefibus deligatio peragenda ſit, diximus tabula præcedente.

3. Vel *inſtrumentis*, nempe forcipibus *roſtra corvina* dictis; de quibus ſequentia notanda ſunt:

1) *Fabricius ab Aquapendente*, *Scultetus* & alii deſcribunt forcipem *ſecantem*, qua polypum vel *ſucceſſive*, (quod tamen plures cautelas involvit) vel *ſimultanee*, exſecandum commendant.

2) *Palfyn* commendat forcipem *non ſecantem*, qua polypus altius apprehendi & modeſta circumagitatione extrahi debeat. Hac enim ratione & illos polypos, qui altiores habent radices, e. g. circa *ſinus crani*, funditus interdum exſtirpari poſſe aſſeverat.

3) *Severinus* in malo recenti laudat frequentem modeſtam inciſionem, *lanceola* præſtandam, ut polypus ſenſim marceſcat.

4. Facta polypi remotione ſequentia obſerventur.

1) Reliquiæ radicum per lenia ſeptica auferantur, nempe per illa, quæ ſuperius jam commendata ſunt; quibus adjicimus miſcelam ex oleo myrrhæ per deliquium, ceræ & philoſophorum, intra nares affectæ parti applicandam.

2) Hisce ſepticis miſceantur *adſtringentia*, non mineralia, ſed vegetabilia, e rad. tormentil. biſtort. flor. baluſt. cort. granat. hyperic. Hac enim ratione *hæmorrhagiæ* occurritur, quæ polypum recenter ſectum ordinarie largiter excipit, & ſub applicatione ſepticorum propemodum recrudeſcit.

3) Ad affluxum ulteriorem arcendum applicentur *extrinſecus* discutientia camphorata.

4) Denique ad mundificationem & conſolidationem promovendam adhibeantur *balſamica*, e. g. oleum myrrhæ per deliquium, ovorum, hyperic. eſſent. balſamic. *Stahlii*.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Efficaciora ſeptica*, quæ a nonnullis commendantur, paulo periculoſioris uſus & adminiſtrationis ſunt. Vnde & pulveri *heliotropii*, a *Poterio* tantopere laudato, non fidimus. Præcipue autem *metallica* & *mercurialia* corroſiva hic nocent; licet tunicam naris ſanam unguento albo camphorato vel quocunque alio remedio defendant.

2. Per *cauteria actualia* polypum aggredi nimis periculoſum eſt. Tolerabilius eſt, ſi, extracto polypo, reliquiæ inurantur ferro calido, per cannulam nari immiſſo.

3. *Celſi* methodus, naſum incidere & hac ratione radicem polypi detegere, a recentioribus rejecta eſt.

4. Polypus quando per *fauces* prominet, & forcipe incurvata per os educendus eſt, cavendum, ne uvula lædatur.

5. Quam primum polypus recrudeſcere obſervatur, leni ſepſi quantocyus illi reſiſtendum eſt.

6. *Spiritus vini*, cum *melle roſaceo* miſtus, poſt polypi extractionem a multis laudatur, & ad recurſum mali præſcindendum commendatur; conjuncta in plethoricis *venæ ſectione* in pede & laxantibus congruis, ſubinde repetitis, ut humores ad inferiora revellantur.

7. Nonnulli extractionem polypi diſſuadent, & ſola *aqua calcis vivæ* ſæpius illum tangendum commendant.

8. *Succeſſive* & *fruſtulatim* polypum exſecare, vel ſecundum *antiquos* multum dilacerare, frequentem & copioſum humorum affluxum atque novam ordinarie hæmorrhagiam producit. Vnde, ſi circumſtantiæ permittant, præſtat illum uno actu ſive *ſecando* ſive *detorquendo* auferre.

9. Denique notetur, quod præſtet polypum aggredi *luna decreſcente*.

TAB.

TABVLA XXXIV.
DE
CARNE LVXVRIANTE.

I. *DEFINITIO.*

Caro luxurians eſt excreſcentia præternaturalis, in vulneribus & ulceribus interdum proveniens, & ab inſufficiente ac inæquali harum læſionum mundificatione vel impuriorum humorum afluxu originem ducens. Germ. vocatur wild Fleiſch.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Caro luxurians quomodo differat a *fungoſis* excreſcentiis, tabula de *fungis* indicavimus. Nempe excreſcentia luxurians in partibus exſanguibus *fungoſa*, in carnoſis autem partibus *ſpongioſa* apparet. Et ſic ſub uno genere *carnis luxuriantis* duæ ſpecies, videlicet caro fungoſa & ſpongioſa comprehenduntur.
2. Caro *luxurians* proximam connexionem habet cum carne ſemi-*corrupta*, germ. faul Fleiſch. Caro enim luxurians corruptioni anſam præbet, & hac ratione differunt tantum ut antecedens & conſequens. *Conf. prognoſis.*

III. *CAVSÆ.*

1. Caro luxurians pro generali fundamento habet *præmaturam* conſolidationem.
2. Cauſæ *occaſionales* ſunt
   1) *Inſufficiens* & *inæqualis* mundificatio vulneris aut ulceris. Quando enim in partibus adhuc *impuris* conſolidatio non poteſt obtineri, natura omnem activitatem nutrientem in parte *mundificata* exſerit. His adnumerandus eſt impuriorum humorum adfluxus.
   2) Hæc *feſtinatio* naturæ efficit nonnunquam, ut in ſubjectis junioribus & vegetis caro luxurians proveniat, licet abſterſio læſionis ſufficienter facta ſit. Bene enim notandum eſt, quod hæc excreſcentia luxurians non in parte *impura*, ſed *pura* proveniat.
   3) Multum etiam contribuunt remedia conſolidantia, ante plenariam læſionis abſterſionem adhibita.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Caro luxurians impedit *veram* conſolidationem,

2. Novas corruptiones & depravationes læſionibus adfert. Vnde ſimplex interdum læſio in ulcus immorigerum deducitur.
3. Quando majore jam mole luxurians caro excrevit, obtingunt facile inſignes hæmorrhagiæ, magis autem ſi *ſectione* quam *roſione* exſtirpatio tentetur.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ipſa *caro luxurians* tempeſtive & ſucceſſive auferatur
   1) Per lenia illa *ſeptica*, quæ præcedentibus tabulis jam indicata ſunt.
   2) Per *ſectionem*, ſi locus læſionis ſepticorum applicationem non toleret.
2. *Affluxus* humorum nimius avertatur
   1) Per *discutientia* camphorata, in ambitu applicanda.
   2. Per *adſtringentia* cum ſepticis combinanda.
3. Interea *ſufficientis mundificationis* ratio habeatur, uti ſuo loco diximus.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Principiis obſtare* optimum eſt conſilium. Hinc legitima vulnerum & ulcerum tractatio tanto magis commendatur, ut talis excreſcentia quovis modo impediatur; vel, ſi omnino emicet, lenioribus ſepticis mox auferatur.
2. Ab *acrioribus* autem *cathæreticis* abſtinendum eſt, totum enim affectum exacerbant.
3. Cavendum eſt, ne dum exſtirpationi carnis luxuriantis ſtudemus, æqualem totius ſuperficiei mundificationem negligamus. Hac enim neglecta nihil certius, quam abſumtæ portionis repullulationem experimur.
4. Exſtirpationem multum differre non conſultum eſt, graves enim hæmorrhagiæ, uti ſub *prognoſi* diximus, metuendæ ſunt.
5. Docent chirurgi, ut *compreſſionibus* carni luxurianti reſiſtatur. Sed cavendum, ne quid nimis fiat, & tota pars ſuffocetur.

TABULA XXXV.

DE VERRUCIS.

I. DEFINITIO.

Verrucæ ſunt excreſcentiæ inordinatæ cutanearum fibrillarum ner-

nerveo-membranoſarum, faciem & manus potiſſimum occupantes.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Verrucarum aliæ ſunt *molles* & *laxæ*; aliæ *duræ* & *nodoſæ*.
2. Aliæ circa ſui radicem ſunt *tenues* & *pendulæ*, aliæ baſin habent *amplam* & *diffuſam*.
3. Aliæ, & plurimæ quidem, *exiguæ* ſunt, aliæ in magnam molem excreſcunt.
4. Quædam verrucæ *lævigatæ*, quædam *aſperæ* ſunt, & hæ *myrmeciæ* vulgo audiunt, Ameiß Hauffen.

III. *CAUSÆ.*

1. Formatur hæc excreſcentia e *nerveo-cutaneis* fibrillis, inordinate contextis.
2. Hæc eſt ratio, quod radices verrucarum non profundius quam ad *ſolam cutem* pertingant.
3. Ex hac cauſa derivanda etiam venit eximia illa verrucarum, immodeſte tactarum, ſenſibilitas, quæ poſt intenſam irritationem tanta interdum obſervatur, ut fuſio humorum acrium lymphatico-ſeroſorum accedat.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Verrucæ ſibi relictæ nihil periculi alunt, ſed partem affectam tantum deformant.
2. Quando autem per immodeſtas *ſectiones*, *arroſiones* & *frictiones* offenduntur, tunc ratione nervoſæ conſtitutionis eximium ſenſum inferunt, atque hinc humorum affluxum, quodam modo inflammatorium, efficiunt.
3. *Contagioſa* verrucarum indoles, ab auctoribus nonnullis allegata, vix in aliis, quam meticuloſis, poſt prægreſſum contactum, locum habet.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

Verrucæ exſtirpantur

1. Vel *remediis*, nempe
   1) Lenibus *ſepticis*; in quem finem lac eſulæ præ aliis vehementioribus laudare ſolent, item ſuccum chelidonii majoris.
   2) *Sympatheticis*, *magneticis*, *amuleticis*; quorum innumera fere apud vulgus reperiuntur. *Vid. cautel.*

2. Vel *inſtrumentis*.
   1) Alii laudant *exſectionem* cum *forfice* vel *peculiari forcipe*; ſed quæ circumſpectio hic requiratur, *ſub cautelis* dicemus.
   2) Alii *acum tenerrimam* in meditullium verrucarum ad radicem usque immittunt, & deinde acum candela cerea candefaciunt. Man glüet die Nadel ſo lange, als man es nur ertragen kan.
   3) Alii *ſimplex ferrum* candens, verrucis accommodatum, adhibent.
   4) Alii *filo ſericeo* vel *pilo equino* verrucas deligant. De ſingulis hiſce ſub *cautelis* plura dicemus.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Generatim obſervandum eſt, quod verrucarum per *inſtrumenta* exſtirpatio ſine doloribus, ſi deligationem excipiamus, non obtineatur. Unde hæc methodus prætermittenda eſt in iis caſibus, ubi *numeroſiores* verrucæ in uno ſubjecto occurrunt.
2. De *exſectione* ſeu *abſciſſione* cum *forfice* vel *forcipe* illa, quæ ad *polypi* exſtirpationem commendari ſolet, ſpeciatim notandum eſt, quod omni periculo non careat, ſi majores ſint verrucæ. Facile enim hæmorrhagia, inflammatio & corruptio exoritur. In *exiguis* autem, iisque *paucioribus* verrucis hæc abſciſſio locum habet.
3. Præterea plerumque non ſufficit hæc abſciſſio, niſi reliquiæ radicum *cauterio potentiali*, vel minutiſſimo *actuali* attingantur.
4. Exſtirpatio per *cauterium actuale* eſt quidem ſatis certa, ſed in numeroſis verrucis fere intolerabilis, præcipue illa operatio, quæ cum *acu candente* ſucceſſivis gradibus inſtituitur.
5. *Deligatio* ſatis commode & ſine dolore ſuccedit in illis verrucis, quæ circa baſin anguſtæ & pendulæ ſunt. Notandum autem eſt, quod poſt deligationem æque ac poſt *abſciſſionem* verrucæ utplurimum iterum repullulent; niſi radix per *ſeptica* vel *ferrum candens* exſtirpetur.
6. Et ſic curatio *medico - chirurgica*, ſive per congrua *ſeptica*, ſive per *ſympathetica*, *magnetica* & *amuletica*, multis reſpectibus *inſtrumentali* hic præferenda eſt.
7. *Lenia ſeptica* e. g. ſuccus *chelidonii*, *eſulæ*, ipſam verrucam *directe* non arrodunt, ſed partes molles circa eandem primum exedunt, & denique *radicem*, nempe prima filamenta nervoſo - fibroſa abſumunt. Ablato hac ratione aditu, vetruca flaccida redditur, & facile decidit.
8. Ante, quam *ſeptica* applicant, verrucas leniter ſolent *vulnerare*, & deinde vel *lac eſulæ*, vel *unguent. Apoſtol.* vel etiam *butyrum antimonii*

ap-

applicare; obſervando ſubjectorum differentiam, ne ſenſibilibus acriora ſeptica adhibeantur. Præterea ambitus a *ſepticis* defendatur.

9. Commendant nonnulli frictionem verrucarum cum *ſale* & *aceto*; quæ remedia multoties fuerunt efficacia.

10. Sic etiam *aqua*, *ſale armoniaco* ſaturata, efficax deprehenditur.

11. Non minus *emplaſtrum*, e *cera* & *mercurio dulci* paratum, bonum effectum præſtat.

12. *Sympathetica* & *amuletica* remedia fere omnia in eo conveniunt, ut *contactum* aliquem cum verrucis requirant, & deinde materia illa, qua contactus factus eſt, *putredini* reponatur.

13. Certe uti verrucæ ſunt excreſcentiæ partium maxime *nervoſarum*, tanquam organorum animæ immediatorum, ita etiam patheticæ illæ alterationes, quæ per ſympathias introducuntur, præſentiorem efficaciam in illis, quam in *diſparibus* partibus exhibent. Interea tamen non ubique conſtantem effectum exſerunt; id quod diverſæ ſubjectorum ſenſibilitati potiſſimum tribuendum eſſe videtur.

14. Communiſſimum, quod habent, remedium eſt *nodorum illigatio*, extrahunt nempe *filum* ex *induſio* ægrotantis vel *mortui*, ſudore imbuto (*Amuletiſtæ* vocant *mumiam*). Huic filo totidem nodos, quot ſunt verrucæ, innectunt, uno nodo unam verrucam fricant, poſtea filum in loco humido, e. g. ſub ſtillicidium domus, unter die Dach-Traufe, defodiunt, ut cum fili hujus putreſcentia verrucæ ſimul evaneſcant.

15. Proprio & aliorum exemplo obſervavi, quod verrucæ, quæ in manibus erant, numeroſæ hoc remedio evanuerint. Puer eram decem circiter annorum, cum hoc conſilium mihi daretur, & quemadmodum circumſtantiæ illæ de *induſio*, *ſudore* imbuto, & *frictione* cum nodis, mihi traditæ non erant, ita verrucas tantum numerabam, tot nodos filo ſimplici nectebam, & filum ſub ſtillicidium domus ſepeliebam. Hac ratione in me & allis, quibus ſimplex hoc remedium poſtea commendavi, conſtantem expertus ſum effectum.

16. Alii *pomo* e. g. *Borsdorfiano*, vel etiam alio diſciſſo *multas* verrucas usque ad aliqualem dolorem fricant, pomum, filo iterum ligatum, reponunt vel ſub fimum ſepeliunt, atque cum hujus putredine contabeſcentiam verrucarum ſæpius experiuntur.

17. No-

17. Nota eſt illuſtriſſima quædam familia, quæ per aliquot menſes ſplendorem lunæ, cum decreſceret, verrucis ſuis admiſit, & ad incaleſcentiam illas ſub quavis repetitione fricavit, atque ita omnes in hac familia a verrucis liberati ſunt.

18. De hiſce *hæreditariis* verrucis, quæ integras familias infeſtant, notandum eſt, quod præ aliis moderatiſſimam tractationem expoſcant, & hinc ab improvidis *exſectionibus*, ſenſibilibus *corroſionibus*, majoribus *cauteriſationibus*, & immodeſtis deligationibus prorſus abſtinendum ſit.

19. Denique adjiciendum eſt, quod in palpebris oculorum internis verrucæ interdum excreſcant, quæ, uti *cauteria actualia*, ob loci conditionem, prorſus excludunt, ita *potentialium* uſum requirunt circumſpectiſſimum. *Septica* enim talia, oculo illapſa, cæcitatem minantur.

TABULA XXXVI.

DE

CLAVIS PEDUM.

I. DEFINITIO.

Clavi ſunt excreſcentiæ *calloſæ*, in pedum digitis præcipue provenientes, & cum eximiis plerumque doloribus ſtipatæ, Germ. vocantur Hüner-Augen, Krähen-Augen.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Clavi pedum* licet cum *verrucis* arctam habeant affinitatem, & a nonnullis plane confundantur, differunt tamen ſequente ratione.

1) *Verrucæ* in ſuperficie radicatæ ſunt, *clavi* autem profundas habent radices. Nam non ſolum tendines muſculorum, qui digito movent, ſed & plane *perioſteum* una vel pluribus radicibus penetrant.

2. *Verrucæ* tolerabiliores ſunt, quam *clavi pedum*, qui ſenſibiliſſimo interdum dolores & gravia ſymptomata adferunt.

3) *Ver*

3) *Verrucæ* texturam *fibrosam*, *clavi* autem *callosam* exhibent.

2. Profunda *clavorum* radicatio distinguit illos a simplice *callo*. Hujus enim subjectum *sola cutis* est; præterea *callus* expers dolorum reperitur.

3. Occurrunt nonnunquam *clavi* in digitis *manuum*, sed rarissime.

4. *Clavi* nomen a similitudine, quam cum capitulo clavi habet, desumptum videtur; quemadmodum germ. Hüner-Augen a tali similitudine originem traxisse verosimile est.

III. *CAUSÆ.*

1. *Clavi pedum*, uti per vulgus notum est, dependent plerumque a diuturna *compressione* per angustos calceos.

2. Quæ vero subsit ratio, quod ordinarie in *pedibus* compressis exoriantur, in *manibus* autem, licet hæ æque fortiter & diuturne ab opificibus sæpe premantur, simplex tantum *callus*, rarius autem *clavus* proveniat, me quidem fugit.

3. Sic etiam dubia semper manet causa, cur *verrucæ*, quæ cum *clavis* multum cognationis habent, ordinarie *manus & faciem*, non æque autem *pedes* infestent.

IV. *PROGNOSIS.*

1. *Clavi pedum*, sibi relicti, plus molestiæ quam periculi alunt.

2. Quando autem vel per immodestam *exscissionem*, vel per *cauteria actualia* & *potentialia* ruditer tanguntur, affectus spastici, qui arthritidem tandem inducunt, exoriuntur.

3. Nonnunquam inflammatio & vera corruptio per talia irritantia producitur.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Curatio in eo consistit, ut clavi successive *emolliantur*, & deinde cum radicibus *extrahantur*.

2. *Emollitio* obtinetur

1) Per *pediluvia*, multis diebus repetita.

2) Per *pinguia* & *oleosa*, e. g. axungias, lardum, ceram flavam vel viridem, sebum, terebinth. ol. lil. alb. altheæ, calide imposita.

3. *Extractio.*

1) Hæc, si clavi non solum circa ambitum sed & radicem sufficienter emolliti fuerint, *sponte* sæpius contingit.

2) Vel *digitis*.

3) Vel commodo quodam *instrumento* sine dolore obtinetur.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Improvida clavorum *exſciſſio* quæ gravia mala inducat, ſub *prognoſi* jam dictum eſt. Idem valet de *cauterio* tam *actuali* quam *potentiali*. Unde cavendum, ne qualibuscunque blandis præfigurationibus in hunc errorem deducamur.
2. Clavus quando *intra* digitos ſubſidet, præ aliis remediis applicatio vel *lardi*, vel *omenti porci*, recenter mactati, laudatur. Conducit etiam ſubſtantia illa ſebacea axungiata, quam germanice Schmeer appellamus. Hæc quotidie ſemel vel bis calide imponantur.
3. Laudant alii ad clavos *ceratum* de *galbano* & *ammoniaco*.
4. Clavi, qui *articulationibus* digitorum inhærent, præ aliis blandam expoſcunt tractationem. Applicatur autem commode per octiduum circiter flava vel viridis *cera* ſive ſola, ſive cum pauxillo *ſebi* & *terebinthinæ* remixta. Sic clavi ſufficienter emolliuntur, & deinde facile auferuntur.
5. Quando autem clavi nimis profunde hærent, tunc modo dictæ miſcelæ momentum de *viridi æris* miſcendum eſt. Sed poſt tres dies ſepticum hoc iterum removeatur, & ſimplex cera applicetur.
6. Denique quovis reſpectu neceſſarium eſt, ut illi, qui clavis pedum vexantur, calceos ſatis amplos geſtent.
7. De *unguium vitiis* hoc loco pauca adjiciemus.
   1) Senſibiliſſimæ ſubinde moleſtiæ, imo nonnunquam pericula proveniunt, quando temerariis ſectionibus tractantur.
   2) Valet hic eadem *emollitio* præcipue cum cera, arctiſſime appoſita.
   3) Pars affecta aquæ paululum immergitur, & deinde iterum abstergitur.
   4) Interea *cera* colliquatur, & quando mox in concretionem iterum abire videtur, pars affecta illi immittitur.
   5) Contingit interdum, ut in digitis pedum majoribus ungues carnem adjacentem offendant, in quo caſu, præmiſſis pediluviis, dextra unguium inciſio locum habet.

TABULA XXXVII.

DE

NÆVIS MATERNIS.

I. *DEFINITIO.*

Nævi materni sunt structuræ erroneæ & irregulares, infantibus in utero materno adhuc detentis contingentes, & a falsa quadam matris imaginatione atque æstimatione originem ducentes. Germ. Mutter-Mähler.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Nævi materni exhibent
   1) Vel *maculas* tantum superficiales, easque
      a) Modo *floridas*, rubicundas, & quasi igneas, quas Feuer-Mähler vocant.
      b) Modo *lividas*.
      c) Modo *nigricantes*.
   2) Vel veras *excrescentias* & *protuberantias*, easque
      a) Modo in partibus *carnosis*.
      b) Modo in partibus *glandulosis*.
      c) Modo in partibus *membranaceo-tendinoso-nervosis*.
2. Et sic nævi materni indolem habent jam *sarcomatum*, jam *strumarum*, jam *fungorum*, jam *verrucarum*, & ex hisce considerationibus ultimum ipsis locum inter excrescentias adsignamus.

II. *CAUSÆ.*

1. Si quidquam aliud, certe negotium nævorum maternorum probat animæ in corpus dominium. Nam hic nihil *physici*, sed unice *mentis fictio* infanti, ut loquuntur, *imprimitur*.
2. Hæc impressio tantæ est efficaciæ, ut
   1) Structuram justam & penitus jam formatam operose iterum dissolvat.
   2) Novam peculiarem texturam de puncto ad punctum complicet.
3. Non minus hanc rem illustrat *repetita* erroneæ structuræ *dissolutio* & in meliorem naturalem reductio, quæ sæpe contingit, quando animæ,

in textura irregulari occupatæ, quocunque modo & quibuscunque remediis terror injicitur, e. g. per contactum *manus mortuæ*.

4. Ex hiſce conſiderationibus nævi materni ſequente ratione contingunt.
   1) Anima embryonis ſub directione animæ maternæ corpus ſuum ſtruit.
   2) Animæ maternæ fictiones & falſæ æſtimationes cum anima embryonis communicantur, & ab hac tanquam res ad corpus pertinentes conſiderantur & in actum deducuntur, e. g.
   3) Quando anima materna ingente cupiditate in *ceraſa* fertur, hæc autem ob temporis rationem non poſſunt obtineri, idea illa, quando cum vehemente deſiderio diu fovetur, cum anima embryonis communicatur.
   4) Hæc arripit novam ideam, & tanquam genuinam æſtimat; quoniam autem neſcit, ad quem corporis locum illa pertineat, ſumma attentione motus maternos obſervat, & in illa regione *ceraſum* apponit, quam mater in corpore proprio tactu aliquo quaſi deſignat.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Nævi materni curantur quidem non ita raro, expoſcunt autem blandam tractationem.
2. Hæ enim excreſcentiæ, quia cum ſpeciali naturæ intentione & æſtimatione textæ, & præter ea nervis ac vaſis ſanguiferis præditæ ſunt, admodum ſenſibiles obſervantur.
3. Hinc quando immodeſte tractantur, facile accedunt inflammationes, gangræna & ſphacelus, vel, pro loci & partium conditione, ſpaſtici atque convulſivi affectus.
4. Quo recentiores hi nævi ſunt, & quo ſenſibilius ſubjectum eſt, eo facilius remedia, quæ applicantur, auxilium præſtant.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Fundamentum commodæ exſtirpationis conſiſtit in eo, ut natura repentino veluti terrore in hoc loco attonita reddatur, & ſtructuram ſuam erroneam iterum deſtruat.
2. Vnde ex *inſtrumentalibus operationibus*, quando locum habent, illæ optimæ cenſentur, quæ *repentinæ* & *præcipites* ſunt.
3. *Remedia* autem, huic ſcopo ſatis facientia, *magnetica* quaſi, ſeu *idealia* & *archæalia*, ut loquuntur, eſſe debent, qualia ſunt

1) Fri

1) Frictio cum *lapide tonitruali*.
2) Frictio cum *ligno fulmine* tacto.
3) Contactus *manus mortuæ*.
4) Frictio cum *secundina* adhuc recente & calente.
5) Denique variæ frictiones cum talibus rebus, quæ deinde ad *putredinem* subeundam reponuntur.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Licet nævi materni in progressione annorum interdum auferantur, certius tamen & securius illis occurritur primis a nativitate diebus & mensibus, ubi exigui & in incremento adhuc constituti sunt. Hoc enim tempore natura vigilantior & sensibilior est, & hinc facilius a talibus quasi tumoribus percellitur.
2. Texturæ hæ extraordinariæ & intenso plane studio contextæ, si majusculæ & multis nervis præditæ sint, atque durius tractentur, admodum sensibiles observantur, ita ut a paulo profundiore læsione repentinæ *inflammationes* oriantur; quæ longe promtius, quam aliæ multo diffusiores, in *gangrænam* & *sphacelum* prolabuntur.
3. Unde hos ipsos paulo capaces nævos vel non tangere præstat, vel repentinis & generosis instrumentalibus operationibus aggredi; quo casu dextræ *sectiones* præ aliis quibuscunque longinquis operationibus operæ pretium faciunt.
4. *Corrosiones*, uti & *maturatoriæ* medicationes gravibus inflammationibus, vel spasmodicis & convulsivis symptomatibus, imo virium dejectionibus, mentis vacillationibus & febrilibus anomaliis ansam præbent.
5. Frictiones cum *secundinis*, sanguine *lochiali*, *manu mortua* repeti debent. Requirunt utplurimum obstetrices secundinas & lochia *primiparæ*, & quidem *marem* parientis; sed, num hoc sit necessarium, experientia nondum detectum est.
6. Præterea *sexus* convenientiam desiderant, sanguinem prius non removent, quam exsiccatus sit, & per novem dies illius applicationem continuant.
7. Commendatio *lapidis tonitrualis* & ligni *fulmine* tacti vera experientia nondum confirmata est.
8. Laudant nonnulli speciali commendatione *sanguinem* piscis *barbi*, item

item rorem maialem; quæ omnia ulteriori experientiæ relinquuntur.

9. Quando nævus intimam cum reliquo corpore non habet connexionem, commodiſſime per *ligaturam* filo ſericeo vel pilo equino exſtirpatur. Encheireſes hujus operationis ſuperius jam deteximus. *Affluxus* humorum per diſcutientia camphorata, peripheriæ applicata, arcetur.

TABVLA XXXVIII.

DE CONTRACTVRA ET ARIDVRA.

I. DIFFERENTIA.

1. Abſolvimus hucusque tales affectus, in quibus fere omnibus nimia *relaxatio* & *extenſio* partium contingit. Reſtat, ut de nimia *conſtrictione* partium fibroſarum, qualitercunque mollium, pauca adjiciamus.

2. Occurrit alterum hoc extremum in *contractura* & *aridura*; qui duo affectus non differunt, niſi ut *antecedens* & *conſequens*.

3. Nam *contractura* eſt inſignis & fixa in partibus muſculoſo-tendinoſis & ligamentoſis conſtrictio, qua pori coarctantur, vaſa comprimuntur, ſufficiens humorum ad illam partem aditus intercipitur, & hinc debitum illius nutrimentum imminuitur. Vnde *aridura*, quam *tabem partialem*, german. das Schwinden der Glieder vocant, ſuccedit.

4. *Contractura* eſt

1) Vel *totalis*, quæ omnem corporis motum voluntarium tollit, ita ut portari ab aliis neceſſe habeant ægroti.

2) Vel *partialis*, quæ modo integros artus e. g. brachium, pedem, modo certas & ſingulares partes in hisce artubus, v. g. manus, digitos, infeſtat, in reliquis autem partibus motui voluntario detrimentum non affert.

II. *CAUSÆ.*

1. Cauſam *continentem* contracturarum ſub *differentia* num 3. indicavimus. Vulgaris pathologia accuſat modo ſimplicem obſtructionem, modo turbationem influxus ſpirituum vitalium.

2. Cauſæ *antecedentes* & *occaſionales*, quæ hoc motus tonici vitium introducunt, ſunt multæ, e. g.

1) Perverſa tractatio *læſionum externarum*, vulnerum, contuſionum, fluxus ſynoviæ, fracturarum, luxationum.

2) Perverſa tractatio *exanthematum*, e. g. ſcabiei, variolarum, cruſtæ lacteæ.

3) Perverſa tractatio plethoræ, hæmorrhagiarum & affectuum *rheumatico-arthritico-ſpaſticorum.*

4) Motus *convulſivi* obſirmati.

5) Motus *voluntarius* diu omiſſus, e. g. quando in diuturna captivitate homines ob loci conditionem non poſſunt ſtare, multo minus ambulare, ſed continuo ſuccumbere tenentur.

6) *Venenum* aſſumtum.

7) *Faſcinatio*, teſtantibus ſubinde triſtibus hiſtoriis, a vitio nimiæ credulitatis liberis.

8) *Rhachitis.*

III. *PROGNOSIS.*

1. Motus exacerbati, quemadmodum in aliis morbis rebelles ſæpius obſervantur, ita etiam in hisce affectibus ſatis pertinaciter ſe gerunt, & inſuper œconomiam vitalem notabiliter turbant.

2. Quo maturius congruis remediis occurritur, eo certior ſpes eſt reſtitutionis.

3. Contractura autem, quæ *diutius* duravit, vel per *hæreditatem* inducta eſt, plures in curatione difficultates involvit.

4. Interea tamen docet experientia, quod interdum tales obſirmatæ contracturæ per efficacia remedia, & ſpeciatim per fontes ſalubres, feliciter ſolvantur; teſtantibus machinis illis, german. die Krücken, quas poſt reſtitutionem in illis locis domibus affixerunt.

METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.

Contracturæ & *ariduræ* eadem quidem methodo tractantur, in contracturis autem interna medicamina magis quam in *ariduris* neceſſaria ſunt. Contra in *ariduris* externa totum fere negotium abſolvunt. Conveniunt autem

1. *Interne*
   1) *Laxantia* per epicraſin.
   2) *Venæſectio*, quæ in cauſis hæmorrhagiarum ſuppreſſarum & affe
   ctuum ſpaſtico-arthriticorum tam utilis eſt, ut etiam pro re na
   ta in progreſſione curationis audacter repeti poſſit; quidquid al
   contradicant.
   3) Vſus *thermarum* & *acidularum*, cum debita circumſpectione ad
   miſſus.
   4) Curationem, quæ lacte fit, nonnulli ſcopo emolliente & relaxant
   deprædicant.
   5) *Excretionum* ordinariarum blanda promotio, &, præſentibu
   ſpaſmis, *nitroſorum* & *cinnabarinorum* uſus.
2. *Externe* proſunt *emollientia* cum *nervinis temperatis* combinata
   e. g.
   1) *Thermæ* temperatæ, vel balnea arte parata.
   2) *Fomenta*.
   3) Liquamen *lumbricorum* terreſtrium.
   4) *Olea deſtillata* cum lenientibus diſtemperata.
   5) *Inunctiones* tepidæ pinguedinis cujuscunque, e. g. hominis, ce
   vi, cati ſylveſtris cum blanda & diuturna frictione.
   6) Vnguentum de *cane*, ut volunt, *rubro*, cujus variæ deſcription
   apud *Alexium Pedemontanum* occurrunt in ſeinem Kunſt-Buc
   nützlicher Secreten. *Conf. cautelæ.*
   7) Subſtituunt nonnulli, præcipue in aridura incipiente, *canes*, t
   vos diſſectos, quibus adhuc calidis partes laborantes diu foven
   8) *Attrahentia*, quæ præmitti debent, quando ſenſatio fatiſcit. H
   ſpectant
      a) *Rubefacientia*, e. g. euphorbium, radix pyrethri.
      b) *Urticatio*, ſpeciatim per urticas recentes urentes.
      c) *Veſicatoria* per cantharides & alios ſcarabæos, uti & per o
      empyrevmatica.
      d) *Cucurbitulæ cæcæ*. De his omnibus videantur *cautelæ*.
   9) Actuales *extenſiones* membri affecti cum artificioſis machinis. Co
   Hildanus obſervat. chirurg. cent. 1. obſ. 83; quo ſpectat congruus ſ
   partis laborantis per rigorem veſtimentorum, ocrearum &c. V
   Scultetus & Fabricius ab Aquapendente.

V. CA

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In contracturis cavendum eſt à remediis internis *calidis* & *volatilibus*, inducunt enim *ariduram*.
2. Item ab externis *acrioribus* & *corroſivis*. *Adſtringentia* utrinque nocent. Hinc abſurdum eſt, emplaſtris vel epithematibus illa hoc loco miſcere.
3. Improbantur *balnea e ſulphure*, *marte*, *venere*, parata.
4. De *unguento canis rubri* ſpecialis quædam deſcriptio in A. N. C. allegatur, quæ uſum fecerit tam in *ariduris*, quam rhevmatico-arthritico-ſpaſticis doloribus.
5. Omnia autem in hoc fundamento conveniunt.
   1) Catuli canini & ruffi, lautiſſime lacte materno nutriti, exemtis inteſtinis & ablata cute, debent infarciri *ſpeciebus nervinis* temperatis.
   2) Deinde *lumbricis* terreſtribus interpunguntur, ſie werden geſpicket.
   3) Poſtea leniſſimo clibani piſtorii æſtu in vaſe bene clauſo aſſantur, & pinguedo inde manans pro uſu ſervatur.
6. De omnibus ſic dictis *attrahentibus* bene notandum eſt, quod *moderatio* in ipſorum uſu adhibenda ſit. Nimius enim uſus cuti inflammationem eryſipelaceam inducit, ſubſtratas autem carnoſas partes parum vel nihil alterat.
7. Denique notandum venit, quod & ipſa *emollientia*, ſi nimium adhibeantur, non proficua ſint. Unde *nervina* temperata debent eſſe conjuncta.
8. Paucis: uti in nimiis *relaxationibus* & *extenſionibus* conveniunt *nervino-exſiccantia* & *adſtringentia* cum ipſis *inſtrumentalibus* ſubſidiis (Conf. Scultet. armamentar. chirurg. tab. XXVIII. figur. I. item tabula V.) ita in nimiis partium *conſtrictionibus* proſunt *humectantia*, moderatis *confortantibus* combinata.
9. Speculationes de *ligatura* in ſuperna parte laxa, & in parte affecta ſtrictiore, pagina 47. rejecimus.

TABVLA XXXIX.

DE

ULCERIBUS GENERATIM.

I. DEFINITIO.

Ulcus est solutio continui in partibus, a sinceri sanguinis commercio alienis, glandulosis nempe, membranosis, tendinosis & osseis, a corruptione humorum seroso-lymphalium & enata hinc partium adjacentium solidarum colliquescente dissolutione originem ducens, atque materiam ichorosam, sanioſam, limpido-acrem excernens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Ulcus* quomodo ab *apostemate* seu *abscessu* differat, & hoc in illud perversa tractatione deduci possit, tabula medica de *phthisi* satis indicatum est.

2. *Ulcera variis modis differunt:*

1) Alia enim sunt recentia & benigna: alia chronica & cacoëthea, cancrosa:

2) Alia sunt externa superficialia, alia interna profunda, fistulosa:

3) Alia sunt simplicia, alia composita, seu quæ speciali inquinatione plus minus contagiosa, depravata, vel etiam solidescente quadam ataxia texturæ (circa ipsum ulcus vel foveam erosam) affecta sunt. Huc pertinent ulcera scorbutica, venerea, callosa.

3. De simplicioribus hac tabula, de reliquis sequentibus agemus.

III. *SIGNA.*

1. Obtingit ulcus stricte dictum in partibus exsanguibus seroso-lymphatis humoris transfluxui maxime dicatis.

2. Ante omnia ulcerationi subjectæ sunt partes cutaneæ & membranaceæ, tendinosæ & ligamentosæ, tandem glandulosæ.

3. Per accidens transeunt etiam in constitutionem ulcerosam partes cutaneo-musculosæ. *Vid. causæ.*

4. Fundunt materiam non purulentam, sed ichorosam, sanioſam, salso acrem, putridam.

5.

5. In ulceribus inveteratis non tantum viſcoſa humorum depravatio adeſt, ſed ipſæ fibrillæ, ſubtus corroſæ & colliquefactæ, circa ſuas extremitates, ubi vivæ portioni adhuc adhærent, flaccidæ, enervatæ & ſemi colliquatæ ſunt.
6. Quo magis ſimplicia & benigna adhuc ſunt ulcera, licet diuturna, eo minus fœtorem ſpargunt, *qualificata* autem, præcipue *venerea*, putrido plane fœtore ſeſe manifeſtant.

IV. *CAVSÆ.*

1. Cauſa *remota* eſt cacochymica humorum lymphatico-ſeroſorum conſtitutio, quam plethoricus ſtatus non raro parturit vel ſuſtentat.
2. Cauſa *proxima* eſt ſtaſis humorum lymphatico-ſeroſorum. Vnde ſucceſſiva fermenteſcens ſalino-acris, orificia multorum meatuum atque tubulorum aperiens, diſſolutio & corruptio exoritur, & quidem cum ſequente differentia.
   1) Quo plures partes *ſeroſas* continet ſtaſis, eo *ſimpliciter ſalſæ* indolis fit talis ulceroſa corruptio. Talia ulcera ſuperficietenus tantum arrodunt, in cute maxime membranoſas & tendinoſas partes occupant, temperamentis præcipue phlegmatico-melancholicis, parum de *ſulphurea* portione in ſanguine habentibus, familiaria ſunt.
   2) Quo plus *lymphalis* materiæ complectitur, eo *acrior* redditur corruptela. Facile etiam a lymphatico-mucida tali ſubſtantia ulcera calloſa, & durum limbum habentia, oriuntur.
   3) Quo plus *ſalivalis* materiæ ſtaſis admittit, eo acrior *fermenteſcens* fit corruptio.
3. Hæc de *ſimplice* ulceratione, citra ſpecifici alicujus fermenti concurſum eveniente, valent. Quo plus autem de *ſanguinis* miſcela ſtaſis participat, eo magis magisque acerrima fit ulceratio. Nam ſanguis ſalſam corruptelam potentiſſime exacuit. Et hoc diverſo iterum modo:
   1) Quando *tenerrimæ* flaveſcentes ſanguinis portiones & quidem *modica* admixtione ſtaſi implicantur, *acres* & *urentes* ulceroſæ corruptiones eveniunt.
   2) Quando *ſubrufa* ſanguinis pars eaque *auctior* miſcetur, *æſtuoſa* ardens, imo *colliquativa* & *erodens* corruptela emergit.

3) *Adhuc auctior* vero & *ſpiſſior* ſanguinis concurſus *putridas* & *acrius dolentes*, aut *ſtupidas* plane *cito* & *graviter* depaſcentes & in totum diffluentes infert corruptiones; quarum exemplar inſigne eſt in *cancro*.

4. *Abſceſſus ſuppuratorius* in ulceris conſtitutionem convertitur per inconvenientem & imperitam tractationem. e. g.

1) Quando *conſolidatio* vel per neglectam *mundificationem*, vel per *unguinoſa* remedia aut ſuperficiariam tantum conſtipationem impeditur, tunc ſalſuginoſam intemperiem concipiunt humores, a qua fibræ partis arroduntur.

2) Quamdiu hæ laciniæ fibrarum exeſæ ita perſtant, ut ad *vivam* carnem non abſumantur, nova legitima ſtructura non ſolum non habet locum, ſed læſio etiam in dies magis depravatur, & ſpaſmi moleſti conſtrictorii invitantur.

3) Supprimitur ita ſenſim vividus ſanguineo-rubellus affluxus, ad conſolidationem neceſſarius;

4) Unde pars in exitu pallet, & exitus non niſi ſeroſo-ſanioſus, pruriginoſo ardore moleſtus, locum habet. Chirurgi appellant verwahrloßte abgelauffene Schäden.

5) Quæ conſtitutio tandem in obfirmata ulcera tranſit. Chirurgi dicunt: alte Schäden.

5. Cauſæ *externæ*, quæ ad ulcera primam occaſionem ſuppeditare poſſunt, ſunt e. g. contuſiones, ambuſtiones, cauteria potentialia &c.

V. *PROGNOSIS.*

1. Quo magis *ſimplex* eſt *ulcus*, nondum adeo inveteratum, & materiam non plane aquoſam, neque nimium acrem excernit, eo facilius præcipue in junioribus & ſanis, conveniente uſu leniorum *ſepticorum*, & ſubjunctione debitorum *ſarcoticorum* conſolidatur.

2. Ulcus autem quando ſubjectum cacohymicum, hydropicum (vid Hipp. aphor. 8. ſect. VI.) ſcorbuticum & venereum occupat, ſaniem multam decolorem tenuem, putridam exhibet, ardorem moleſtiſſimum infert, in ſuperficie autem colorem pallidum lividum oſtendit facile inſoleſcit in longam durationem, & contumaciſſimum redditur.

3 Nullum ulcus feliciter curatur, niſi impuritatum ſufficiens & *æquali abſterſio* facta ſit; ſin ſecus pars affecta tumore facile œdematoſo in

per

peripheria infestatur, & sensim suffocatur, id est, vivido sanguinis affluxu, ad consolidationem necessario, privatur. Germani vocant einen erstickten Schaden. Quo casu & Chirurgi & ægroti patientia longo tempore exerceri potest.

4. Quo diutius ulceratio hæsit, & quo magis sanguinis accessus in ambitu ulceris cohibitus est, eo difficilius sequitur justa & naturalis consolidatio.

5. Hanc difficultatem præcipue auget perpetuus affluxus & transitus materiæ *aqueo-salinæ*. Nam hæc absumit corpuscula submucida, quæ membrum restaurare debent, & hac ratione restitutionem impedit. *Fonticuli* tanquam ulcuscula artificialia exemplum hujus rei exhibent præsentissimum. Hi enim, quamdiu in parte *exsangui* debita ligatura conservantur, per longum tempus levi sua fluxione durant. Quamprimum autem improvida deligatione musculo proxime posito admoventur, loco consueti *ichoris* statim pus fundere incipiunt, cum dolore inflammatorio, satis subinde sensibili. Unde præter voluntatem nostram facile consolidantur.

6. Generatim partes *seriferæ* ad novam accretionem & reparationem parum idoneæ sunt. Hinc si notabilis portio per ulceris corrosionem ablata est, spuria quasi consolidatio, tenui cuticula tecta, & partium ambientium tumore conspicua facile obtinetur.

7. Si *cito* exesa sit portio aliqua, & *cito* quoque restauretur, raro accedit textura naturalis, sed cicatricem texturæ densæ quidem, confusaneæ autem exhibet.

8. Ex illis *seriferis* partibus, quæ aliqualem restaurationem admittunt, est præcipue *cutis*, ita ut foramina satis grandia resarciantur, cum primis in junioribus.

9. *Glandularum* autem per ulcera erosiones non reparantur, sed unice obteguntur tenui quadam, sed tamen solida membrana. Ceterum præ aliis talia ulcera sunt rebellia.

10. Nervorum ulcerationes ob sensum exquisitissimum gravia symptomata facile inducunt.

11. Ulcus post consolidationem recrudescens *cariem* ossis vicini facit suspectam.

12. *Ulcus* recens *benignum*, nihil specialis malignitatis habens, nullius est considerationis. Quando autem diu durat, vulgaribus remediis ad consolidationem non facile perducitur. Et si recte etiam consoli-

detur, nihilo minus rebelle eſt, repullulat enim cum ardore, tumore, pruritu, & tamdiu ægrum angit, donec vel ſponte erumpat, vel arte aperiatur.

13. Quæ *ulcera ex apoſtemate* male tractato proveniunt, ſemper ſunt contumacia.

14. Ceterum eſt res conſideratu dignisſima, quod ulcera ſponte ſæpius exſiccentur, imo & conſolidentur, quando graves morbi in illis ſubjectis oboriuntur, præſagio interdum funeſto.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. *Ulcerum ſimplicium* curatio generatim non differt a *vulnerum* tractatione, quam infra exhibuimus. *Mundificatione* enim & *conſolidatione* præcipuum negotium abſolvitur.

2. *Mundificatio* non ſolum *externe*, verum etiam *interne* peragenda eſt, præcipue quando cacochymicus humorum ſtatus concurrit, & ulcera jam diu fluxerunt.

3. *Mundificatio externa* complectitur

1) Abſterſionem *craſſiorum* impuritatum ulceroſarum. Hanc præſtant convenientia acria, e. g. ſolutio *ſalis communis*, in quo caſu partes ſenſibiles non attingendæ ſunt. Item *vegetabilia acria*, e. g. pulv. rad. *ari*, *ariſtoloch. rotund. gentian.* ulceri inſperſus, & præcipue decoctum *tabaci*.

2) *Fibrillarum* in ſuperficie ulceris ſemi-corruptarum, flaccidarum, liveſcentium, in lacinias exeſarum ablationem. Hæc obtinetur per convenientia *ſeptica*, pro ſenſibilitatis ſubjectorum differentia ſeligenda. Videatur tabula de vulneribus *generatim* caut. 14, ubi remedia denominata ſunt, quibus addimus *erinacei* & *talpæ* cineres.

3) *Excreſcentiarum luxuriantium* & *fungoſarum* exſtirpationem. Hanc eadem *ſeptica* præſtant.

4) Abſterſionem *intimioris* inquinamenti, ut ulcus plenarie mundificetur

a) *Fermenteſcens* in ulcere inquinamentum ſeroſo lymphaticum infringunt & ſimul tonum partis reſtaurant *balſamica* temperatiſſima, e. g. *eſſent. balſam. Stahlii.* Modo obſervetur juſta proportio, pro diverſitate partium affectarum adornanda

da. *Conf. caut. 28. tab. de vulneribus generatim.* Præſtant etiam hanc mundificationem decocta vel ſucci acriorum vegetabilium, ſuperius nominatorum; inter quæ *tabacus* principatum tenet.

b) *Heteroclitum nimium* affluxum atque ſtaſin roborando & hinc diſcutiendo avertunt, *neceſſarium* autem *vividum* ſanguineo lymphaticum revocant eadem balſamica & digeſtiva e vitello ovorum, pauca terebinthina, myrrha & momento mellis parata; conjunctis in peripheria ulceris diſcutientibus camphoratis.

c) Materiam in poris ſtagnantem eadem reſolvunt & ſucceſſive in ulcus quaſi exprimunt.

4. *Mundificatio interna* peragitur

1) Evacuatione *craſſiorum* ſordium in *primis viis*, per lenia & repetita laxantia, ex *agarico*, *jalappa*, *mercurio dulci* &c. parata. Hac ratione ſimul affluxus nimius a parte affecta derivatur.

2) Correctione ſanguinis & lymphæ per *eſſent.* vel *decocta* e rad. pimp. alb. vincetox. helen. bardan. ari, petaſitid. cichor. ſarſaparill. ſcorzoner. tarax. chin. *herb.* ſcord. ſcabioſ. plantag. chærefol. morſus diaboli, geran. maj. ſophiæ chirurgorum (ſemen ejus ad conſolidationem facit) fumar. beccabung. thlaſp. &c. *lign.* ſaſſafr. quaiac. juniperi, fraxini, ſantali citrini. Acrimoniam ſeroſam corrigunt *abſorbentia*, *antimonialia fixa*, cum momento *flor. ſulphuris* e. g. rec. ocul. cancr. drach. ij. antimon. diaphoret. drach. j. flor. ſulphur. ſcr. j. M. d. in 10. part.

3) *Specifica* atque ſpontanea ulceris *ab intra* expurgatione per *Paracelſum* im Spittal-Büchlein commendata. Laudat ſaniculam, pyrolam, alchimillam. Sed evitetur nimius uſus, præcipue alchimillæ, quæ motum ſanguinis inteſtinum notabiliter auget.

5. *Conſolidatio* uti naturæ primario incumbit, ita promovetur eadem prorſus ratione, uti ſub methodo tabulæ de vulneribus generatim indicavimus.

B. *Methodus ſpecialis.*

I. *Interna.*

1) Sordes primarum viarum per blande quoddam & conveniens laxans eliminentur.

2) *Eſſen-*

2) *Essentia* quædam catarrhalis aliquoties per diem exhibeatur. e. g. *essent. alexiph. Stahlii*, *succin. lignorum*, vel *decoctum* ex iisdem & similibus ingredientibus paratum, interpositis duabus per diem dosibus pulveris, acrimoniam serosam corrigentis.

3) Aliquando *decoctum* e *sanicul. pyrol.* centaur. min. veronic. chærefol. heder. terrestr. millefol. alchimill. bellid. min. substituatur, & ita specifica ulceris ab intra expurgatio, secundum *Paracelsum* tentetur. Effectum autem multo notabiliorem observavimus, quando hisce herbis radices ari & pimpinellæ albæ adjecimus.

4) Præsente notabili plethora venæsectio conveniente loco medicationi huic internæ conjungatur.

2. *Externa.*

1) Ante omnia *fortior absterſio* perpetretur vel per *decoctum tabaci*; vel per *unguentum digestivum*, cum *radice ari* acuatum; vel per alia convenientia acria.

2) Deinde *fibrillæ* superficiales, semi corruptæ, si supersint, absumantur per temperata *septica*, & quo sensibilius est subjectum, eo lenius septicum probetur. Hac ratione absumantur etiam, si adsint, *luxuriantes excrescentiæ.*

3) Absterſa his remediis depravata ulceris superficie, & sepsi sufficienter peracta, *nutrimentum* ulcerosæ acris corruptionis, nempe latior circum ambiens stagnatio *sanguineo-serosa* subtrahatur, adhibito per paucos dies *unguento digestivo* e vitellis ovorum, pauca terebinthina, myrrha & momento mellis parato, ut vividus sanguinis & lymphæ affluxus, ad novam partis structuram necessarius, advocetur.

4) Postea ad ulteriorem & *intimiorem* ulcerosæ partis mundificationem subjungantur & ulceri immittantur balsamica temperata, sæpius nominata.

5) Toto hoc tempore absterſionis & mundificationis imponatur ulceri *emplastrum*, sive *de betonica*, sive *stypticum Crollii*, sive *stypticum Paracelsi.*

6) In ambitu autem applicentur discutientia & tonum roborantia. Quo nomine laudantur *emplastr. diachyl. cum gummatibus*, de *spermate ranar. camphorat. Norimberg. camphorat.*

7) Tan

7) Tandem poſt ſufficientem mundificationem *conſolidatio* reſpiciatur, & pro *cicatrice* inducenda adhibeantur, quæ tabula de vulneribus generatim ſunt commendata.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Perverſa ulcerum tractatio uti refractaria & contumacia mala inducit, ita neceſſarium putamus, præter ea, quæ ſub methodo dicta ſunt, fuſius hanc materiam illuſtrare & inculcare, ut vulgares circa hanc rem errores tanto magis præſcindantur. Licet enim Chirurgi doceantur, quod in ulceribus convenientia *abſtergentia* & *mundificantia*, in apoſtematibus duriorem *ambitum emollientia*, & in gravibus vulneribus *defenſiva* remedia præmittere debeant, præpoſtere tamen plurimi circa has res verſantur.

2. Satis quidem notum eſt Chirurgis peritis, quod irriti ſint omnes labores, conſolidandis ulceribus ante deſtinati, quam ſuperficies male conſtituta ſufficienter abſterſa, & pro re nata tolerabili *ſepſi* abſumta ſit, ita ut crudam ſubcruentam faciem ulcus exhibeat, daß der Schade einen friſchen Grund bekomme.

3. Non minus autem conſtat, quam periculoſa ſubinde artificia in hoc negotio exerceantur, maxime omnium, ſi pro more, hodie uſitatiſſimo, in ulcerationibus talibus refractariis *ſpecificas* cauſas fingant, & *ſpecificorum* remediorum neceſſitatem inde derivent, ad *mercurialia* confugiant, ulceri nondum mundificato, aut *æqualiter* non abſterſo, balſamica calidiora applicent, vel contra partis indolem *acriora ſeptica* adhibeant, iisque profundiorem arroſionem inducant.

4. Hinc maximopere obſervanda & legitime tractanda eſt depravata illa ſuperficies ulceris; ſive conſiſtat in lacera illa arroſione; ſive in ſuperficiali immatura textura, telæ aranearum inſtar, quæ, repulſa vividiore ſanguinis affuſione, perpetuam ſeroſæ humiditatis transſudationem adhuc admittit. Certe niſi tota hæc male texta ſuperficies ablata & mundificationi ſatisfactum ſit, vera conſolidatio locum non habet.

5. Exemplar hujus rei præbent ulcera illa ſuperficialia, quæ in anteriore parte *tibiarum*, vel juxta articulationes, a prævis contuſionibus & inflammationibus ſubnaſcuntur. Hæc quando uſitatiſſimis chirurgicis formulis, nempe incommodis unguentis aut emplaſtris tractantur, facile ita inſoleſcunt, ut per plures annos, tanquam incoërcibi-

les ulcerosæ repullulationes durent; superficies semper decolor, pallida, livida, aliquando etiam nigrescens, a consolidatione firma aliena.

6. Quando autem ulcera talia *impetu* quodam coërcentur, tunc vel *caries* ossium inducitur, vel, præcipue *phlegmonodea* illa, latius se extendunt, & ulcerationes *simplices* in *sinuosas* & *cavernosas* deducunt.

7. Porro: si post varia inania tentamina jam manationem resiccandi jam sanationem balsamicis introducendi, jam nigram superficiem acrius abstergendi &c. observent tales artifices, quod manatio ichorosa non imminuta, sed aucta & magis refractaria facta sit, tunc indolem scorbuticam vel salsam fabulantur, es sey ein so gesalzener Fluß darzugeschlagen.

8. Unde ulterius progrediuntur, & jam *acribus*, jam *subadstringentibus* (quæ *siccantia* ab illis censentur) emplasticis, jam *mercurialibus* ulcus exagitant, unde inflammatur magis, exulcerationes, affluxus & tumor augentur, erumpunt pluribus foraminulis jam *cohærentes*, jam *sigillares* plures ulcerationes, es fallen Löcher hinein, & *caries* ossium familiariter sequitur, quæ novæ gloriationi materiam suppeditat, daß sie schon so viele Beinlein aus dem schlimmen Schaden heraus genommen hätten.

9. Ita in deterius deducitur ulcus, quod, dum recens fuit, exiguo tempore, labore & pretio paucorum grossorum, quantum ad *chirurgicam* pharmaciam attinet, feliciter restaurari potuisset. Si enim *leniss ima sepsi* auferatur depravata illa superficies, & nutrimentum illud acris ulcerosæ corruptionis, nempe circum ambiens stagnatio latior sanguineo-serosa, subtrahatur, tunc consolidatio vel sponte succedit, vel obsequitur tamen leniss imis balsamicis.

10. Spontanea talis & avtocratica consolidatio eluceſcit in *fonticulis*, quando e debita sua sede per minus dextram deligationem transferuntur, nempe e partibus exsanguibus ad musculosas. Nam quam diu in *exsangui* parte hærent, nullus est metus promptæ consolidationis, quando autem in *carnosas* partes transferuntur, ubi sanguis accessum habet, pervicaciter coalescunt. *Conf. prognosis.*

11. Plurimum refert, ut mundificatio superficiei fiat *æqualiter*. Quando enim ex una parte mundificatum, ex altera autem adhuc impurum est ulcus, sequitur sub usu balsamicorum in parte *mundificata* mol-

mollis, laxa, immatura textura, non immerito *caro luxurians*, wild Fleiſch dicta, quæ in carnoſis partibus *ſpongioſa*, in exſanguibus autem *fungoſa* apparet.

12. In *carnoſis* luxuriantibus excreſcentiis diligenter monendi ſunt Chirurgi, ne vel *acribus cathæreticis* totum affectum exacerbent, vel, dum his ſtudent, *æqualem* mundificationem totius ſuperficiei ulceris negligendo, nihil certius, quam abſumtæ portionis repullulationem experiantur, aut firmioribus compreſſionibus totam partem ſuffocent, aut diutius neglecta exſtirpatione graves hæmorrhagias exſpectare debeant. *Conf. tab. de carne luxuriante.*

13. Quantum fieri poteſt in ulcere colluvies *humida* prius abſtergatur, & deinde *ſolidarum* partium ſemi corruptæ fibrillæ per congrua ſeptica abſumantur. Utramque vero mundificationem ſimul agere non ſemper conſentaneum eſt.

14. Ut itaque univerſum negotium paucis complectamur, dicimus:

1) *Affluxui* tam *nimio*, quam præcipue *heteroclito*, in ſimplice ulceratione mox reſiſtatur; caveatur autem quam maxime, ne *legitimus* aditus *floridi* ſanguinis, ad conſolidationem ſimpliciter neceſſarius, penitus excludatur. Nam nullum ulcus conſolidatur, niſi vividum hunc influxum impetraverit.

2) *Superficies* ulceris interna ita munda ſubcruenta & vivida exiſtat, ut non ſolum ab impuritate *ſaniei*, ſed & a reliquiis ſubſtantiæ ſolidæ, nempe *fibrillis* in lacinias ſubtiles inæquales eroſis, liberetur, & quidem per *fortiorem* abſterſionem, ſeu ſepſin proportionatam, non autem violentam.

3) His duobus ſcopis quando ſatisfactum eſt, remedia vere balſamica locum habent, ut *conſolidatio* obtineatur, & pars robur ſuum debitum recuperet, atque affluxui decenter reſiſtere poſſit; id quod præcipue in diuturnis & affluxum aſſuefactum retinentibus ulceribus, minus autem in recentioribus, niſi æger ſit cacochymicus vel plethoricus, neceſſarium eſt. Varia autem *traumatica* adhibere, operæ pretium non reſarcit.

15. Conſideratu dignisſimum eſt, quod loca illa, quæ ulceribus manantibus diutius expoſita fuerunt, novæ confluxioni facile iterum expoſita ſint, ita ut, quidquid poſtea in univerſo corpore commotionem ſubit, ad locum ita affectum facile compellatur. Et licet conſolida-

rio decenter obtineatur, manet tamen inclinatio ad hunc locum iterum compellendi qualescunque peccantes & exonerationi destinatos humores; Unde non solum variæ molestæ congestiones, stagnationes; inflationes (rheumatismi vulgo dicti) circa talem partem formantur, præcipue sub mutatione tempestatis, daß solche Leute einen lebendigen Calender an sich tragen, sed & nova ulceratio aut heteroclita abscesso in illo loco facile exoritur.

16. In talibus circumstantiis convenit curationem præservatoriam instituere, & affluxum humorum a loco affecto per repetitas congruas venæsectiones, scarificationes, laxationes, sudores derivare. Peritis enim notum est, quam rebellia sint ulcera talia, quæ diuturna mora & frequente recidiva in habitum firmata sunt, præcipue in corpore cacochymico.

17. *Alvus* in ulceribus latius patentibus semper succedat, abstinendum tamen est a purgantibus fortioribus.

18. *Septica* remedia *mitiora* sunt *saccharum*, item omnia *vegetabilia*, quæ vomitum excitant, præcipue *tabacus*.

19. *Majorem* efficaciam habent *olea* e vegetabilibus destillata, inprimis amara, acria, empyreumatica, e quibus *oleum laterinum*, vulgo *philosophicum* dictum, reliquis facem præfert, & satis temperatum est.

20. *Potentius* agunt e *venere* parata, e. g.

1) *Vitriolum veneris*, quod non solum insigni pollet efficacia *caustica*, sed & *adstringendi* vim habet atque sensum nimium efficit; quo nomine non satis tutum est.

2) *Viride æris* ingreditur *unguentum Ægyptiacum*, quod non facile usurpatur, nisi ad subitaneas instituendas abrasiones, vnde in *sphacelo* in usum trahitur. Ad leniores autem ulcerationes abunde sufficit *unguentum Apostolorum*, in quo quidem etiam *viride æris* continetur, lenius tamen est, quam Ægyptiacum.

3) *Pulvis purpurascens* e vididi æris, leviter ustulato paratus, item *æs ustum*, quod etiam e viridi æris paratur, frequentis usus sunt.

4) Tandem *cinis veneris*. *Conferantur cautelæ 14- 18. tab. de vulneribus generatim.*

21. *Mer-*

21. *Mercurialia* non tuto adhibentur, ulcus enim in tabum quasi diffluere faciunt. In graviore autem malo, ubi mitiora non sufficiunt, inprimis in pertinaci ulceratione *venerea*, efficaciam habent insignem.

1) *Mercurius præcipitatus ruber* præ aliis mercurialibus corrosivis mitissimus est.

2) Paulo vehementius deprehenditur *arcanum corallinum*, spiritus minerales concentratos continens.

3) *Turpethum minerale* omnium vehementissimum est.

4) *Mercurius sublimatus* visibiliter corrodit, & sæpe auctor est motuum spasticorum convulsivorum, vel aliud extremum, flaccidiatem nempe & tumorem œdematosum, inducit. Præstat itaque viam securam eligere, quam cum temerariis nonnunquam tolerabiliter sub ejus usu emergere.

5) Segnior est *mercurius dulcis*, & reliquis præferri meretur.

22. *Crocus metallorum Rulandi*, ex antimonio paratus, est quidem lenius septicum, cum cautela tamen adhibendus.

23. *Arsenicum*, quomodocunque correctum fugiatur.

24. Verbo: *Cathæreticorum* abusus est methodus ad affectum dolose exasperandum, & sanitatem penitus labefactandam. Ægri dicunt: Der Schade ist lange ruhig gewesen, nun aber ist er durch die neue Beitzung wieder recht aufrührisch worden.

25. *Consolidantia* variant pro diversitate partium affectarum. Carnosarum partium dissolutiones restaurantur commodissime myrrha, exsanguium autem partium læsiones consolidantur *balsamis peregrinis*, nempe balsam. Peruvian. Copaiv. Item *oleis temperatis*, e. g. ol. ceræ, ol. vitell.ovor. quæ ulcerationes egregie demulcent. Item *essentia succini*, quæ etiam in *ossearum* partium corruptione, post mundificationem, efficax est. vid. *caut. 47.*

26. *Magna* anomalia exoritur, quando ulceribus, copioso affluxu affectis, accedit *tumor œdematosus*; *major*, si portio circumstagnans per incongruam deligationem vel medicationem ita comprimitur, ut sufficiens humorum aditus, ad absterfionem necessarius, excludatur, daß der Schade ersticket; *maxima*, quando per immodicas refrigerationes vel per *saturnina adstringentia* spissa coagulatio humori ita stagnanti inducitur, ut scirrhosa tumorum ulcerosorum induratio enascatur.

27. Exoritur autem facile tumor ille œdematosus, si inflammatio phlegmonodes, ulceri juncta, *puris camphoratis* tractetur. Hæc enim solam *sanguineam* portionem discutiunt, *serosam* autem relinquunt.

28. *Consolidatio* procrastinatur per talia *emplastra*, quæ muciditate sua fibras emolliunt. Hinc vulgus in ulceribus superficialibus non facile ad emplastra confugit, sed leniter adstringentia vel nudum linteum imponit.

29. Spectat huc observatio *Paracelsi*, qui in ulceribus superficialibus commendat *calcinata* sua *martialia*, & similium imperfectorum metallorum pulveres siccatos, e. g. *lap. calam. cobalt. cadm. pomphol. nihil. crac. mart. adstring.* Unde siccescit ulcus & format escharam, sub qua consolidatio succedit, & deinde crusta decidit. Confer. *caut. 44.*

30. *Roboratio partis* non minimum est fundamentum constantis consolidationis. Hæc enim nimium humorum affluxum, novam accretionem impedientem, optime discutit. Quando autem tonus circum circa non restituitur, sed deligatione per *fascias* longas affluxus tantum & tam diu *intercipitur*, donec per balsamica ulcus consolidatum est, tunc omnia in deterius ruunt, quamprimum repagula illa removentur.

31. Non absurdum est quando *aqua salsa* ulcus eluunt.

32. Ejusdem energiæ est *mel*, quod efficaciam resolventem exserit per consistentiam suam semisaponariam salino-pinguem.

33. Talis indolis est *sapo* ipse, qui tamen ob acredinem suam paulo majorem non ubilibet usurpandus.

34. *Vitellus ovorum* commodissime sese insinuat mucilaginibus, resolvit, abstergit & aufert.

35. *Radix ari* nullum quidem adeo nomen habet inter Chirurgos, ab *empiricis* autem optimo cum successu usurpatur. Subtilis penetrantia hujus radicis docet, quod effectum habeat partim materiam colliquantem, partim tonum roborantem. Dicitur, quod *vetula* quædam, veneficii suspecta & ad inquisitionem perducta, confessa sit, se cum *radice ari* ulcera antiqua, in quibus curandis mira præstitit, tractasse.

36. *Tabacus* tam in succo, quam exsiccatus in decocto efficaciam suam abstergentem optime manifestat.

37. *Un-*

37. *Unguentum fuſcum Felicis Wurtzii*, ſatis famoſum, poſſidet efficaciam ſuam ſepticam ab ærugine in melle cocta; reliqua additamenta nullius ſunt valoris. Mediæ efficaciæ eſt inter unguentum *Ægyptiacum* & *Apoſtolorum*, quod leniſſimum eſt.

38. *Erinaceus uſtus* & *talpa uſta* ſatis efficaciter reſolvunt erroneas texturas & fungos, ad inſignem luxuriam vergentes.

39. Quando de *eſſentia hyperici* aliquid balſamicæ eſſentiæ adjicere placet, plus non addatur, quam ad tincturam rubicundam ſufficit, fortius enim adſtringit.

40. Cavetur in ulceribus *humiditas*, quæ partes roborandas magis relaxat. Si autem remedia humidis formulis applicare animo ſit, imbuantur *ſpirituoſis*; quo nomine *vinum* aromaticum ſuam efficaciam bene exſerit.

41. *Salia volatilia* activitate ſua nimia transſcendunt facile limites ſucceſſivæ repreſſionis. Hinc pro ſcopo roborante & discutiente minus commode adhibentur.

42. *Deligatio* utrum in calore an frigore inſtituenda ſit, eſt quæſtio exigui momenti, balſamica enim omnia reſtituunt. Interea non negligendus eſt, ſi fieri poteſt, blandus calor, quia unanimi conſenſu a Chirurgis commendatur.

43. *Emplaſtrum diachylon cum gummatibus* prodeſt in plerisque ulceribus, ubi materia corrupta evacuata eſt, ipſi autem parti non ſatisfacit, ſed balſamica temperata in uſum vocanda ſunt, e. g. *balſam. Peruvian.* in pauca quantitate cum *vitello ovorum* conquaſſatum, item *terebinthina* cum vitello ovorum, cui modicum *mellis* ſine ſcrupulo miſceri poteſt. Nam terebinthina fermenteſcentiam mellis temperat; ſic etiam vitelli indoles renititur acetoſæ fermentativæ illius corruptioni.

44. *Emplaſtrum ſtypticum Crollii* ad ultimam conſolidationem promovendam inſtar omnium eſſe poteſt. Nam per virtutem ſuam, leniſſime adſtringentem, deſideratam ſiccitatem & effluxus repreſſionem præſtat.

45. Intempeſtive autem exſiccare, vel adſtrictione quadam aliquid reprimere, in alio loco aperturam inducere ſolet. Hinc exſiccantia illa uſitata lap. calam. tut. &c. non ubique tuta, & raro neceſſaria ſunt.

46. Denique mentionem adhuc facimus, quod ulcera vetuſta, immorigera & mitiori medicationi non obedientia, diverſis quidem nominibus diſtingui ſoleant, e. g. *cacoëthea*, *dyſepulotica*, *chilonia*, id eſt, labiis prædita, *malum mortuum*, eadem tamen methodo tractanda ſint, nempe

1) Ad efficacem abſterſionem aliquamdiu adhibere convenit oleum *laterinum* vel ung. *Ægyptiacum*, impoſito emplaſtro *Norimbergenſi* camphorato.

2) Ad affluxum perenniter avertendum in ambitu epithemata diſcutientia vel ſpiritus vini camphoratus applicari debent.

3) Subjungantur denique mundificantia balſamica.

4) Interne adhibeantur, quæ ſub *methodo* commendata ſunt.

47. *Eſſentia ſuccini* in affectibus ulceroſis & ad exulcerationem tendentibus eſt lene remedium balſamicum, quod ad mundificandum ſanguinem, & diatheſes ſeri, ad ulceroſas corruptiones vergentes, corrigendas, egregie convenit.

TABVLA XL.

DE

ULCERIBUS CALLOSIS.

I. DEFINITIO.

1. *Ulcera calloſa* ſunt vel *ſimplicia*, quæ rarius occurrunt, vel *compoſita*, quæ utplurimum in *venereis* & *cancroſis* ulcerationibus ſeſe manifeſtant.

2. Ulcera *calloſa* non confundenda ſunt cum *tumoribus œdematoſis duris*, quæ interdum ulceri ſuperveniunt.

II. *SIGNA.*

1. Circa ulceris labia accreſcit callus ſatis firmus & tenax, verrucoſam vel cartilagineam plane ſubſtantiam referens.

2. Hic callus progreſſione temporis ita augeſcit, ut acceſſum ad fundum ulceris non raro impediat.

3. Ulcus tale non ſolum in *fundo* ſui, verum etiam præcipue ſub *calloſa* illa ſubſtantia impuritatem fermenteſcentem fovet.

III. *CAU-*

III. *CAVSÆ.*

1. Ulcera calloſa *ſimplicia* plerumque a perverſa chirurgica tractatione dependent, qnando nempe ulceris mundificationem negligunt & ad conſolidationem præmature feſtinant.
2. Nonnunquam ipſe ægrotans in culpa eſt, dum vel errorem in diæta committit, vel frigori partem affectam exponit.
3. Ulcera autem *calloſa compoſita* e ſpecifica ulceroſa corruptione oriuntur, quæ labia ulceris, nondum ſufficienter mundificata, magis inquinat, & hinc ſenſum ardoris infert.
4. Hic ſenſus ardoris provocat copioſius humores, qui ibidem obhæreſcentes a natura per errorem in talem concretionem firmantur.

V. *PROGNOSIS.*

1. Quam diu *callus* talis in ulcere quodam manet, nulla genuina conſolidatio exſpectanda eſt. Neceſſaria enim mundificatio, quæ conſolidationem præcedere debet, fieri non poteſt.
2. Quando in talibus locis reperiuntur ulcera *calloſa*, quæ ad ſinuoſitates ſuſcipiendas apta ſunt, *fiſtuloſa* facile ulcera inducuntur.

I. METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.

1. Callus ante omnia eſt removendus:
   1) Vel per *emollitionem*, quæ in *minore* occalleſcentia ſufficit. Commendantur in hunc finem emplaſtrum *diachylon cum gummatibus*, emplaſtr. *Norimbergenſe*; item lenientia olea cum vitellis ovi & melle remixta.
   2) Vel per *abſtergentia fortiora*, quæ in *majore* calloſitate requiruntur. Speciali vero efficacia ad callum auferendum laudantur rad. *ariſtoloch. rotund. gentian. rubr.* herb. *nicotian.* & præcipue rad. & herb. *hellebori nigri.*
   3) Vel per *ſepſin moderatam*, quam præſtant oleum *laterinum* cum oleo *ovorum*, carbones, *talpæ* uſtæ, *æs uſtum*, *ærugo*, *unguent. Ægyptiacum*. Ex his pro partis majore vel minore ſenſibilitate fiat ſelectus.
   4) Vel per *ſectionem*, quæ in calloſitate dura & rebelle neceſſaria videtur, præcipue ſi loci commoditas, & partis minor ſenſibilitas eandem concedant.

5) Vel per *ſcarificationem*. Ad callum enim majorem removendum hæc, ſi ſectionem excipiamus, omnibus reliquis adminiculis palmam præripit. Nam inciſione & ſcarificatione ejusmodi ulcera fiſtuloſa & calloſa, alias inſanabilia, brevi temporis ſpatio ſanantur. Septica autem mitiora callum non offendunt, & fortiora affluxum augent.

2. Eodem tempore, quo callus per remedia ſive emollientia, ſive fortiora abſtergentia, ſive ſeptica abſumitur, in *fundum* ulceris, quantum fieri poteſt, mundificantia immittantur.

3. In *ambitu* autem ulceris conveniunt discutientia & reſolventia.

4. Facta calli remotione & ulceris mundificatione ad conſolidationem balſamicis progrediendum eſt.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In ulceribus *ſimplicibus calloſis* optime ſe commendat famoſum *emplaſtrum Norimbergenſe*, ſolo enim illo occalleſcentia talis interdum aufertur, ſed opus eſt continuatione.
2. Prodeſt etiam *oleum laterinum* cum *oleo ovorum* remixtum. Poſtea res perficitur *emplaſtro ſtyptico Crollii* vel *Paracelſi*.
3. *Unguentum digeſtivum*, quando majore *mellis* quantitate imbuitur, ſatis utile eſt ad viſcoſam occalleſcentiam reſolvendam.
4. A fortioribus *ſepticis corroſivis* abſtinendum, niſi quidem malum admodum ſit rebelle, quo caſu reliquum ulceris *turunda* quadam expletur, vel unguento quodam leniente defenditur, ne corroſivum in totum ulcus diffundere ſe poſſit.
5. Corruptio *ſpecifica* e. g. venerea, quando adeſt, expoſcit legitimam ſui tractationem.
6. Ceterum eædem cautelæ hic obſervandæ ſunt, quas tabula præcedente exhibuimus.

TABULA XLI.

DE

ULCERIBUS EX ERYSIPELATE ORTIS.

I. *DIFFERENTIA.*

1. Ulcus ex *erysipelate* ortum, ad *composita* quidem ulcera, quæ specifica maligna qualitate complicata sunt, non potest referri, quam maxime tamen recedit a *simplicium* benignitate.
2. *Phagedænum* vulgo solet appellari, quia tam vicinas partes quam subjectas erodit.

II. *SIGNA.*

1. Manifestant sese ulcera talia excretione materiæ *fœtidæ.*
2. In ipsa affecta parte *foramina*, ulcuscula constituentia, hinc inde oriuntur, quæ ægre consolidantur, & facile redeunt.
3. Temporis progressione in latum & profundum serpunt, & partes solidas depascunt, concurrente pruritu, dolore, ardore.
4. In peripheria tumor suspectus non raro occurrit, cum saturato rubeo colore, livescentibus striis interdum distincto.

III. *CAVSÆ.*

1. Ulcera ex *erysipelate* plerumque incongruæ chirurgicæ tractationi imputanda sunt, præcipue, quando *subtiliores sanguineæ* partes repente per *nuda camphorata* discutiuntur.
2. Hac enim ratione partes *lymphatico-serosæ* cum qualibuscunque residuis *sanguineis* corruptionem non simplicem ulcerosam, sed semiputridam subeunt.
3. Et quoniam ulcera talia vicinas partes depascunt, eoque ipso ardorem inferunt, majorem humorum affluxum efficiunt & suspectum tumorem in ambitu augent.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Omnia ulcera ex erysipelate nata, sunt pravæ & contumacis indolis.
2. Nam uti inflammatio erysipelacea per se minime proclivis est ad corruptionem talem ulcerosam subeundam, ita tanto malignius inde

exoritur ulcus, quando per incongrua artificia ordinarius naturæ cursus sufflaminatur.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ad inquinamentum ulcerosum abstergendum applicetur aliquoties *oleum philosophorum.*
2. Deinde adhibeatur *oleum ovorum* vel *ceræ*, quæ secessionem ejusdem corruptelæ leniter promovent.
3. Postea ad mundificationem ulterius & intimius promovendam essentia balsamica usu veniat, e.g. Recip. essent. succin. drachm. iij, mastich. drach. ij, myrrh. drachm. j. hyperic. drachm. semis M. Utilissime etiam adhibetur *liquamen myrrhæ*, quod virtute balsamica & sarcotica præditum est.
4. In *ambitu* ulceris ad nimium affluxum humorum arcendum adhibeantur discutientia camphorata, & lenia tonica.
5. Sub his omnibus *interna* illa remedia non negligantur, quæ tabula *de ulceribus generatim* commendata sunt.
6. Denique facta sufficiente mundificatione sola essentia *myrrhæ* & *emplastro stiptico Crollii* consolidatio promoveatur.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Res ipsa loquitur, quam necessarium sit, inflammationes erysipelaceas convenienter tractare, ut pessimus hic ulcerosus effectus excludatur.
2. In hunc finem *tabulam medicam* de *inflammationibus*, uti & *chirurgicam* de eadem materia conferendam commendamus.
3. In ipsa autem ulceris tractatione exulent *mineralia corrosiva*, *adstringentia*, *incrassantia.*

TABVLA XLII.

DE

VLCERIBVS SERPIGINOSIS.

I. DEFINITIO.

Serpigo est colluvies plurium minutissimarum limpido humore refertarum pustularum, quæ pruritu & ardore ægrum affligunt, de-

denique erumpunt, & ulcuſcula ſuperficialia manantia formant, Germ. Flechte.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Auctores plurimi *ſerpiginem* & *herpetem miliarem* pro una eademque exulceratione habent. Nonnulli autem diſtinctionem faciunt, & herpetem miliarem ſerpigini in eo quidem affinem eſſe dicunt, quod itidem ſuperficialem ulcerationem involvat, non ſemper autem ſerpiginoſam indolem habeat, neque tam familiariter occurrat, uti ſerpigo.
2. Hæc autem diſtinctio exiguam in praxi involvit utilitatem, eadem enim methodo commode tractantur.

II. *SIGNA.*

1. Hæc ex *definitione* plurimum innoteſcunt: nempe
2. Exoriuntur plures puſtulæ, limpida aqua repletæ.
3. Quæ pruritu moleſtiſſimo frictionem urgent, & hac adhibita majorem ardorem & humorum affluxum inferunt.
4. Ruptæ puſtulæ moleſtum pruritum & ardorem non minuunt, ulcuſcula autem conſtituunt, quæ ex uno loco in alium late ſerpunt.
5. In quo loco ulcuſcula exſiccantur, ſquamulas relinquunt, quæ deinde decidunt.

V. *CAUSAE.*

1. Solet quidem in hoc, uti in reliquis ulceribus, vitium *qualitatis*, nempe acrimonia ſalina humorum lymphatico-ſeroſorum accuſari.
2. Non minor autem reſpectus habendus eſt ad vitium *quantitatis*. Docet enim frequens experientia, quod venæ ſectionum & ſcarificationum adſvetarum neglectus ulcerationes tales ſerpiginoſas inducat.
3. Ad minimum abundantia humorum talia ulcuſcula pertinaciter ſuſtentare obſervatur. Natura enim per tales vias ab incommodis ſuis liberare ſe ſe allaborat.
4. Ad cauſas *occaſionales* pertinet improvida ſcalptio, unde non ſolum exulceratio, ſed etiam affluxus concitatio exoritur.

PROGNOSIS.

1. *Serpigo* interdum ſponte ſua tranſit; præcipue ſi multum ſcalpendo aut fricando non irritetur.

2. Sæpe autem pertinacisſime perſiſtit, totos menſes imo annos durat.
3. Et quando in loco quodam cohibita eſt, alibi facile erumpit, e. g. ſi in manibus aut digitis primum tolerata, per qualiacunque autem remedia ibidem repulſa ſit, in brachiis erumpere obſervatur, & ſic ſerpendo, evagando atque repullulando ſcenam ſuam ludit.
4. Fermenteſcens hujus ulcerationis indoles non raro ſe ſe manifeſtat per contagium veſtimentis factum.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Primæ viæ* per blande aliquod purgans evacuentur.
2. Quo magis a neglecta ſanguinis ventilatione ſerpigo originem ſumſit, eo magis juſto tempore illa reaſſumatur.
3. Poſtea ad vitium *ſeri* & *lymphæ* corrigendum exhibeatur eſſent. ale. xiph. *Stahlii*, cum eſſent. ſuccini remixta, ſubjuncto pulvere ex abſorbente & antimoniato fixo parato.
4. Motus hæmorrhoidales quando conſpirant, juſta methodo illi tra ctentur. *Conf. tab. medic. de hæmorrhoidibus.*
5. *Externe* ad ulcuſcula abſtergenda adhibeantur *olea empyrevmatica* benignisſime *ſeptica*, e. g. *ol. papyri*, *tartar. fœtid. fuligin. ceræ*, *Philoſophorum*, *ovorum*, ſeorſim vel remixte applicanda. Laudatur et iam ſuccus vel decoctum tabaci.
6. Facta abſterſione conſolidatio vel ſponte ſuccedit, vel per empla ſtrum *ſtypticum Crollii*, leniter camphoratum, promovetur.
7. *Peripheria* quomodo defendenda ſit, ſub *cautelis* videatur.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quo ſubtiliora ſunt olea, (modo non volatilia) eo certiorem edun effectum, ob majorem inſinuationem & diſcontinuitatem.
2. *Oleum laterinum* certum edit effectum, præcipue ſi beneficio ole *ovorum* diſcontinuetur.
3. In perſonis, quibus ulcerationes ſerpiginoſæ ſæpius repullulant, no levis ſubſumtio adeſt latentis alicujus intimioris etiam in ipſis humori bus ſeroſæ corruptelæ, quæ ad ſuperficiem excuſſa ſpeciali actu & util ſcopo a natura eliminatur.
4. Serpiginem intra paucas horas profligare, non eſt artis genuinæ. Re dit enim cum majore pruritu & affluxu.

5. Ser

5. *Serpigo hæmorrhoidalis* quando occurrit, intentio naturæ exonerandi tanto magis consideranda est. *Confer. tab. medic. de hæmorrh. cæcis prognos. num. 56.*
6. Quoniam hæc ulcuscula sunt contagiosa & e parte affecta in adjacentes sanas serpunt, necesse est, ut *peripheria* defendatur. Fieri hoc potest, si *oleo rosaceo* cutis sana ungatur & deinde cerussa conspergatur.
7. Pro *specifico* remedio commendant nonnulli *sperma ranarum*, quod mense aprilis circa stagna ante solis ortum colligunt, & singulis diebus ter vel quater loco affecto illud aspergunt.
8. Vel, si hoc non sit ad manus, sequens *unguentum*, tanquam efficacissimum prædicant.

Recip. Mucilag. psyllii
cydonior.
fœnugræc. ana unc. semis.
pulv. mastich.
camphor. ana q. s. ad unquenti formam.

9. Ulceribus serpiginosis *chronicis* & *expansis* objiciunt sequens *emplastrum.*

Rec. ol. lini libr. semis.
virid. æris pulverisat.
ceræ novæ ana drach. iij.
lento igne foveantur & bdellii soluti ac colati addatur unc. j.

10. Quodsi vero herpes ἐσθιόμενος hisce omnibus remediis reluctetur & nimis excedens ac antiquus sit, *decocta antivenerea* cum regimine diaphoretico, placide continuando, commendant. Conferantur ea, quæ *tabula de herpete* dicta sunt.

TABULA XLIII.

DE

ACHORIBUS.

DEFINITIO.

Achores sunt ulcerationes superficiales, in capite infantum & puerorum

rum provenientes, & a corruptione humorum ſeroſo-lymphaticorum originem ducentes.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Tabulæ de ulceribus *ſerpiginoſis* merito ſubjungimus ulcerationes illas, quæ infantili & puerili ætati in capite, retro aures & in facie ſatis frequenter proveniunt. In his enim plerumque ſerpiginoſum quid deprehenditur.
2. Sunt autem tales ulcerationes,
   1) Vel *benignæ*, quæ proprie *achores*, item *cruſta lactea*, *tinea*, *favus*, appellantur, licet nonnulli hic iterum diſtinctionem faciant.
   2) Vel *malignæ*, quæ præcipue *impetiginis* nomine veniunt; item *ſcabies hæreditaria*, germ. der Erb-Grind. *Conf. tab. medic. de ſcabie maligna.*

III. *CAUSÆ.*

1. Cauſa *interna* & præcipua eſt ſtaſis & corruptio humorum ſeroſo-lymphaticorum.
2. Pro cauſa *externa* accuſant vulgo vitium lactis materni, nempe vel viſciditatem illius, vel acrimoniam. Item refrigerationes capitis, præcipue ſi notabilis tranſpiratio tum temporis in hac corporis parte adfuerit.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Achores infantum *benigni* nihil periculi involvunt. Sibi enim relicti ſponte tandem evaneſcunt, id quod per vulgus notum eſt.
2. Quando autem unguinoſis vel aliis incongruis topicis retropelluntur, tunc infauſta damna ſuccedunt. Quod adeo pervulgatum eſt, ut ipſi parentes hinc externa auxilia plerumque rejiciant.
3. Achores autem *maligni* ſeu *impetigines* altioris ſunt conſiderationis. Licet enim *recens* malum congruæ medicationi facilius cedat, *inveteratum* tamen tam pertinaciter ſe gerit, ut plerumque eludat remedia communia, quibus *benigni* achores alias ſuperantur.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Achorum benignorum.*
   1) In achoribus *ſimplicibus* conveniunt
      a) Interne,
         α) lenes laxationes pro ægri ætate & conſtitutione ordinandæ, e. g. per ſyrup. de cichor. cum rhabarb. vel per ſyrup. de-

de ſpin. cervin. vel nutrici purgans exhibeatur e ſol. ſenn. agaric.

ε) ſubjuncta eſſentia alexipharm. cum eſſentia ſuccini & tinctur. antim. remixta, & quidem hæc in pueris.

γ) infantibus autem ſoli pulveres abſorbentes cum antimonio diaphoretico & momento florum ſulphuris poſſunt propinari.

b) *Externe*; præmiſſis internis, locum habent, quæ acrimoniam in illis partibus natam, contemperent, ulcuſcula abſtergant, mundificent & conſolident. e.g.

α) Moderata aſperſio pulveris ex oculis cancrorum & pauciore ceruſſa, cavendo tamen ne nimium hic fiat.

ε) Unguentum e flor. calendulæ, verbaſci, macis cum recento butyro paratum. Item unguentum ex oleo hypefici & momento ceræ citrinæ paratum.

γ) Omnibus autem palmam præripit oleum ovorum, quod temperante & demulcente effectu præcipue clarum eſt.

δ) Imponatur emplaſtr. ſtypticum Crollii, vel, ſi inflammatio accedat, emplaſtr. de ſpermat. ranarum ad tolerantiam camphoratum.

2) Si achores cum *phtiriaſi* concurrant, ubi pediculi ſcalptionem inevitabilem fere reddunt, conducunt eadem interna, externe autem

a) ſemen *ſtaph. agr.* & *cocculi* ſeu *baccæ Levantiæ* cum butyro in unguentum redactæ, licet ad fortiora purgantia pertineant hæc duo remedia.

b) *Tabacus* etiam pediculis infenſus eſt, qui ſimul depurat. Fricandus autem eſt cum butyro, nam cum lixivio adhibitus majorem inducit ſenſibilitatem.

3) Quando achores *inſolentius* ſe gerunt, ſub initium *oleum ovorum* remiſceatur aliquoties cum *oleo laterino*, quod ulcera renovat, & ad novam reſtaurationem viam ſternit. Deinde ſolum oleum ovorum applicetur.

2. *Achorum malignorum.*

1) *Interne* conducunt

a) *Laxationes*, humoribus potiſſimum ſeroſis *accommodatæ*.

b) *Essentiæ* abstergentes & resolventes e. g. angelic. bardan. vincetox. pimpinell. succin. tinct. antimon. ter per diem repetendæ.

c) *Pulveres* temperantes ex absorbentibus, acido semi saturatis, & antimoniatis fixis parati, atque versus somnum propinati.

2) *Externe.*

a) Radices capillorum exstirpentur

α) Sive per commodum aliquod instrumentum.

β) Sive per emplastrum glutinans, quod e pice, colophon. resin. parare solent.

b) Deinde succurratur unguento quodam mundificante & maturante. Optimos quoque effectus mundificandi edit in scabie hac hæreditaria oleum laterinum.

c) Simul tamen in usum trahatur emplastr. de sperm. ranarum bene camphoratum, incipiendo a parva camphoræ quantitate propter sensum, quem exserit, exquisitum.

d) Si hæc ulcuscula ad suppurationem aliquam reducantur, usum habent emplastra attrahentia, maturantia e cera & resina parata. In ambitu autem emplastr. de spermat. ranar. camphorat.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Multa illa remedia, quæ tanquam indubia ab auctoribus ad crustam lacteam exstirpandam extolluntur, circumspecte assumenda & applicanda sunt. Plurima enim ad *repulsionem* magis, quam genuinam ulcerationis tractationem conducunt. Unde multa damna & pericula in pusillos redundant.

2. Caveatur speciatim, ne *adstringentes* pulveres & *pinguia* simpliciter applicentur, quia retropulsionem ad interiora efficiunt.

3. *Sulphurata* in hisce affectibius efficacia deprehenduntur; *mercurialia* autem, licet alios simplices scabiosos affectus eximie tollant, hic non satisfaciunt.

4. *Solutio* seu *lixivium hepatis sulphuris* tunc demum usurpetur, quando ulcera fere clausa sunt. Potest etiam hoc sulphuris hepar cum olee quodam redigi in consistentiam saponis.

TABULA XLIV.

DE

ULCERIBUS FISTULOSIS GENERATIM.

I. DEFINITIO.

Fiſtula eſt ulcus cum una vel pluribus ſpeluncis, callo plus minus obductis, præditum, ſine inſigni dolore materiam pravam ichoroſe-ſanioſam fundens, fœtidi odoris & inſoliti coloris.

II. DIFFERENTIA.

1. Fiſtulæ variis modis differunt, e. g.
   1) Ratione *loci*. Dantur enim fiſtulæ per univerſum corpus v. g. in capite habemus fiſtulam *parotidis*, *lacrymalem*, *maxillæ*. In media corporis regione itidem fiſtulæ exoriuntur; præcipue autem in infima regione, ubi circa ſpinam dorſi, collum veſicæ, uteri, perinæi, ſcroti & inteſtini recti illæ eveniunt.
   2) Ratione *conditionis*. Aliæ enim cavernas habent breves, muſculos tantum attingentes; aliæ profundius ad cartilagines & oſſa, imo in ipſam aliquando thoracis vel abdominis cavitatem penetrant. Porro aliæ unum ſimplicem habent ductum, aliæ multis anguſtis cuniculis & tractibus quaquaverſum excurrunt. Aliæ unicum tantum habent orificium; aliæ plura. Aliæ admodum ſunt calloſæ, aliæ, recentes nempe, minus tales.
   3) Ratione *excretionis*. Hæc quidem generatim materia prava ſanioſo-ichoroſa conſpicua eſt, prout autem fiſtula quædam vel vaſa ſanguifera, vel lymphatica, vel glandulas arrodit, pro illa circumſtantia etiam materia alterata apparet.
   4) Ratione *ſymptomatum*. Aliæ enim ſunt indolentes, aliæ in fundo ſunt doloroſæ. Aliæ commotionibus febrilibus hecticodeis ſtipatæ, aliæ ab iisdem liberæ ſunt.
2. Ceterum diſtinguunt auctores *fiſtulam perfectam* ab *ulcere ſinuoſo* ſequente ratione.

1) In ulcere *ſinuoſo* nonnullæ quidem obliquæ cavitates reperiuntur, ſed crudæ, carnoſæ, nullo callo obductæ; *perfecta* autem *fiſtula* in ſinu ſuo fovet callum, qui cutis coalitionem impedit & materiæ affluxum promovet.

2) In *fiſtula* exterius arctior eſt apertura, per quam materia affluit, interius majus ſpatium habet, in ulcere ſinuoſo non idem.

3) Fiſtula magis *introrſum* ad oſſa usque integras partes tractuoſas & cavernoſas perreptat & depaſcit; ulcus autem *ſinuoſum* excurrit magis ad partes *laterales*, & ſic verum *ſinum*, id eſt, obliquam cavitatem format.

III. *SIGNA.*

1. Hæc partim e *definitione*, partim e *differentia* pateſcunt.

2. Calli autem præſentia dignoſcitur, ſi ſtylus cavitati immiſſus ſenſum dolorificum non inferat, neque cruore conſpurcatus ſit.

IV. *CAVSÆ.*

1. *Fiſtulæ* poſſunt & ſolent fieri a cauſis

1) Partim *internis*, e. g. quando in ductu quodam diuturna ſtaſis humorum hæſit & ulceroſa hinc corruptio ſequitur, uti obſervare licet in ductibus lacrymalibus, ſalivalibus & hæmorrhoidalibus.

2) Partim *externis*. Huc pertinent

a) Simplex ſcalptio & eroſio, maxime ſubcutanea.

b) Incongrua vulnerum & ulcerum tractatio, præcipue mundificationis & affluxus humorum in talibus læſionibus neglectus.

2. Ulcera *ſinuoſa* naſcuntur utplurimum

1) Vel e partium *diverſarum* ſocia arroſione, nempe ſi contiguitas partis *cito* deliqueſcentis ſeu corroſibilis cum alia minus tali concurrat, & præcipue poſterior hæc priori alicubi incumbat.

2) Vel *ſitus* partis in culpa, e. g. quando in uno loco declivior eſt. Hac enim ratione materiam pravam copioſius ſuſcipit & diutius eandem retinet.

3) Vel proveniunt æque ac fiſtulæ ex inæquali, incongrua & inſufficiente læſionis alicujus abſterſione.

V. *PROGNOSIS.*

1. Fiſtulas recte ſanare artis eſt.

2. Quo recentior eſt ſtatus, eo felicius negotium ſuccedit.

3. Quo diutius autem duravit, quo profundius latet & quo plures cuniculos & tractus fistula habet dispersos, eo difficilior illius est curatio; præcipue quando ad ossa jam penetrat.

4. Triplex autem est ratio, quæ restitutionem fistularum tam difficilem reddit.

1) Superficiei internæ callositas aut similis fungosa deturpatio.

2) Defectus fibrarum, quæ a cute (de reliquo integra) absumtæ sunt. Unde nulla cum cute consolidatio fieri potest, sed potius cutis in illa parte similiter arrosa & fungosa existit, ut fistulæ sub illa procedant & cutis illæsa illas tegat.

3) *Vasorum*, *ductuum* & *tuborum* in tali tractu arrosio, quæ præsertim locum habet in ductibus *salivalibus* & *lymphaticis*.

5. Itaque, nisi læsio possit dilatari, ut materia exire & medicamina ad fundum penetrare queant, sanatio maximæ est difficultatis.

6. Fistulæ, quæ ab ossis carioſi eliquatione foventur, acri sanie scatent, & nisi caries ista auferatur, frustraneus omnis est labor.

7. Contingit vero subinde, ut caries in dissito prorsus loco hæreat, & per longinquam accessionem liquamen suum diffundat & effundat, e. g. in summo humero potest esse caries, quæ circa cubitum demum erumpit, item in osse coxendicis, quæ circa talum & genu eluctatur.

II. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Interna.*

1) Præmittatur & subinde repetatur evacuatio blanda cathartica, e massa pilular. de succin. Craton. extract. panchymag. *Crollii* & mercur. dulc. parata. Hac ratione non solum primæ viæ purgantur, sed humorum a loco fistuloso contingit derivatio.

2) Subjungantur catarrhalia, vitium seri & lymphæ corrigentia, quæ effectu suo diaphoretico-diuretico humores itidem a parte affecta derivant, e. g.

a) Essentia *succini*, lignorum, alexipharm. *Stahlii*, tinctur. *antimonii*.

b) Decoct. lign. quajac. sassafr. juniper. cort. lign. fraxini.

c) Specifica illa, quæ secundum *Paracelsum* ulcus ab intra purgare dicuntur. *Conf. method. tab. de ulceribus generatim.*

d) Convenit interdum circumspectus usus *flor. sulphuris* cum ab-

ſorbente e. g. ocul. cancr. & antimon. diaphoret. mixt. præcipue quando retroceſſio humorum metuenda eſt.

2. *Externa.*

1) Ut fons mali detegatur & applicatio remediorum commodius fieri poſſit, ante omnia fiſtularum apertio fiat per congruam ſectionem, inſtrumentis adæquatis inſtituendam; niſi quidem partes ſenſibiles nerveæ, tendinoſæ vel vaſa arterioſa eandem prohibeant; id quod anatomia docet.

2) Facta ad fundum usque inciſione, abſtergatur prius mucoſitas illa viſcoſa, quæ ſuperficiei inhæret & impedit, quo minus ſeptica *ſpecialem* fiſtulæ impuritatem abſumere poſſint. Laudantur in hunc finem *vegetabilia acriora*, e. g. decoct. rad. ari, ariſtoloch. rotund. gentian. & præcipue herb. tabaci; item quæ e *melle* parata ſunt.

3) Deinde per *lenia ſeptica* auferatur *ſpecialis* fiſtuloſa impuritas, quæ ſub muco illo craſſo latitabat, nempe ulceroſa illa depravatio tam humorum quam fibrillarum corruptarum. Septica talia cum abſtergentibus decoctis commode miſcentur, & ſi opus ſit ſyringa injiciuntur. Sic juſta proportione v. g. miſceri poteſt decoct. tabaci cum unguent. Ægyptiaco & melle roſato; interpoſitis ſubinde balſamicis temperatis.

4) Omni hoc tempore ad humorum affluxum intercipiendum & collectam ibidem ſtaſin reſolvendam in ambitu applicentur discutientia camphorata & ſimul nervina, ſive in forma epithematis ſive ci, ſive emplaſtri; quo nomine emplaſtr. nervinum *Mynſichti* laudatur; item emplaſtrum *Norimbergenſe* camphorat. cum momento *cerati de galbano* vel empl. *Opodeldoch Paracelſi* mixtum.

5) Quando fiſtula ſufficienter eſt purgata, ita ut corruptæ fibrillæ quæ adhærebant, ſint exeſæ & fundum ſub-cruentum appareat tum remediis balſamicis, e. g. e myrrha, ſuccino & momento maſtichis paratis, conſolidatio promoveatur.

6) Si *ſectio* non habeat locum vel propter vaſorum majorum propinquitatem, vel ægroti timorem, vel ſitum fiſtulæ profundiorem tunc ſcarificatio chirurgica commendatur. Hæ enim duæ operationes in fiſtulis principatum tenent. Ubi autem non poſſunt applicari, ibi ſolis *mundificantibus* & *ſepticis* inſiſtendum eſt.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ante omnia juſta & ſufficiens *mundificatio* reſpiciatur, ita ut tota cavitas interni ulceris undique purgetur per *digeſtiva* talia, quæ cito & æqualiter ſeſe diffundunt, colliquant & abſtergunt.
2. Inconſiderantia autem & neglectus inquinationis illius, quæ in ſuperficie internæ fiſtulæ hæret, uti & depravationis fibrarum, ſtatum reddit contumaciſſimum.
3. Huc etiam ſpectat ignorantia ratione continuationis & ſubordinationis, e. g. quando unguent. *Ægyptiacum* ſtatim adhibent & injectiones acres juſto citius peragunt. Hinc enim profundior eroſio, majores dolores, ulceris majores manationes proveniunt; præcipue ſi *turundæ* per octo & plures dies relinquantur.
4. *Septicum* ſi per aliquot horas in fiſtula fuerit, balſamica moderata ſubjungere neceſſarium eſt, ut pars arroſa conſervetur.
5. Abſtinendum ab adſtringentibus, exſiccantibus, refrigerantibus, nimium ſepticis & linimentis pinguibus.
6. Pinguia autem dum prohibentur, non rejiciuntur terebinth. myrrha, ſuccinum, ſed unguenta illa, quæ e pinguedine animalium & oleis craſſis parantur.
7. Sepſis genuina licet præcipuum momentum in curandis fiſtulis conſtituat, & hinc intrepide perpetranda ſit, cavendum tamen eſt, ne per illa remedia tendines vel oſſa afficiantur, & convulſiones hac ratione inducantur.
8. *Traditiones* iſtæ de variis ſimplicibus internis empiricorum utplurimum fruſtraneæ ſunt; niſi ulcus *ab intra* purgent. Quæ vero hoc faciunt, non ſolum ad fiſtulas, ſed etiam ad omnes ulceroſos affectus apta ſunt.
9. Magna circumſpectione curatio inſtituenda eſt per *æs uſtum* vel per alia remedia, e *venere* parata. Os enim, ſi corripiant, ſtatim arrodunt, ut nigreſcat. Quæ autem fiſtulæ ad oſſa & tendines non penetrant, in iis *ærugo*, licet fortiſſima ſit, non rejicitur. Sed non opus eſt, foramen eadem replere, ſufficit, ſi immediate peripheriam ulceris tangat.
10. Internis remediis, humores depurantibus, conuenientia travmatica ſubinde addi poſſunt, ſed parca portione, e. g. *flor. hyperici*, item *millefol.* præcipue, quando ægri circa hypochondria nulla inſignia pathe-

pathemata perſentiſcunt; *hedera terreſtris*, *bellis arvenſis minor*, *ſanicula*.

11. Quando ad conſolidationem properamus, reſiſtendum eſt, ſed omni modeſtia, reparationi inæquali, nimis laxæ, fungoſæ.

12. In omni fiſtularum curatione quovis modo reſpiciendum eſt ad conſtantem averſionem affluxus, qui præcipue in ſuperficialibus fiſtulis, quæ ſub cute repunt, valde copioſus contingit.

13. Dilatatio *ulceris ſinuoſi* vel *fiſtuloſi* per *turundas* illas, quas Queſl-Meiſſel vocamus, circumſpectionem requirit. Facile enim per *turundas* intumeſcentiam irritatio & humorum novus affluxus, valde noxius, producitur.

14. *Balſama exotica* proſunt quidem ad ultimam conſolidationem, quoniam autem calida ſunt, cum melle & vitellis ovorum debent contemperari.

TABULA XLV.

DE

FISTULA LACRYMALI.

I. *DEFINITIO.*

Fiſtula lacrymalis eſt ulcus oblongum in *ductu lacrymali*, ab affluxu humorum acrium adverſus hæc loca, & ulteriore eorum in viis lacrymalibus corruptione, utplurimum autem calloſitate, lacrymarum per ductum naſalem excretionem impediente, originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Non occurrit facile affectus chirurgicus, in quo tot diſſenſus auctorum deprehenduntur, uti in *fiſtula lacrymali*.

2. Quemadmodum enim in ſede atque cauſa hujus fiſtulæ deſignanda ob defectum anatomicum magnum in hunc diem commiſerunt errorem, ita etiam methodus illorum has fiſtulas tractandi plus damni quam utilitatis attulit.

3. Præter ea affectus quosdam cognatos, nempe *epiphoram*, *anchilopem* & *egi-*

& *ægilopem* cum ipſa *fiſtula lacrymali* confuderunt, atque hac ratione totum negotium tractationis intricatum reddiderunt.

4. Licet autem *fiſtula lacrymalis* cum hisce affectibus magnam cognationem habeat, & etiam originem ſæpe ſuam inde ſumat, differt tamen quam maxime ab illis, nempe

1) Ab *epiphora* ſeu *oculo lacrymante*. Nam in *epiphora* nulla corrupta materia, uti in fiſtula lacrymali, ſed purus tantum humor lacrymalis in angulo oculi majore excernitur.

2) Ab *anchilope*, ubi exulceratio nondum adeſt, ſed tumor tantum inter angulum majorem & naſum, & hic tumor non ſemper intra *ſaccum lacrymalem*, ſed etiam interdum *juxta* eundem reperitur.

3) Ab *ægilope*. Nam licet hic ulceratio adſit, eſt tamen illa *extra* vias lacrymales. Quando autem temporis tractu has vias etiam corrodit, tunc vera fiſtula lacrymalis inde provenit.

5. Ceterum ipſam fiſtulam lacrymalem auctores dividunt:

1) In *ſimplicem* & *compoſitam*, nempe cum callo vel carie conjunctam.

2) In *recentem* & *inveteratam*.

3) In *perfectam*, quando ulceratio non in ſolo ductu lacrymali permanet, ſed externe etiam juxta majorem angulum aperturam per cutim corroſit; & *imperfectam*, ubi materia ſanioſa per puncta tantum lacrymalia excernitur. Et quoniam hæc per ſaccum lacrymalem nullam habet aperturam, plerumque tumor circa hanc regionem conſpicitur. Hinc eſt, quod auctores *anchilopem* cum fiſtula lacrymali interdum conjunctum eſſe dicant.

III. *SIGNA.*

1. Præcedunt ſæpius affectus catarrhales circa nares, nempe coryza, modo ſimplicior modo acrior.

2. Sub hisce congeſtionibus in oculo affecti lateris ſentitur conſenſualis & falſus quaſi ardor.

3. Succedit mador oculi frequentior, qui, ſi vel maxime non continuus ſit, per vices tamen largius erumpit.

4. Hic mador nocturno inprimis tempore oculum illum ita irrigat, ut finito ſomno ulceroſa ſanie conglutinatus appareat.

5. Progreditur hoc incommodum citius apud alios, apud alios tardius ad talem gradum, ut loco gelatinosæ illius substantiæ, quæ crustaceam talem consistentiam format, verum purulentum recrementum proveniat.

6. Quamquam purulenta illa materia per diem rarius se exserat, quam altera illa gelatinosa substantia.

7. Interea quando post horarum aliquot intervallum, præcipue post somnum, *saccus lacrymalis*, nempe spatium illud, quod ab interno oculi cantho ad nasum excurrit, sursum stringendo comprimitur, mox circa angulum talem interiorem gutta una vel altera crassius purulentæ saniei prodit.

8. Aliquando alter oculus incommoda quædam, præcipue ardorem salsum inde persentiscit, inprimis si talis effusio sponte & sæpius contingat.

9. Turgidius etiam apparet interstitium illud, quod est intra angulum internum & nasum, si attentius cum altero latere comparetur.

10. Non minus glandula lacrymalis in illo oculo tumidior atque rubicundior conspicitur, quam in altero.

11. Quo magis humorem suum pars affecta plorat, eo majora incommoda circa superficiales oculi tunicas, adeoque ipsam *corneam* ægr persentiscunt.

12. Tandem gravioribus obscurationibus exponuntur.

13. Quo magis caries sive *os unguis*, sive os vicinum maxillæ superioris infestat, eo magis adversi coloris & fœtidi odoris materia profluit.

14. *Ductus nasalis* sæpius obstructus, imo aliquando concretus est.

IV. *CAVSÆ.*

1. Sedem *fistulæ lacrymalis* prioribus temporibus collocarunt auctores i ulcusculo quodam, quod ab angulo oculi interno *juxta* aut *per* c runculam lacrymalem ad nasi cavum tendat.

2. *Stahlius* autem *in programmate de fistula lacrymali* hunc errorem detexit, & primus fuit, qui de genuina hujus fistulæ conditione expo fuit. Cum enim post *Aëtium* materiæ sanioſæ proventum e punct lacrymali superiori observasset, chordam chelyos per illud punctur in saccum lacrymalem immisit, & facta in saccum incisione fistular funditus sanavit.

3. Ita

3. Itaque *cauſa continens* fiſtulæ lacrymalis eſt exulceratio in *viis lacrymalibus*, præcipue autem in *ſacco* lacrymali.

4. Cauſæ autem *antecedentes* & *occaſionales* variæ eſſe poſſunt. e. g.

1) Humor lacrymalis juſto acrior in cacochymicis oculum & vias tales afficiens. Unde copioſior humorum affluxus ad illa loca provocatur, & corruptio augetur.

2) *Anchilops* vel *ægilops* quando negliguntur, vel incongrue tractantur. Hac enim ratione humores in anchilope ſtagnantes corrumpuntur, & ulcus, quod in ægilope adhuc *extra* vias lacrymales ſubſiſtit, ulterius ſerpit & dictas vias aggreditur.

3) Obſtructio *ductus naſalis* pro cauſa antecedente vulgo quidem habetur, ita ut lacrymæ in illo ſtagnantes & acriores factæ, arroſionem inferant; ſed, ſi res penitius conſideretur, pro cauſa magis concomitante & conſequente haberi debet.

V. *PROGNOSIS.*

1. Fiſtula lacrymalis, quando recens adhuc eſt, facilius percuratur.

2. *Callo* autem obducta, vel *carie* infecta magnam involvit difficultatem. Et licet congrua methodo antiquæ tales fiſtulæ perſanatæ fuerint, levi tamen cauſa occaſionali ſolent recrudeſcere, & tandem immedicabiles evadere.

3. Id autem, quod auctores quidam de ſpontanea curatione fiſtularum talium, quæ carie & callo obfirmatæ fuerint, recenſent, ad rariores caſus referendum eſt.

4. Quamdiu *ductus naſalis* obſtructus vel plane concretus eſt, conſtans curatio locum non habet.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Generalis.*

1. Quicunque auctores ſedem hujus fiſtulæ in *caruncula* illa *lacrymali* vel juxta eandem poſuerunt, totam ſemper intentionem eo direxerunt, ut *per* aut *juxta* illam carunculam medicamenta *turundis* applicarent & imprimerent; ſed quo infelici ſucceſſu id factum ſit, ſub *cautelis* dicemus.

2. Detecto autem errore, uti ſuperius indicavimus, duæ hodie novæ methodi proſtant, *Stahliana* videlicet & *Anelliana*; quæ utræque & oculo & carunculæ lacrymali parcunt.

3. *Stahliana* ſequentibus membris abſolvitur.

1) Præparat corpus per remedia interna, & horum uſum ſub ipſa curatione externa, ubi neceſſarium eſt, repetit. *Conf. method. tabul.* præcedentis.

2) *Chorda chelyos*, cera in apice imbuta, explorat per punctum lacrymale flexum illum, quo ad ſinum usque ſeu communem capacitatem ductus ipſius primarii ſe recipit.

3) Directa cultelli cuſpide oblique ab oculo verſus naſum fieri curat inciſionem, ad os usque naſi penetrantem, quam, quia nimis latam adornare non convenit, *turundis* modeſte amplificat.

4) Impetrato hac ratione acceſſu ſufficiente remedia convenientia, abſtergentia nempe & eximie mundificantia balſamica applicat, donec fundus & ſimul totus inciſionis ambitus legitime mundificatus compareat, neque ullo modo ad & per punctum lacrymale quidquam ſaniei ad oculum amplius propelli poſſit.

5) Tunc demum e fundo extrorſum & breviore in dies *turunda* ulcus conſolidat; adhibita denique *cochlea* compreſſoria, proportionate, & prout ipſa cicatrix coaleſcit, ad majorem in dies compreſſionem adducenda.

4. *Anelliana* methodus hæc eſt:

1) *Specillum* tenerrimum ad hanc operationem adaptatum ſuperiori puncto lacrymali immittit, & per *ſaccum* lacrymalem verſus *canalem* naſalem modeſte dirigit, atque obſtructionem hujus ductus naſalis, ſi adſit, per qualemcunque preſſionem (promovendo ſpecillum in cavitatem usque naris) reſerat.

2) Deinde *ſyringa* ſubtiliſſima per punctum lacrymale *inferius* liquorem quendam convenientem injicit, ad ulcus mundificandum. Eligitur autem punctum *inferius*, quia per hoc, ob minorem palpebræ inferioris motum, commodius, quam per ſuperius, injectio fieri poteſt.

3) Has duas operationes, videlicet intruſionem *ſpecilli* & injectionem balſamici liquoris, aliquoties per diem & tam diu repetit, donec ductus ſatis permeabilis & corrupta materia per *ſuperius* punctum & per *canalem naſalem* ſufficienter expulſa ſit. Prius dignoſcitur, quando injectus liquor ſine prævia *ſpecilli* applicatione per narem profluit; poſterius autem exinde patet, dum nul-

la

la amplius materia ex angulo majore poſt preſſionem ſacci lacrymalis provenit.

5. Quoniam autem methodus *Anelliana* in fiſtulis refractariis, calloſis & carioſis non ſufficit, & nonnullæ recentes fiſtulæ ſine ulla operatione poſſunt curari, triplicem modum pro triplice fiſtularum gradu in curandis hisce fiſtulis ſequentibus trademus.

B. *Specialis.*

1. Fiſtula lacrymalis *primi gradus*, id eſt, quæ adhuc recens, paucam boni coloris & conſiſtentiæ materiam per puncta lacrymalia fundit, ſequente modo tractetur.

1) *Interne* propinentur laxantia, diaphoretico-diuretica, moderate balſamica.

2) *Externe.*

a) *Venæſectiones* æquinoctiales, vel pro re nata *ſcarificationes* inſtituantur.

b) Materia nondum adeo corrupta blande exprimatur, ne ſtaſi acrimoniam contrahat, & partes arrodat. Fit hoc vel frequente per digitum *ſacci lacrymalis* preſſione, vel ſpleniis, faſciis, & *trochlea* compreſſoria, nempe inſtrumento illo, quod *crinale* appellatur.

c) Discutientia conjungantur.

2. Fiſtula lacrymalis *ſecundi gradus*, id eſt, quæ altiores jam egit radices & cum obſtructione *ductus naſalis* plerumque conjuncta eſt, optime tractatur per methodum *Anellianam*. Hinc

1) Ad ductum naſalem, ſi obſtructus ſit, aperiendum applicetur *ſpecillum* ſive per punctum lacrymale ſuperius, ſive per aperturam illam, quæ in ſic dictis *completis* fiſtulis per cutem facta eſt. Abſente autem obſtructione, id quod e purulenta materia, poſt ſacci lacrymalis preſſionem in narem proffuente, colligitur, non opus eſt *ſpecilli* immiſſione.

2) Hæc intruſio aliquoties per diem repetatur, ne canalis apertus rurſus coaleſcat, &, quantum fieri poteſt, per ſpecillum illud ſimul exploretur, an caries, ex aſperitate oſſis dignoſcenda, præſto ſit.

3) Decoctum abſtergens, mundificans, temperate balſamicum per ſyringam ab *Anello* excogitatam injiciatur, & per aliquot hebdo-

madas continuetur, donec sufficiens absterſio & mundificatio peracta sit.

4) Quando materia per puncta tantum lacrymalia (seu uti Stahlius observat, per punctum tantum superius) profluit, & nulla per saccum lacrymalem apertura adest, sed sola illius relaxatio tumorem aliquem, *herniam* sacci lacrymalis vocatum, format, compressoria illa trochlea, superius jam allegata, simul auxilio veniat.

3. Fistula lacrymalis *tertii gradus*, & de qua præcipue valet *definitio*, efficacissime per methodum *Stahlianam* tractatur. Hinc

1) Apertio *sacci* lacrymalis, nisi jam per ulcerationem facta sit, congrua sectione perpetretur, ut fons mali detegatur, & sufficiens aditus impetretur. Apertio autem canalis *nasalis*, si illius obstructio adsit, methodo *Anelliana* perpetretur.

2) *Callus*, si adsit, absumatur per illa remedia, quæ *tabula de ulceribus callosis* indicata sunt.

3) *Caries* autem, ubi adest, removeatur per remedia, quæ *tabulæ de carie* commendata sunt.

4) Deinde mundificantia balsamica *turunda* applicentur, e g. liquamen *myrrhæ* cum vitello *ovi* subactum, item essent. *succini* cum pauca essentia *myrrhæ*.

5) Concurrente ardore & inflammatione in ambitu applicetur *spiritus vini camphoratus* leniter *crocatus*, vel emplastr. de *sperma ranarum camphoratum*.

6) Denique ad consolidationem promovendam conducunt vel *emplastra* e. g. *styptic. Crollii*, de *betonica*, *diapalm.* vel *epithemata* ex herbis *alchimillæ*, *saniculæ*, *pyrolæ*, *millefolii* &c. parata.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Uti consideratio hujus fistulæ causalis, ita etiam illius tractatio a vera ejus indole ad nostra usque tempora aliena fuit.

2. In angulo oculi *per* aut *juxta* carunculam lacrymalem cum *turundis* medicamenta imprimere, prioribus quidem temporibus, antequam error detectus esset, solemne erat, sed talis methodus insignia incommoda, dolores, irritationes, rubores, inflammationes, caruncularum intumescentiam, imo totius faciei exterioris & capitis interioris cruciatus contrahebat.

3. Tan-

3. Tandem ad eroſionem & exſtirpationem hujus caruncułæ error talis Chirurgos invitabat; unde non potuit non oculus perpetuo lacrymans ad minimum remanere; vel quando omnino directum conſilium exſtirpationis non capiebant, ſæpe tamen per profundam talem & violentam *turundarum* impreſſionem, & medicamentorum acrium applicationem ſincerus ſanguis ex angulo prorumpere ſolebat.

4. *Ægilops* eandem cum ulceribus aliis expoſcit medicationem, quamdiu ulceratio ipſius extra vias lacrymales conſtituta manet. Denominationem accepit ab αἴξ capra & ὤψ oculus. Dicunt enim hujus animalis oculos tali affectui præcipue obnoxios eſſe.

5. Quo maturius fiſtulæ lacrymali occurritur, eo certior ſpes eſt reſtitutionis. Quando autem *caries* jam inducta & oſſa notabiliter eroſa ſunt, tum curatio eſt difficillima, ad minimum longum tempus illa expoſcit. Nam *os turbinatum*, oſſi *unguis* contiguum, cavernulas habet, & hinc per applicationem cauterii vel cauſticorum ſine effectu ſæpius tractatur.

6. *Caries* autem in *oſſa maxillari*, tanquam robuſtiore, minoris eſt difficultatis.

7. *Oſſa ſpongioſa* quando carie infeſtantur, pertinax ille effectus *ozænæ*, dictus, inducitur, de quo ſuo loco dicemus.

8. Quoniam fons mali in caruncula lacrymali non reperitur, uſitata priorum temporum *corroſiva* remedia tanto minus locum habent. *Cauteriſatio* uti fundum fiſtulæ hujus non attingit, ita etiam minime locum habet. Tacemus frivola adſtringentia & nuda repellentia uſitata, item balſamica acriora.

9. Ultimo loco mentionem facimus novæ illius methodi, quam recentiores quidam, præcipue Galli, commendant. Videlicet quando calloſitas ductus naſalis remediis auferri non poteſt, & ductus ille impermeabilis manet, tunc lacrymis novam viam per *os unguis* ſequente ratione parant.

1) Inciſionem ſemilunarem cum ſcalpello, *biſtouri* dicto, ſupra *os unguis* infra tendinem *muſculi orbicularis* inſtituunt, & ſimul perioſteum eodem ſcalpello incidunt.

2) *Os unguis* denudatum vel inſtrumento apto, Gallis *curette* dicto, ea cautione perforant, ne laminæ oſſeæ prope os unguis deprehendendæ lædantur.

3) Vel ossi unguis machinam ferream, infundibuli instar factam, dextre imponunt, & ferro candente per illam immissos unguis inurunt, probe observantes, ut ferrum candens cum machina plus versus nasum quam oculum inclinet, & osse perusto cum machina simul auferatur.

4) Osse unguis ita destructo foramini turunda minor in extremitate inferiore paululum incurvata immittitur, eamque tegit plumaceolus, hunc autem emplastrum & splenia variæ magnitudinis, ita ut minoribus majora imponantur, & hæc fascia *monoculus* dicta firmat.

5) Hac ratione per novam quasi viam, quæ initio cannula minori plumbea aperta tenetur, lacrymæ ex oculo in nasum derivantur. Sed etiam hæc methodus suas habet difficultates; quas sub operatione experti sumus.

TABVLA XLVI.
DE
FISTULA ANI.

I. DIFFERENTIA.

Fistula ani differt

1. Ratione *sedis* suæ, cujus intuitu distinguitur in *externam* & *internam*.
   1) *Externa* dicitur, quæ *externe sphincterem ani* & adjacentes musculos *glutæos* occupat.
   2) *Interna* vocatur, quæ profundius intestinum *rectum* perforat & illius magis *internas*, imo partes interdum vicinas perreptat. e. g. Dantur fistulæ, quæ tractibus suis ad vesicam abeunt, & in sexu fœminino nonnunquam ad uterum serpere observantur.
2. Ratione *aperturæ* suæ, quæ triplici modo consideranda venit
   1) Vel enim apertura *extrorsum* manifesta est, & hæc fistula dicitur *patens*, Gallis *borgne interne*. Hujus census sun

ple

plerumque fiſtulæ illæ, quarum ſedes eſt in partibus *externis*.

2) Vel *introrſum* habet aperturam, eamque modo ſurſum modo deorſum reſpicientem. Hujus conditionis ordinarie ſunt fiſtulæ, quæ *internas* partes occupant, & *latentes* vel *cæcæ*, Gallis *borgnes externes*, vocantur.

3) Vel *extrorſum* & *introrſum* ſimul exitum habet. Talis fiſtula dicitur *completa*, & ſedem habet tam in externis quam internis partibus. Priores dicuntur *incompletæ*.

3. Ratione *durationis*; quo reſpectu alia eſt *recens*, alia *inveterata*, & duro *callo* obſeſſa.

4. Ratione *tractuum*. Alia enim unicum tantum ſimplicem habet canalem, alia pluribus ductibus & mæandris prædita eſt.

I. *SIGNA.*

1. Fiſtula ani, quæ partes *externas* occupat, & *extrorſum* habet aperturam, in ipſos ſenſus incurrit, atque ita facile detegitur, niſi orificium per callum anguſtum factum, & explorationi impedimento ſit.

2. Quæ fiſtula *extrorſum* & *introrſum* ſimul habet aperturam, facile etiam pateſcit. Quando enim digitus inteſtino immiſſus a ſtilo, per orificium fiſtulæ intruſo, attingitur, vel liquor, in inteſtinum injectus, per fiſtulæ aperturam externam refluit, de *duplici* orificio non eſt dubitandum.

3. Majore difficultate cognoſcitur fiſtula, quæ orificium ſuum habet introrſum, interea tamen ſequente ratione manifeſtatur:

1) Materia ichoroſo-ſanioſa per anum excernitur.

2) Quando orificium *deorſum* reſpicit & fundum *ſurſum* poſitum eſt, tunc materia fæcum eliminationem paululum præcedit.

3) Quando autem orificium *ſurſum* tendit, & fundum *deorſum*, tunc excrementa alvina hanc materiam præcedunt.

4) Exploratur etiam orificium per digiti in inteſtinum intruſionem; item per filum ferreum incurvatum & nodulo præditum.

5) Quando fundum fiſtulæ deorſum hæret, tunc externe *tuberculum* inſoliti coloris interdum adeſſe ſolet, & ita fiſtulam prodit.

4. Quæ fiſtula uno vel altero ſinu veſicam perreptat, urina per anum effluente, & ſubinde materia ichoroſo-ſanioſa per urinam proveniente proditur.
5. Sic quoque ſe res habet, ſi fiſtula ani uterum perforet. Tunc enim fæces alvinæ & materia ichoroſo-ſanioſa per uterum excernuntur.
6. Quæ fiſtula plures habet mæandros, detegitur vel ſpecillo flexili, vel candela cerea, vel unius atque alterius ſinus inciſione.

III. *CAVSÆ.*

1. Fiſtula ani plerumque exoritur a negotio hæmorrhoidali impedito, nempe
   1) a congeſtoriis & inflammatoriis circa hæc loca ſanguinis commotionibus.
   2) Præcipue ab hæmorrhoidibus cæcis, in corruptionem ſuppuratoriam deductis, & poſtea incaute tractatis.
   3) Ad quod negotium etiam pertinet *ſerpigo* hæmorrhoidalis, & reliquæ fungoſæ protuberantiæ atque ulceraſcentes venereæ excreſcentiæ, imperite tractatæ.
   4) Hæmorrhoides legitime fluentes, quando repente ſupprimuntur, huic malo fiſtuloſo etiam anſam præbere ſolent.
   5) His addimus *dyſenteriam*, incongrue ſuppreſſam, & partum difficilem.
2. Cauſæ *externæ*, *violentæ* ſunt e. g. vulnus in hac regione inflictum, contuſio, lapſus, ictus, equitatio diuturna. Propter continuum enim impurorum humorum circa hæc loca appulſum mundificatio læſionum talium difficulter obtinetur, unde ulceratio nonnunquam inde exoritur. Rariores autem ſunt cauſæ tales violentæ.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Fiſtula *ani* ob affluxum multarum impuritatum eſt quidem generatim deterioris conditionis, illa tamen, quæ externas muſculoſas partes occupat, longe facilius medicationi auſcultat, quam quæ introrſum ſerpit.
2. Quo profundius fiſtulæ hujus apertura introrſum tendit, eo difficilior eſt curatio.
3. Quo plures ſinus ac mæandros fiſtula hæc formar, & quo magis duro callo obſeſſa eſt, eo pertinacius ſe gerit.

4. Quæ

4. Quæ fiſtula ani veſicam, uterum, vel alias vicinas partes, ad quas aditus non datur, perreptat, illa eſt contumaciſſima.
5. Fiſtula ani benigna redditur contumax per ægrotantis pudorem & occultationem.
6. Motus hæmorrhoidales, licet bonum finem reſpiciant, fiſtulæ tamen huic augmentum & exacerbationem adferunt.
7. In cauſa *venerea* fiſtula prius non curatur, quam primarius morbus fuerit ſublatus.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A, Methodus generalis.

Triplice via auctores incedere ſolent ad fiſtulam ani exſtirpandam.

1. *Prima* eſt *cauteriſatio*; cui præmittunt unguentum aliquod corroſivum ope *turundæ*, quam in dies majorem formant, donec ad fundum fiſtulæ perveniant. Sed hic operandi modus non ſolum nullum habet locum in fiſtulis latentibus, inteſtinum perreptantibus, & pluribus ſinubus divaricatis, verum etiam ſequentia incommoda & pericula inducit.
   1) Inuſtio talis eſcharam inducit.
   2) Hæc aditum ad fundum fiſtulæ præcludit.
   3) Unde remedia efficacia mundificantia non poſſunt adhiberi.
   4) Interea materia acris, intus concluſa, profundius rodendo ſerpit, præcipue ſi ſuperficiaria tantum conſolidatio facta ſit.
2. *Altera* eſt *ligatura*.
   1) Videlicet digitum, oleo humidum, inteſtino recto immittunt.
   2) Huic altera manu ſpecillum vel acum flexilem ex argento confectam, filo præditam, per aperturam fiſtulæ obviam mittunt.
   3) Deinde ſpecillum digito manus ſiniſtræ incurvatur, & per inteſtinum extrahitur.
   4) Tandem extremitates fili leviter ligant, & hanc ligaturam quotidie ſtrictiorem faciunt, donec dilaceratoria quaſi fiſtulæ apertura & disciſſio facta ſit.
   5) Sed & hæc methodus rudior & dolorifica a plurimis hodie auctoribus rejicitur, ab antiquis autem in latentibus fiſtulis adhibebatur.

3. *Tertia* & hodie uſitatiſſima methodus eſt *inciſio*, quæ ſequente modo peragitur.

1) Duo digiti anteriores, oleo humidi, inteſtino recto intruduntur.

2) Hisce altera manu ſyringotomus per fiſtulæ aperturam obviam mittitur.

3) Commodiſſimus autem ſyringotomus ille judicatur, qui noviſſime inventus, & ſtilo argenteo, ſumme flexili, præditus eſt. Plures autem operatores biſtouri & forſice libentius utuntur, & novum illud inſtrumentum curioſis relinquunt.

4) Hic ſtilus præmittitur, & quidem ad fundum usque fiſtulæ, poſtea digitis intruſis, facta fundi, ſi opus ſit, pertuſione, recurvatur, extra inteſtinum ducitur, & appropinquante cultelli acie fiſtula adjuvante utraque manu discinditur.

5) Denique digitis ſinus & cavitates, ſi adſint, explorantur, & deinde, ut artis eſt, diſcinduntur.

6) Quid faciendum ſit in latente fiſtula, ſub cautelis dicetur.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *Interne* remedia illa adhibeantur, quæ *tabula de fiſtulis generatim* commendata ſunt.

2. Concurrente plethora venæſectio inſtituatur.

3. Fiſtuloſus tractus per *inciſionem* circumſpectam aperiatur, præmiſſo laxante, & ſubjuncto clyſtere, ut ſanguis forſan retentus penitus eluatur.

4 Craſſior fiſtulæ impuritas, ſpeciatim callus, ſi adſit, auferatur per lenia *ſeptica*.

5. Poſtea ad ulteriorem mundificationem injiciantur decocta abſtergentia, prioribus tabulis commendata.

6. Ad affluxum humorum discutiendum adhibeantur, quantum loci conditio concedit, cataplaſmata modice camphorata, vel emplaſtra ejusdem cenſus.

7. Denique ad plenariam mundificationem & conſolidationem uſu veniant eſſentiæ balſamicæ, e. g. ſuccini, myrrhæ cum oleo ovorum contemperandæ.

8. Faſcia ad deligationem fiſtulæ ani tab. III. deſcripta eſt.

VI. *CAU-*

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ante, quam Chirurgus operationem inſtituat, fiſtulæ ſtatum bene prius explorare debet, ne error committatur.
2. Præcipue circumſpecta talis exploratio neceſſaria eſt, ſi apertura fiſtulæ ſit introrſum. In tali enim caſu, quando fundus fiſtulæ *deorſum* hæret, & oriſicium *ſurſum* tendit, nulla operatio prius locum habet, quam fundus fiſtulæ ſit detectus & inciſus. *Conf. ſigna n. 4. & 5.*
3. *Laxans* operationi præmittitur, ne ſub illa fæces alvinæ incommodum pariant.
4. *Clyſterem* facta operatione eum in finem commendant, ut omnis ſanguis, per inciſionem vaſculorum in inteſtini cavum emiſſus, ſufficienter eluatur, & ita illius corruptio ibidem caveatur. Multi autem operatores clyſteris vſum prætermittunt, judicantes ſanguinem in loco hoc declivi ſponte effluere, & præter ea humorem calidum iniectum dolores & affluxum producere.
5. Tutius eſt per congrua *ſeptica* calloſitatem removere, quam per *forficem*, ne arteria lædatur, & ita enormis hæmorrhagia producatur. Quando autem leves tantum inciſiones, ſcarificationibus ſimiles, inſtituuntur, tum hæmorrhagia non eſt pertimeſcenda, & citius per operationem quam ſeptica ſcopum noſtrum obtinemus. Sic etiam illa calloſitatis remotio, quæ in fiſtulæ ſuperficie protuberat, per *ſcarificationem* præmiſſam facilitatur.
6. Quando fiſtulæ fundus profundior eſt, quam digitus immiſſus attingere valet, operationem reſpuit.
7. *Sphincterem* ani num in *totum* diſcindere permiſſum ſit, inter auctores lis eſt. Sed quidquid dicant adfirmantes, præſtat in illis caſibus, ubi ſphincteris fibræ carnoſæ ſpirales & circulares magnam inteſtini partem aſcendunt, ut digitus immiſſus earum extremitatem vix aſſequi poſſit, cavere, quam per improvidam & gravem hujus muſculi diſſectionem paralyſin inducere. *Confer. differentia externæ & internæ fiſtulæ.*
8. Commotiones hæmorrhoidales curationi impedimento veniunt. Hæc enim non appulſum humorum verſus illa loca, ſed conſtantem potius revulſionem poſtulat. Unde tanto magis tales motus prudenter ſopiendi & revellendi ſunt.

9. Præcipue inquirendum eſt, num fiſtula plures habeat cavitates, quas omnes diſcindere neceſſe eſt. Quando enim unica tantum relinquitur, fundamentalis curatio nullum habet locum.

TABULA XLVII.

DE

ULCERIBUS SCORBUTICIS.

I. *DEFINITIO.*

1. Ulcera magis *ſimplicia* prioribus tabulis pertractavimus, reſtant jam quæ *compoſita* dicuntur, nempe *ſcorbutica*, *venerea* & *cancroſa*. De ſcorbuticis hac tabula, de reliquis autem ſequentibus agemus.
2. Ipſa rei neceſſitas poſtulat, ut ulcera talia *compoſita* a *ſimplicibus* bene diſtinguantur. Uti enim illa *ſpecifica* plane qualitate corruptelam ſuam exſerunt, ita, niſi hæc in curatione reſpiciatur, irritus utplurimum omnis eſt medendi conatus.
3. Ulcera vera & diffuſa, quæ ſcorbutus aliquando format, ſunt rariora, quam ſcabies illa ficceſcens ſcorbutica.
4. Ad ulcera ſcorbutica pertinet etiam particularis illa *gingivarum* ulceroſa afflictio, *ſtomacace* dicta. Licet enim nonnunquam ſcorbutum *antecedat*, & hinc benignius ſe gerat, eſt tamen interdum ipſius ſcorbuti *concomitans* ſymptoma, & tunc eandem cum reliquis ulceribus pertinaciam ſatis oſtendit.

II. *SIGNA.*

1. Ulcera ſcorbutica *odorem* ſpargunt valde fœtidum.
2. *Colorem* exhibent liveſcentem, nigricantem.
3. Ipſa *materia*, quæ excernitur, tenuis eſt & eximia interdum manatione ſeſe ſiſtit.
4. *Tumores* modo inflammatorii, modo duritie ſcirrhoſa præditi, utplurimum ulcera talia *proxime* ambiunt, paululum autem *remotius* pruritus & ardores perſentiſcuntur.

III. *CAU-*

III. *CAUSÆ.*

1. Cauſa ulcerum ſcorbuticorum *generalis* & *antecedens* videatur tabula medica de *ſcorbuto*.
2. Cauſa *ſpecialis* & *proxima* eſt ſtaſis ſanguinis cum acri ſero mixti. Quæ maligna corruptela inde emergat, tabula chirurgica prima ſub *cauſis* indicavimus.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Ulcera ſcorbutica hoc habent commune, ut inexſpectato ſæpe repullulent, & præcipue certis anni temporibus renaſcantur.
2. Quando præmature retrocedunt, velper incongrua artificia retropelluntur, dolores ſpaſtico-arthritico-podagrici, tumores, inflammationes, indurationes crurum oriuntur, & denique *intus* ulcerationes naſcuntur.
3. Talia ulcera, quæ cum partis induratione ſtipata ſunt, refractaria obſervantur, & ſæpius in annoſis conſtantem curationem plane reſpuunt. Præterea graves circa hypochondria paſſiones efficiunt.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ulcera ſcorbutica, quod ad externam chirurgicam tractationem attinet, a reliquis ulceribus parum differunt, *interne* autem neceſſaria ſunt *antiſcorbutica*.
2. Hinc ad univerſalem humorum correctionem adhibeantur remedia, quæ tabula *medica* de ſcorbuto commendata ſunt.
3. Et quoniam in ſcorbuticis ulceribus peccat ſanguis ſtagnans, convenit externe ordinariis abſtergentibus illa miſcere, quæ ſpecifica efficacia ſanguinem talem coagulatum reſolvunt, e. g. herb *cochleariæ*, *beccabungæ*, *fumariæ*, *acetos. ſedi vermicul.* quarum herbarum ſuccus, uſitatis reliquis abſtergentibus mellitis & myrrhatis mixtus, egregie mundificat e. g. fiat *linimentum* e ſucco cochleariæ & acetoſæ cum melle & pauxillo myrrhæ. *Conf. ubique tabul. medic. de ſcorbuto.*
4. In *ambitu* non negligantur defenſiva diſcutientia camphorata, ad affluxum inflammatorium impediendum, e. g. emplaſtr. de ſperm. ranar. camph. ſubjuncto interdum unguento ſaturnino.
5. De *ſtomacace* tractanda videatur tabul. med. de *ſcorbuto*.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Cautelæ & obſervationes quæ tabula medica de *ſcorbuto* exhibitæ ſunt, hic

hic repeti merentur: ſpeciatim obſervationes de *ſedo vermiculari*, *triſolio fibrino*, *ſpiritu cochleariæ*.

2. *Muntingius* in tractatu ſuo erudito *de vera herba britannica* admodum commendat herbam *lapathi nigri paluſtris* in decocto. In pulvere autem *tota* planta utilis eſt.

3. Ad contemperandum ardorem laudant aquam e *pomis*, quæ ſitu ſucceſſivo quaſi putrefacta ſunt, quo ſolo ſimplice remedio ulcera ſcorbutica reſtituta eſſe a quibusdam aſſeveratur.

4. In ſubjectis non admodum ſenſibilibus abſterſio fieri poteſt per *lixivium calcis vivæ compoſitum*, quod paratur e calce viva & momento ſalis armoniaci, quæ materiæ vaſi ex aurichalco parato immittuntur, donec colorem cœruleo-virideſcentem inducant.

TABULA XLVIII.

DE

OZÆNA.

I. DEFINITIO.

Ozæna eſt ulceratio interioris naris, cum vel ſine corruptione oſſium adjacentium ſtipata, & excretione ſaniei, plus minus purulentæ, manifeſta. Derivatur ab ὄζω, olfacio.

II. *DIFFERENTIA.*

Ozæna dividitur

1. In *ſimplicem*, quæ levem tantum ulcerationem offert, exiguo dolore ſtipata eſt, & poſt impetum emunctionis cruſtulam nigram exhibet. Hæc quidem, vi denominationis, ozæna non eſſet vocanda, verba autem uſu recepta valent ut nummi.

2. In *putridam*, in qua inſignes dolores perſentiſcuntur, & materia graveolens excernitur. Concurrit hic facile *caries*, vel ſi omnino illa nondum adſit, profunde tamen fieri ſolet ulceratio, ut ad oſſa maxillaria aut ſinus cranii ſeſe extendat.

III. *CAUSÆ.*

1. *Simplex* ozæna a ſimplice dependet cauſſa, nempe a congeſtione ca-

catarrhali versus hanc regionem, unde facile stasis & corruptio humorum serosorum contingit, præcipue in talibus subjectis, quorum media nasi pars suppressa est. Huc pertinet coryza acris habitualis, abusus pulveris sternutatorii acrioris.

2. *Putrida ozæna* utplurimum dependet a *lue venerea*. Nonnunquam a *scorbuto*; item ab elephantiasi, a corruptione *polypi* narium.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Quo maturius *simplici ozænæ* occurritur, antequam tenera nasi officula arrodantur, eo felicius negotium succedit.
2. *Putrida ozæna* est contumax malum, &, si a lue venerea, scorbuto vel elephantiasi dependeat, prius non potest curari, quam morbi hi primarii sublati fuerint.
3. Caries difficillime hic eradicatur ob denegatum cauteriis & aliis remediis sufficientem accessum, & quando *septum* nasi jam perforatum est, ulceratio hæc ita plerumque serpit, ut maxima nasi pars consumatur cum loquelæ detrimento.
4. Difficilis ad ulceratam hanc regionem accessus, difficilem reddit mundificationem & exsiccationem.

V. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Simplicis ozænæ.*
   1) *Interne* præmittantur congrua evacuantia e. g. extract. panchymag. *Crollii* cum mercurio dulci. Hæc in progressione curationis aliquoties repetantur.
   2) Subjungantur essentiæ catarrhales, e. g. alexipharm. *Stahlii* cum essentia *succini* maritata.
   3) Præmissis universalibus ad *externa* remedia accedendum est sequente ordine.
      a) *Crusta* per emollientia, e. g. fotum aquæ tepidæ, oleum amygdal. dulc. & similia auferatur, non autem violenta impetuosa excussione.
      b) Ablata crusta decoctum aliquod mundificans nari affectæ syringa blande injiciatur.
      c) Denique *oleo ovorum*, in mortario plumbeo bene agitato, vel *essentia Stahlii balsamica* exsiccatio & consolidatio perficiatur.
2. *Putridæ ozænæ.*

1) Hic primarius affectus respiciatur, & si causa venerea vel scorbutica subsit, hi morbi, uti suo loco dictum est, tractentur.

2) *Externa* ulceris tractatio itidem primario affectui quadrare debet. Hinc in luis venereæ causis tabula sequens de *ulceribus venereis*, in scorbutica autem causa tabula præcedens de *ulceribus scorbuticis* conferatur. Ubique autem remedia topica *turundis* applicentur, ut eo diutius in loco affecto maneant.

3) Præsente *carie* negotium admodum redditur intricatum, nisi tandem spontanea ossiculi arrosi separatio contingat. Interea mundificantibus continuetur.

4) Reliqua videantur sub *cautelis*.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Salivatio mercurialis* in ulcere narium, licet causa venerea subsit, non facile est admittenda. Partes enim in hac regione per eandem magis relaxantur, & ulcus per majorem affluxum, stasin & corruptionem exacerbatur.

2. *Rondelitius* ad exsiccationem hujus ulceris admodum laudat suffimigium, ob profundam penetrationem. Parare autem illud docet ex auripigmento, antimonio, additis odoratis e. g. benzoë, myrrha, e quibus fuligo excitatur & ulcera siccantur. Hac ratione, inquit, ulcus curavimus, quod neque ab Italis neque a Gallis Medicis curari potuit.

3. De *cannula* nari immittenda, ad ulcus ferro candente, cannulæ immisso, exsiccandum videantur *Petri Dionis* operationes chirurgicæ.

4. *Drakius* in anatomia sua observavit, quod ozænæ species detur, quæ unice sedem suam in *sinu* quodam *maxillari* habeat, quæque dignoscatur copiosiore proventu materiæ, si æger in latus sanum recumbat. Ad hanc ozænam curandam secundum dentem maxillarem evellere, & deinde alveolum, nisi jam arrosione perforatus sit, ad sinum usque maxillarem pertundere commendat, ut postea ulcus per hanc aperturam sanari possit.

TABULA XLIX.

DE

ULCERIBUS VENEREIS.

I. DIFFERENTIA.

1. *Lues venerea* tres habet gradus.

1) *Primus gradus* eſt, quando corruptio talis in ipſam humorum maſſam nondum diffuſa eſt, ſed privatim adhuc circa genitalia hæret, & ibidem vel *exterius* tantum varias excreſcentias format, vel etiam *profundiore* infectione *gonorrhœam* ſeu fluxum ulceroſum inducit.

2) *Secundus gradus* eſt, quando miaſma illud in humores quidem diffuſum eſt, peculiarem tamen ſui ipſius activitatem nondum concepit, neque etiam efficaciam ſuam alicubi exſeruit, ſed tenerius adhuc & volatilius quaſi in humoribus oberrat, atque variis ſpaſticis tractionibus, peculiarem exitum reſpicientibus, anſam præbet. In hoc enim gradu manifeſtant ſe ſe dolores tenſivi, preſſorii, languide ſpaſtici, ardores, pruritus acres & quaſi compunctorii. Hos ſequuntur affectus puſtulares, ſicceſcentes, acres, ardentes & magis vellicantes, quam colliquativi, quæ ſymptomata dolorifica nocturno tempore notabiliter exacerbantur.

3) *Tertius gradus* eſt, quando venerea corruptela partes ſolidas occupavit, & præcipue in partibus glanduloſis, membranaceis, tendinoſis, ligamentoſis, imo oſſeis, peculiares ulceroſas pertinaces & fœdas corruptiones, de quibus hac tabula agimus, producit.

2. Secundum hanc differentiam primus gradus luis venereæ, nempe gonorrhœa, & ſecundus gradus non pertinent ad chirurgiam; imo, ſi res juſtius conſideretur, ipſe etiam tertius gradus ſine chirurgicis ſubſidiis ſæpius poteſt ſuperari. Nam ulceratio venerea, de qua hic agimus, quando modo incipiens eſt, vel in partibus laxioribus hæret, ſolis internis medicamentis auſcultat. Interea tamen non negandum, quod in tertio hoc gradu applicatio remediorum *topicorum* tanto certiorem & feliciorem reliquam curationem reddat. Quando autem partes oſſeæ jam arroſæ ſunt, vel in mollioribus par-

tibus fœdæ, calloſæ, cruſtoſæ, fiſtuloſæ, ſinuoſæ corruptiones, vel excreſcentiæ fungoſæ ſeſe manifeſtant, tunc chirurgica præſidia abſolute ſunt neceſſaria. *Conf. prognoſis.*

II. *SIGNA.*

1. Ulcera venerea ordinarie non tam vehementer & ſimpliciter ſunt fœtida, uti ſcorbutica, ſed valde nauſeoſa, & ſitulentum nitorem ſpirantia. De reliquo valde ardentia & rodentia, cruſtoſa, glutinoſam ſiccam eſcharam formantia.
2. Quando autem in loca incidunt, in quibus ſanguis ſtricte dictus ſimul corrumpi poteſt, tunc vehementem ſpargunt fœtorem.
3. Ambitus horum ulcerum duritie quadam, ad fiſſuras ſæpius excreſcente, deturpatur, cum inſigni pruritu & ardore inflammatorio, non adeo corroſivo.
4. Occurrunt autem ulcera talia, uti numeroſa in uno individuo hinc inde per totum corpus, ita præcipue in genitalibus locis, inguine, faucibus, naribus & glandulis ſubaxillaribus, maxillaribus.

III. *CAUSÆ.*

1. Ex omnibus circumſtantiis apparet, quod corruptiones venereæ generica ſui conditione conſiſtant in vehemente obviſcatione humorum *ſero-ſalivalium*
2. Hi tenaciſſimi humores, ubi in partibus ſolidis fixi quaſi adhæreſcunt, lentam & ſalſam erodentem corruptionem produnt.
3. Ab hac enim viſcida & tenace humorum conſiſtentia omnia talia ulcera habent ſegnitiem ſucceſſivæ corruptionis, niſi incidant in loca ubi per accidens ſanguinis concurſus præſto eſt, e. g. in glandem membri virilis, quia propter poroſitatem multo tranſitui patet, naſcitur hinc corruptela celerior & magis fœtida. Unde non male Chirurgis vocatur ulcus *cancrodes*, gall. chancre.
4. Ab hac lenta inviſcatione dependet etiam durities illa, quam ambitus horum ulcerum ordinarie exhibet.
5. De *penitiore* autem indole hujus mali, & ſpecialiore materiali cauſa formalem rationem in medium proferre velle, irritus eſt labor, qui innumeras difficultates & defectus explicandi offendit. Hinc in lue venerea tum ratione indolis, tum ratione remediorum convenientium plus experientiæ, quam theoriæ, tribuendum eſt.

IV. *PRO*

IV. *PROGNOSIS.*

1. Ulcera venerea, ob materiæ tenacitatem & viſcoſitatem, non feſtinato curandi impetu, ſed ſucceſſivo & placido progreſſu debent reſtitui.
2. Canonis inſtar valeat, quod in ulceribus venereis ſola manualis applicatio & operatio vix unquam ſufficiat, ſed internus medicamentorum uſus neceſſario & perpetuo conjunctus eſſe debeat: præſtat enim inquinamentum ſubigere, a quo ulcus ſuſtentatur, & affectum venereum internis remediis tractare, quam ſolum exitum reſpicere. Deinde externa ſubſtitui vel conjungi poſſunt; excepto caſu, quando membri genitalis ulcerationes a cauſa externa atque affrictu dependent, & ita in membro *externe* adhuc hærent. Item ſimpliciores ulcerationes, rarius tamen contingentes, quæ ſola chirurgica manuali applicatione curari ſolent.
3. Quando autem ulcera jam erodendo, ſinus eliquando, aut calloſas oras & cruſtoſas ficcitates exhibendo manifeſta ſunt, tunc fruſtra ſperatur reſtitutio, niſi interna remedia cum externis conjungantur.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Licet *tabula medica de lue venerea* paucis jam tacta ſit curatio ulcerum venereorum, placet tamen hoc loco prolixius hac de re agere, & tabulam illam medicam ulterioribus obſervationibus illuſtrare.
2. Curationem quidem *internam* e tabula illa medica huc transſcribere, ſupervacaneum cenſemus, commendamus autem dextram dijudicationem, num decocta antivenerea ſpecifico effectu ſatis nota ſufficiant, nec ne?
3. Quando enim malum profundius radicatum eſt, & ulcerationes oſſa jam infeſtarunt, omni modo opus eſt *ſalivatione* per mercurialia.
4. *Externa* autem ulcerum venereorum tractatio ſequentia involvit.

A. *Methodus generalis.*

1) Inquinamentum *genericum* per uſitata abſtergentia, ſuccinata & myrrhata, vel pro re nata vulgaria ſeptica eſt removendum.
2) Miaſma *ſpecificum* venereum per ſpecifica antivenerea eſt abſtergendum. Laudantur in hunc finem decocta e lign. quajac. ſaſſafr. rad. chin. & inprimis ſarſaparillæ; Item ol. empyrevmat. ligni ſancti &c. balſam. Peruvian. cum melle & vitello ovi ſubact.

Efficaciora autem ſunt mercurialia *dextre* præparata & *parce* applicata. Nam efficaciter reſolvunt & colliquant inquinamentum venereum.

B. *Methodus ſpecialis.*

1) Præmiſſis & conjunctis remediis internis ulceri non adeo præfracto decoctum lignorum cum exigua portione tincturæ antimonii remixtum applicetur; in ſtatu autem magis efforo *mercurius præcipitatus ruber* penicillo leviter tantum adſpergatur, der Mercurius ſoll gleichſam nur eingeſtäubt werden. Deinde *emplaſtrum* aliquod *digeſtivum* ſeu abſterſivum imponatur.

2) Nonnulli dictis mercurialibus commiſcent digeſtiva, e. g. unguentum parant e melle, terebinthina, ſuccino, maſtiche, & momento mercurii præcipitati rubri. *Conf. cautel. 3.*

3) Præcipue quando calloſa & fungoſa impuritas adeſt, vulgaria *ſeptica* adhibere, & mercurium præcipitatum rubrum parciſſime inſpergere convenit, ne hic totam ſuam vim ſepticam abſolvat. Hanc cautelam Chirurgi vulgo prætermittunt, & non æſtimant, ſi ſub largo mercurialium uſu ulcus profundius reddatur & dolores augeantur.

4) In ambitu ad duritiem emolliendam & affluxum avertendum adhibeatur *emplaſtrum diachyl. cum gummatibus*, cujus ſuperficiei leniter udæ, aliquid *mercurii præcipitati rubri* adſpergi poteſt; vel *emplaſtr. de ranis Vigonis cum mercurio:* Vel ſequens *unguentum mercuriale* eminus applicetur:

Recip. unguent. roſarum, vel axung. ſuill. unc. ſemis.
Amalgam. e jove vel ſaturn. & mercur. ana parati drachm. ij.
Boli drachm. ij.

Bolus miſceatur cum amalgamate, ut commode poſſit conteri in pulverem, qui deinde ſpatula lignea cum unguento roſarum ſubagitetur.

5) Facta ſufficiente abſterſione conſolidandi ſcopo adhibeatur *eſſentia balſamic. Stahlii.*

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Decocta antivenerea* e lignis & radicibus parata, longe quidem ſegniorem edunt operationem, quam *mercurialia*, ſed quoniam hæc in locis ſenſibilibus admodum circumſpecte adhiberi debent, præſtat ſæpius

pius talia ſegniora decocta efficacioribus mercurialibus præferre, præcipue in ulceratione faucium, ubi decocta talia tanquam *gargariſma* adhibentur. Ad minimum mercurialia in ſenſibilibus talibus locis cum unguentis mixta eſſe debent.

2. Optima mercurialia hic ſunt mercurius *dulcis*, *præcipitatus albus*, qui in fundamento cum *dulci* convenit, & inprimis *præcipitatus ruber*, qui ſordes fungoſas in hisce ulceribus egregie abſtergit, & ſimul ſymptomata ſpaſtica, ab eroſione pendentia, mitigat; largior autem illius applicatio dolores auget.

3. Non placet autem formula illa, ubi mercurius in corroſivo quodam liquore ſolutus, modo emplaſtris modo unguentis pinguibus commiſcetur, per emplaſtra enim non facile communicatur cum ulcere; cum unguentis pinguibus autem mixtus, & ita in calidum ulcus immiſſus, facile ſubſidet, atque nimium rodit. Hic enim mercurius ſeptica efficacia ſuperat æs viride. Die Chirurgi ſtreuen immer ein, und achtens nicht, ob das Loch gröſſer wird, und die Schmertzen ſich vermehren. Unde præſtat penicillo tantum leviter mercurium ulceri adſpergere, & deinde emplaſtrum digeſtivum imponere.

4. Æqualis ſepſis & mundificatio, uti in omnibus ulcerationibus, ita & in venereis omnino reſpicienda eſt, ne luxuriantes excreſcentiæ prognaſcantur. Convenit autem ſepticis aliquid adſtringentis miſcere.

5. *Emplaſtrum diachylon cum gummatibus* non in capſulis ligneis, ſed vaſis vitreis aut figulinis vitreatis & veſica probe obturatis conſervandum eſt, ne acceſſu aëris exſiccetur, & hac ratione minus efficax reddatur.

6. *Paracelſus* prolixius quidem laudat *oleum ligni quajaci*, igne nudo deſtillatum, neque efficacia ſua eſt defraudandum, uti nec *oleum ligni ſaſſafras*; ſed tales virtutes non poſſidet, quas ille jactat. Maxima illius energia in ſubtili ſepſi conſiſtit, quæ omnibus oleis empyrevmaticis, inprimis e vegetabilibus paratis, communis eſt. Eſſentiæ autem e lignis paratæ longe minorem præſtant efficaciam, præcipue eſſent. ligni quajaci. In ſtaſibus duris hisce eſſentiis nihil efficitur, adeoque *ſteatomata*, *atheromata* & *melicerides*, illis non parent.

7. *Unguentum mercuriale*, piſi majoris quantitate mane & veſperi tarſo pedis in anteriore loco, wo man die Schnalle zumachet, applicatum, effectum præſtat laudabilem absque ſalivatione.

8. *Mer-*

8. *Mercurius dulcis* interno uſu quotidie ſemel ad duo grana, vel bis ad granum unum & ſemis in forma pulveris utiliter hic poteſt adhiberi.

9. *Gummata Gallica* in tendinoſis partibus, v. g. tibiarum, quo diutius ſubſtiterunt, eo magis periculum eſt corruptionis corroſivæ, non molliorum tantum, ſed & ipſarum partium oſſearum; ubi, niſi mature occurratur, maximi ſunt momenti. Quidquid autem agendum, illud repentinis colliquationibus & uſtionibus perfici debet.

10. Cavendum a temerario tentamine, ſalivationem per *cuprea* medicamenta inſtituere, cujus auctor eſt celebris ille empiricus Batavienſis *Helvetius*. Nam hisce medicamentis humores verſus interiora ducuntur, ubi quidem ſuperficiales ulcerationes exſiccantur, ſed interne maxima damna inducuntur. Auſi quidam ſunt hac ratione hydropem curare, ſed eundem revera prius producunt, quam curant.

11. In oſſibus affectis ipſa ſalivatio non ſufficit, multo minus ordinaria antivenerea. Multum autem præſervandis & purificandis oſſibus valet *eſſentia balſamica Stahlii*, inprimis e ſuccino parata.

12. Laudant vulgo radicem *ariſtolochiæ* utriusque adverſus putredinem oſſium; id quod magis quadraret, ſi a vermibus affectus dependeret, eſt enim amariſſimi ſaporis. Præmiſſa tamen oſſis infecti raſura, hæc radix adſpergi poteſt.

13. Quando oſſea talis infectio manu pertingi poteſt, *raſio* locum habet. *Uſtio* fieri poteſt, quando pars non eſt fibroſa, vaſculoſa & medullaris. Hac ratione contagioſa corruptio citius invertitur, & ſimul abſceſſio fit partis corruptæ.

14. *Capilli* quando jam decidunt, & in capite, cute nondum perforata, nodi ſunt præſentes, vix bona ſpes ſupereſt. Diducenda interim eſt cutis in crucem diſſecta, & medicamenta *anticarioſa* externe, interne autem antivenerea adhibenda ſunt, & ſi ulcera jam ſint profunda, ipſa ſalivatio requiritur.

15. *Mercurius præcipitatus albus* uti parum differt a *mercurio dulci*, ita ad efficaciam ſepticam efficacior eſt *ruber*, ad alterandum *albus*.

16. *Oſſibus* mercurialia & omnia corroſiva nocent.

17. *Oſſibus* arroſis optimum eſt, ulcus in dilatatione conſervare, quo radendo & ſcindendo mundificetur, & cartilaginem accipiat.

18. Fi

18. Fit non raro, ut corruptio primum *ossa* aggrediatur, & superstantes partes nullum incommodum sentiant, e. g. occurrunt casus, ubi per aliquot annos de doloribus capitis atrocissimis ægri conqueruntur, & quando tandem intrepidus quidam hanc partem discindit, cranium arrosum & fœtidum, imo colliquatum offenditur.

19. Quando ulcera venerea pertinacissima in talibus locis sunt, ad quorum intima penetrare non licet, propter partes tendinosas, vasculosas, magnam ulcerum duritiem & ægroti meticulositatem, tunc salivatio universalem habet usum.

20. *Mercurius sublimatus corrosivus*, licet a multis pro summo hic refugio habeatur, atrocissima tamen symptomata inducit.

21. Ante, quam tabulam hanc obsignemus, pauca dicenda adhuc sunt de ipsa *salivatione* per totam fere Europam notissima, quam Chirurgi & balneatores præcipue sibi sumunt. Relinqui quidem illis facile posset labor talis nauseosus, si modo damnum, quod messores tales in alienis agris inferunt, mediocriter tantum tolerandum esset; sed quia præpostere & præcipiti impulsu totum hoc negotium vulgo suscipiunt, & non solum periculo, sed & sæpe funesto eventu hanc scenam claudunt, abusus talis non potest non hic accusari.

22. Accusandi autem sunt tales artifices præcipue sequentis abusus.

1) Instituunt salivationem promiscue, præcipue in quibuslibet fere paululum suspectis ulcerationibus, sine discrimine circumstantiarum tam realium quam personalium.

2) Ignorant, cui luis venereæ gradui salivatio conveniat.

3) Pharmaceuticas corporis præparationes, quæ ad liberum salivationis successum requiruntur, vel plane prætermittunt, vel præpostere illas instituunt.

4) Ignorant, quo rationali ordine, quo placido & successivo progressu, commotio salivatoria instituenda sit, & quo regimine therapeutico foveri atque placide promoveri debeat.

5) Non perspiciunt, quantum & quousque, secundum subjectorum diversitatem, salivatio vel impelli vel continuari debeat.

6) In fœminis rationem non habent mensium.

7) Præter hæc omnia, si *mercurialia* recte non sint præparata, & tamen ad salivationem *interne* ab illis adhibeantur, cooriuntur loco salivationis anxietates præcordiorum, tormina atrocia, inflammatoria, convulsiva, vomitus efferi, diarrhææ, gingivæ &

fauces repentino impetu infarciuntur, inflantur, inflammantur, finduntur & ulcerantur, periculum ſuffocationis imminet, collum & totum caput intumeſcit, viſus & auditus damna eveniunt, aut paralytodes impotentiæ in membrum aliquod incidunt, aut tremores perpetui remanent.

8) Licet inunctio circa carpum & tarſum ſufficiat, hac tamen non ſunt contenti, ſed juratam quaſi ſuam inunctionem per ſpinæ dorſi longitudinem ſuperaddunt.

23. Excuſare quidem nituntur peiores & lethales eventus per individui *cacochymiam*, præcipne *ſcorbuticam* illam ſtolidam. Aliorum circumſpectionem vocant timiditatem; provocant ad experientiam, quam timidis, ut putant, aliis denegant, & rara eſſe funeſta exempla perhibent. Sed quid opus eſt verbis, ubi triſtiſſima rerum teſtimonia adſunt? Et licet in robuſtis rarior ſit ſiniſter effectus, eſt tamen eo frequentior in teneris delicatis.

TABULA L.

DE

CANCRO

ET

ULCERIBUS CANCROIDEIS.

I. DEFINITIO.

Cancer eſt corruptio compoſita ſphaceloſo-ulceroſa, ſeu putredinoſo-ſalina, putrido fœtore magis magisque ſqualens, & effectum exedentem, colliquantem & corrodentem inducens. Græce dicitur καρκῖνος & καρκίνωμα.

II. DIFFERENTIA.

1. *Juſtiſſima eſt auctorum diſtinctio* inter cancrum *occultum* & *apertum*.

1) Cancer *occultus* nihil aliud eſt, quam *ſcirrhus ſanguineus*, a perfecta ulceratione adhuc alienus. Exoritur hic in mulierum mammis, item in aliorum hominum ſcapulis, naſo, labiis, in inguinibus. Eſt tumor durus, profundus, cum rubedine ad lividum inclinante,

te, puncturis profundis. In ſuppurationem deſtinato tempore non abit, ut apoſtematodes calidi tumores.

2) *Apertus* ſeu *exulceratus* dicitur, qui corruptionem non ſolum intus ſubiit, & continui ſolutionem produxit, ſed & extrorſum cutim eroſit & perrupit, adeoque fœdam ſaniem & ichores acres exſudare incepit. De hoc valet *definitio*. Eſt enim cancer ulceratus nihil aliud, quam corruptio ſphaceloſo-ulceroſa, ſeu putredinoſo-ſalſa.

2. Ab *aperto* deſumta etiam eſt denominatio, ob externam ulceris ſimilitudinem. Nimirum vaſa in ambitu ulceris cancroſi, magno ſanguinis infarctu inflata, æquiparant brachiis & pedibus cancri. Per omnia autem cum *cancrinis* non conveniunt, ſed tortuoſo proceſſu conſpicua ſunt, unde rectius *polypodis* nomine affectus talis venire poſſet.

3. Notatur autem *cancri* nomine proprie & eminenter *mammarum* affectus, qui primum quidem in concluſo, citra ſummam corruptionem ægros graviſſime affligit, tandem autem in manifeſtam continuitatis ulcerationem erumpit, & peſſimo ulceris genere graſſatur.

4. Hæc in *mammis* ulceratio, quando prævaluit, propter vaſa ſanguine turgida, uti dictum, adſpectum & figuram cancri aliquomodo exhibet. In aliis autem partibus, e. g. facie, utero, talem figuram non quidem exhibet, eandem tamen peſſimam corruptionis ſpeciem refert, & eodem plane nomine, vel diſtincto quodam modo venit, nempe auctores inter *cancrum* & *ulcus cancroſum* diſtinguunt, quod etiam *carcinoma* appellant, german. ein Krebshafter Schade.

5. Habent autem hæ corruptiones ſuos iterum gradus. Proxima enim poſt mammas cancroſa talis diſpoſitio eſt illa, quæ *ſtrumis* ulceratis evenit, deinde, quæ ulcerato *labio*, *naſo*, atque *genis* obtingit, poſtea quæ *uterum* fœminarum occupat; Item membrum virile, licet rarius exquiſitiſſime talis ſit. Denique quæ alias glanduloſas partes infeſtat; Tandem quæ *fungoſis excreſcentiis* ſupervenit.

6. *Cancer verus* bene etiam diſtinguendus venit ab illis ulceribus, quæ primum *ſimplicia* fuerunt circa glanduloſo-ſpongioſas partes, incongrua autem arte in talem deteriorem corruptionem devoluta ſunt, ut a cancroſo genio non multum abludant. Cancer enim ex intima

partis diſpoſitione ortum ſuum habet, &, quod eſſentiale tanquam proprium eſt, vix ulla arte coërcetur, ſi ſemel altiores radices egerit, ulcera autem *deprauata* facilius in ordinem rediguntur. Speciatim bene diſtinguendum eſt inter cancrum *verum*, antiquum, profunde ſerpentem, & inter ulcerationes mammarum *inveteratas*, mali moris & cancroſi quid minantes.

7. Hinc uti cancri homonymiam ad quævis ulcera, putredini appropinquantia, nempe ad ulcera mali moris, antiqua, cavernoſa, fiſtuloſa, varicoſa, venerea, ſordida, colliquativa non extendimus, licet generaliter ad cancroſam indolem accedere appareant, ita cum *Celſo gangrænam* & *ſphacelum* cancro accenſere non poſſumus. Sic & ſuo loco relinquimus appellationem illam, qua oſſium *cariei* nomen cancri tribuitur. Conf. A. N. C. ann. I. dec. I. p. 18.

III. *SIGNA.*

1. Exoritur primum *collectio varicoſo-ſcirrhoſa* nodi duri & inæqualis inſtar (vel ſponte vel violentia externa) circa partem aliquam exſanquem, nempe glanduloſam, tendinoſam, cutaneam coloris lividi vel e rubro nigricantis.
2. Hæc per tempus interdum haud exiguum, 1-2 annos, ita perſiſtit, niſi incongruis remediis tractetur, vel animi pathemata obveniant.
3. Rarius ſine omni eſt *dolore*, multo minus ſine omni *ſenſu*. Cooritur enim interdum acutiſſimus urens ardor, punctio penetrans & quaſi ſectilis.
4. Præcipue quando paululum immodeſtius *tangitur*, dolorem exhibet ſatis exquiſitum, licet, extra talem attactum, nullum dolorem inferat.
5. Minor ſcirrhus frequentius occurrit, quam major; minor autem majores ſæpe cruciatus, quam major, adfert.
6. Interea tamen tales dolentes nodi ſeu ſcirrhi ſanguinei per multos adhuc menſes, imo unum vel alterum annum citra plenariam corruptionem & eruptionem perſiſtunt.
7. Dolores autem cancri occulti per longum ſæpius tempus eximie iterum quieſcunt, id quod nemo a vera ſanie concluſa exſpectabit.
8. Quando autem *ſcirrhus* hic *ſanguineus*, ſeu *cancer occultus*, a quacunque cauſa incitatus, in veram ulcerationem prorumpit, & ita *cancrum apertum* format, tum dolores frequentes, modo *ardentes*, modo

do

do gravisſime *pungentes*, *lancinantes* & per paroxyſmos affligentes inducit.

9. In ambitu ingens *durities* & nodoſa quaſi ſcirrhoſitas partium glandulosarum mature ſubſequitur, *labia* autem ulceris turgida, inflata & occalleſcentia quaſi evadunt, *coloris* plerumque lividi, interdum autem *roſei rubicantis*.

10. Hoc ultimum ſæpius concurrit cum eiusmodi *laxitate* viciniæ contiguæ, ut ſub levi ſcalptione, vel fortiore attactu, mox *cuticula* abradi posſit, & *cutis* ſubſtrata, *miliaris* quaſi appareat, *humiditatem* fere perpetuam fundat, mox multa *foraminula*, ab eroſione poroſo-tubulosæ glandulæ dependentia, exhibeat, e quibus ichor talis, velut e profundo, ſcaturit.

11. *Materia*, quæ ex ulcere manat, *tetri coloris* atque *odoris* exſiſtit, præcipue quando paululum *crasſioris* conſiſtentiæ apparet. Quando autem *tenuis* & *limpida* excernitur, eſt plerumque ita corroſiva, ut aquæ fortis inſtar lintea impoſita diſcerpat, & ipſam cutim ſanam, per quam decurrit, adurat.

12. *Fœtor*, quem hæc corruptela exhalat, æmulatur talem *acorem*, quem caro in muria ſalina aut in aceto computreſcens refert, præcipue in mammis. Hic acor, quando valde affluit, adeo acris eſt, ut inſperſis abſorbentibus interdum efferveſcat.

13. *Fermentalem* hæc corruptio indolem fere exhibet, ita ut, exſtirpata licet parte plurimum laborante, neglectio ſolius alicujus venulæ, pro radice quaſi ſerviat, e qua priſtina corruptio largo proventu repullulet, & partes vicinas corripiat.

14. Pergit hoc malum, donec affectam partem univerſam corruperit. Unde quidem in *mammarum* cancro ſæpe fit, ut ad coſtas uſque, imo in ipſam thoracis cavitatem per intercoſtales muſculos eroſio pergat.

15. Serpit autem ordinatim ſatis *languide*, ita ut e. g. mamma ad aliquot ſæpe annos absque præcipiti eroſionis diffuſione reperiatur. Interdum vero exiguo tempore tanta invaleſcit colliquatio, ut in *tabum* diffluxio plurimum abſcedat.

16. In nonnullis non ſolum integra mamma, ſed & *collum* atque *brachium* imo reliqua vicinia illius lateris *inflatione œdematoſa* corripitur, aut *nodoſis ſcirrhis* obſidetur: Præcipue etiam *glandularum* ſub ejus la-

teris *axilla* ſenſibilis pariter inflatio, induratio & dolor contingit.

17. De hoc *dolore* notandum, quod non continuo vehementer ſed per *inſultus* affligat. In aliis enim breviores in aliis longiores format paroxyſmos, ita ut, excepta leviſſima ſubinde mitigatione, per plures dies, imo hebdomadas ægrum excruciet.

18. Sic & notatu digniſſimum, quod ægri tales graviſſimo *animi angore*, inquietudine, anxietate ad ipſam usque lipothymiam magis, quam ſenſibili dolore, torqueantur, imo ipſa mente vacillare obſerventur.

19. *Vigiliæ* ex inquietudine tali innominata & veluti irrationali, atque e doloris, ardoris, & lancinationis ſenſu, graviter affligunt. Quando autem ſubinde dormiunt, *inſomnia* experiuntur, metus ac terroris plena.

20. Quo magis dolor invaleſcit, eo manifeſtiore *febricula* ægroti corripiuntur, quæ hecticam gradu caloris aliquantum ſuperat, & corporis extenuationem inducit.

21. Sub hoc corporis & animi cruciatu languent etiam reliquæ *vitales actiones*, præcipue *appetitus* valde exiguus eſt, & a paululum copioſa aſſumtione pejus habent.

22. Abſcedunt interdum integra *fruſtula*, ſed non frequenter.

23. Rarius adhuc fit, ut aliquid *excreſcat* in vero cancro *exulcerato*, niſi per efficacia abſtergentia & balſamica portio quædam mundificata talem ſuper accretionem admittat.

24. Hoc malum diverſos habet ſucceſſus, per accidens differentes. Alio enim tempore mitius graſſantur dolores, alio gravius, & tum corruptio latius depaſcit, eoque maiorem ſpargit fœtorem tam acetoſum quam putredinoſum.

IV. *CAUSAE.*

1. Corruptio cancroſa, quæ non in quibuslibet corporis partibus, ſed in glanduloſis, eminenter in mammis, contingit, non eſt ſimpliciter *corroſiva*, neque etiam ſimpliciter *putredinoſa*, ſed de utraque participans; ita tamen, ut unaquæque materia ſuam propriam corruptionis indolem ſequatur. Sanguis nempe, qui pauca portione concurrit, putredine afficitur ſimplice, ſubſtantia autem ſeroſo-lactea ſalinam acrimoniam incurrit, & hoc quam maxime in receptaculis ſuis adhuc ſeparatis.

Quid-

2. Quidquid autem tenuius de his & inter hæc effluit, & ante propriam pleniorem corruptionem confluendo communem quasi corruptelam incurrit, illud ab hac miscela longe acrius fit, quam neutrum seorsim.

3. Et sic rectissime tota Schola medica duplicem corruptionem in cancro agnoscit, quod antiqui ob malignitatem *duplex* venenum appellarunt, unum *putrefaciens*, alterum *rodens*, & probe observarunt, quod, dum uni consulatur, alterum incrementum sumat. *Conf. prognos. num. 12. & 13.*

4. Hæc autem *duplex* seu *composita* corruptio sequente ratione introducitur.

5. Quando e. g. in mamma muliebri, a quacunque intercedente causa, *scirrhosa collectio*, durities & compressio sanguiferorum vasculorum, inter glandulas mammæ excurrentium, contingit, copiosior autem affluxus, ob partis conditionem & tonicam constrictionem exclusus est, tunc largior stasis locum non habet, sed potius coagulatio, quæ ad corruptionem *velocem* minus dispositа est. Unde hæc stasis, sibi relicta & non irritata, diu incorrupta durat.

6. Quando autem in corruptionem ruere incipit, & hæc *glanduloſas* quoque *tunicas* infestat, e sanguinea stasi *putrilago* fœtida, pessime olens, immo fermentescens, e *chyloso seroſa* autem materia, quæ per hasce glandulas commeat, *salsa*, imo *acetoſa* corruptela emergit.

7. Hæc *salsa* corruptela *sanguinem* exigua portione jam corruptum, aliquomodo figit, & proxime contiguum sanguinem coagulat, partes autem sui ipsius, nempe *chyloso-seroſas*, propinquiores in grumos condensat. Contra putrilaginosa sulphurea e sanguine portio exacerbat & acriorem reddit corruptelam salsam, ut tanto magis corruptiua & sensus irritativa evadat.

8. Emergit inde corruptela putrefactionis quasi muriaticæ, seu talis species corruptionis, quæ putredinis quidem formam præ se se fert, interim tamen & *salsedinem* admodum eminentem exhibet, & huius interventu a veloci fermentescente progressione, uti dictum, inhibetur.

9. Et sic putrefactio in partibus hisce glandulosis, quæ de sulphurea sanguinis portione exigua gaudent, fit lentissimi gressus, cui insuper natura, a putredine abhorrens, *actibus suis motoriis* reluctatur.

Con-

Concurrunt enim circa & intra partem motus tonici conſtrictorii, qui copioſum affluxum ſanguinis & lacteo - ſeroſæ materiæ mirifice cohibent, aut ad minimum imminuunt. Unde ægrotantes in facie, collo, brachiis & ſcapulis vicinis aſpectum ſtrictum præ ſeſe ferunt, qui etiam in ipſa mamma obſervandus eſt.

10. Quam primum autem malum exacerbatur, & ita major ſanguinis affluxus contingit, loco talis ſtricturæ relaxatio harum partium & tumor obſervatur, & tunc etiam erumpit copioſior purulenta, ſanioſa, ichoroſa materia, tetri coloris & odoris.

11. Ceterum ipſa etiam *intumeſcentia* & *infarctus* glandularum reprimit copioſiorem affluxum. Nam ramificationes, inter glandulas diſſeminatæ, hac ratione comprimuntur, ut liber ſanguinis ex illis effluxus non poſſit fieri. Unde ſtaſis non ita invaleſcere poteſt. Impedimentum enim quorundam tantum ramulorum nullam inſignem noxam introducit.

12. Imo per hunc actum motorium non ſolum copioſior affluxus, qui corruptionem augere poſſet, reprimitur, ſed etiam materia corrupta circa ſolam ſuperficiem tenetur, ne ad interiora regurgitare, & ita latiorem corruptionem inducere poſſit.

13. Hæc omnia non ſine labore contingunt. Unde ſyndrome ſymptomatum e. g. angor, inquietudines, vigiliæ, pavores, debilitationes, lipothymiæ, ſpaſmi impetuoſi, tremores, motus convulſivi, mentis alienationes, triſtitia, taciturnitas proveniunt, tanquam conſectaria, quæ in ſtatu ſumme ancipiti ſunt familiaria.

14. Exacerbatio autem motuum ſpaſticorum, a quacunque cauſa inductorum, majorem ſenſum inducit. Unde tunc temporis dolor lancinans, vibrans, tendens, premens cum rodente & urente magis ſæviunt. Ex eodem fundamento affluxus auctior, tumor, inflatio partis proveniunt.

15. Ex hiſce conſiderationibus patet, quid ſentiendum ſit de antiquis vocabulis *humoris melancholici*, *veneno ſitatis innominatæ &c.* cancro attribui ſolitis.

16. *Cauſæ antecedentes* ſunt.

1) Vel *internæ*, de quibus videantur tabulæ medicæ de ſcirrhis.

2) Vel *externæ* e. g. contuſiones, compreſſiones, compunctiones affluxum ſanguinis poſt ſe trahentes, qui deinde in ſcirrhoſam duritiem ſicceſcit. His enim modis *ecchymoma* contingit, & ſi hoc tem

tempestive non discutiatur, absumta sensim pauca humiditate, reliqua grumosa sanguinis portio lividum scirrhum gignit, & quidem si stasis magis circa superficiem hæreat. Si vero profundior sit, non tam in cancrosam corruptionem, quam purulentam abit, nempe in abscessum.

3) His addimus in mammis (quibus ulceratis cancer primario competit) peculiarem structuram, nempe varicosam illam crispaturam vasorum sanguine turgentium, quæ ordinarie flexuoso pampiniformi situ per glandulosa corpora distribuuntur. Si hæc infarctu distendantur, impeditissimus per illa progressus suboritur, unde plenaria stasis facile contingit.

4) Hæc vasorum distensio & ampliatio satis refutat conceptus illos ἀμηχάνους, ac si talia loca simpliciter obstructa essent. Nam ampliatio docet contrarium.

V. *PROGNOSIS.*

1. Cancer *occultus* est malum difficillimæ tractationis & ancipitis eventus. Unde non mirum est, quod antecessores a temere suscipienda illius tractatione dehortati fuerint, e. g. *Hippocrates* dicit sect. VI. aphor. 38. *Quibus occulti cancri fiunt, illos non curare melius est: Curati enim cito pereunt; non curati vero longius tempus perdurant.*

2. Cancer enim per annos non paucos tranquille & sine ulteriore noxa subsistere potest. Stasis enim quando in *scirrhum* densata est, ulterior affluxus novi sanguinis non habet locum. Hinc impetuosa fermentativa corruptio contingere non potest.

3. Et licet plurimum incommodi, nempe multos dolores, agrypnias, mœrores & perturbationes subinde inferat, periculum tamen ante ulceratam corruptionem non adfert.

4. Sic etiam cancer apertus seu *exulceratus* non raro moram satis longam sibi sumit, priusquam in talem serpentem erosionem vicinarum partium progrediatur.

5. Licet enim corruptio hæc aliquid putrefactionis concipiat, præcipitem tamen, uti *sphacelus*, progressum non assequitur; id quod a materiali constitutione dependet. Nam *sulphurea* sanguinis temperies, quæ alias valde activa & fermentativa est, per salsedinis, præcipue *acescentis*, interceptionem a præcipiti tali corruptione impeditur, & ipsa materia fit inertior; uti sub *causis* dictum est.

6. Habemus in renibus manifeſtum teſtimonium, quod corruptio putredinoſa a corruptione ſalſa inhibeatur. Nam e numeroſis cancrorum hiſtoriis in variis corporis partibus vix ulla ſuppetit cancer in renibus inventi, cum tamen inflammationes & ulcerationes eorum familiares ſint.

7. Cauſa primaria tam incoërcibilis eventus in cancro eſt *duplex laſ* ipſius conformationis viarum, nempe

1) a *priori* varicoſa inflatio vaſorum ſanguiferorum.

2) a *poſteriori* depravatio tubuloſo-ſpongioſarum glandularum pe eroſionem. Ulceratio enim glandularum ſumma difficultate con ſolidatur propter ſummam ſui porofitatem, & ex hac perpetuo erumpentem humiditatem, item propter abſumtionem ſubſtantiæ tunicaceæ. Et ſi maxime conſolidentur, plerumque tamen id contingit tenera cuticula, quæ ob leves cauſas, e. g. pruritum humectationem internam, facile iterum dilaceratur. Hinc ipſi adeo *benigna* glandularum ulcera ſemper ſunt rebellia, tanto magis *cancer*, qui, præter ſimplicem ulcerationem, corruptela putrilaginoſa infectus eſt.

8. His accedit *materialis intemperies* cancroſæ diſcraſiæ, quæ hoc malum reddit refractarium. Nam hæc corruptela, quæ e parte *ſanguinea* fit *putredinoſo-fermentativa*, e ſubſtantia autem *ſeroſo-chyloſa* redditur *ſalſa*, tantam aſſequitur intemperiem, quæ fermentans eſt ſpecifico & plane ſingulari modo.

9. In *mammis* uti cancer frequentiſſime occurrit, ita in illis omnium peſſime ſe gerit, præcipue ob affluxum chyli crudi, ad acorem concipiendum apti. Nam hic in aliis partibus glandulofis ita crude & copioſe concurrere non poteſt. Sic & textura mammarum tubuloſo-ſpongioſa, numeroſiſſimis foraminulis pervia, effluendi modum ſervare non poteſt, unde perpetuo manatio illa continuat.

10. Notatu dignum eſt, quod, quo major irritatio facta, & hac ratione tam affluxus, quam corruptio ipſa aucta fuit, ſi tunc *corroſio* quidem inhibeatur, *putrefactio*, *fœtor* & *colliquatio* tanto magis inſoleſcant. Si vero *putrefactioni* occurratur, *corroſio*, *ardor* atque *vellicatio* tanto magis increbeſcant.

11. Hinc conqueritur *Heurnius*, quod uni veneno ſine alterius præjudicio potentius detrahi non poſſit, quin, ſi *corroſio* ſupprimatur, *putre-*

tredo prævaleſcat; ſin autem *putredini* (uſitatis illo tempore remediis) potentius occurratur, *corroſio* inſoleſcat.

12. Vera hæc ſunt, ſed nulla alia culpa, quam ſiniſtra efficacia medicamentorum adhibitorum. Nam quæ remedia putrefactionem inhibent, de indole ſunt fermenteſcentium. Hinc & ipſius *myrrhæ* ſolitarius & promiſcuus uſus hic nocet; quia dolorum vehementiam auget, & hinc majorem provocat affluxum.

13. Nihilominus *Stahlius* in ſententia eſt conſtanti, quod cancer non inveteratus, ſed recentior & non admodum profunde ſitus, curationem admittat, ſi modo juſtis remediis eidem ſuccurratur. De inveterato autem & profunde radicato ſpem amittit.

14. Multo faciliorem ſpondet curationem ulcerum *cancroideorum*, licet ingentis ſint circa oras duritiei, tetri coloris & odoris, atque profunde mammas occupaverint, ſi modo lividis vaſorum ambientium inflationibus nondum circumdata ſint. Provocat ad experientiam, quod in multis fœminis tam profundas mammarum ulcerationes curaverit, quibus nux juglans imponi potuiſſet. Hinc licet tales ulcerationes etiam malignitatem referant, mirum tamen quantum facilius curentur, quam verus cancer.

15. *Chirurgicam exſtirpationem* cancroſæ mammæ duplex periculum reddit difficillimam.

1) Materiæ ipſius genius vere fermentativus; cujus ſi quidquam adhuc reſiduum reſtet, eandem corruptelam iterum propagat, nominatim per partes pectoris carnoſas muſculoſas, jam ſimpliciter ſphaceloſam. Unde brevi temporis ſpatio intereunt.

2) Erronea (adſuefcens interim) pertinacia illa ad certam partem congerendi & cum ſumma contentione conſtringendi humores, difficultatem auget. Unde exſtirpata una mamma non raro in altera pares ſtaſes oriuntur. Rariſſima ſane audiuntur exempla, quæ poſt exſtirpationem *unius mammæ* multos adhuc annos vixerint.

16. Secundum hasce conſiderationes ne ipſa quidem *exſectio ſcirrhoſi noduli*, quantumcunque adhuc ſuperficialis, univerſum negotium hic exhaurit, ut omne periculum ſublatum ſit in ſolidum. Nam vera radix hujus inquinamenti maxime ſubſiſtit in ſanguiferorum tubulorum *infarctu*, ſtagnatione & ſenſim etiam in *ſtaſi* alicujus portionis. Ramuli ampliores hac ratione affecti fomitem retinent; apertio au-

tem ſemel facta corruptionem ulceroſam tanto certius invitat, & periculum, huc usque occultum, facit manifeſtum.

17. Ancipitis ergo revera eventus eſt *exciſio* ejusmodi ſcirrhi, quia plerumque paulo profundius radicatus eſt. Hinc opus eſt judicioſa dexteritate, alias præſtat non attingere hujusmodi ſcirrhos.

18. Ceterum, *contagioſum* eſſe cancrum, plures obſervationes perſuadent; id quod potiſſimum a fermenteſcente ejus indole dependet, quam a *ſeroſo-lymphatica* & *chyloſo-ſalivali* materia nanciſcitur. Non tamen adeo vehemens, nedum præpotens eſt, niſi incidat in loca, ad hoc malum recipiendum idonea, & inſuper in jam factam continui ſolutionem.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Cancri occulti.*

1. Bene monent auctores, quod præſtet cancrum occultum *intactum* relinquere, quam medicamentis irritativis oppugnare.

2. Certe quam diu quieſcit, nemo peritus in animum ſumet, medicationibus eundem irritare, atque novo affluxui & ſecuturæ corruptioni viam ſternere.

3. Commendamus tempeſtivum uſum *univerſaliorum*, nempe

1) Frequentes *laxationes*, ad minimum cum pejus habet, e rhabarb. helleb. nigr. polypod. herb. epithym. fumar.

2) *Abſorbentia* cum leni diaphoreſi interdum conjuncta.

3) Eſſentiam *ſuccini*, quæ non pœnitendi effectus eſt, præcipue ad ſtaſin discutiendam & præoccupandam, addita pauca eſſentia myrrhæ.

4) *Venæſectionem*, præcipue adſuetam, circa æquinoctia.

5) *Externe* pauciſſima admittenda ſunt. Omnibus præfertur frequens uſus *ſpiritus vini camphorati*, primum *eminus*, deinde *propius*, magis circa locum affectum quam in eodem applicandi. Sic mitigatio dolorum, quæ alias difficilis eſt, obtineri poterit.

6) Quando altius circa ſuperficiem partis hæret, neque valde diffuſus, aut magni ambitus exiſtit, præcipue vero non admodum profunde deorſum ad meditullium mammæ ſeſe extendit, nedum ut ibi baſi veluti quadam expandatur, admittit *exſectionem* per peritum *Operatorem*, *Conſ. caut.*

B. *Can-*

B. *Cancri aperti* seu *ulcerati.* Quando ad ulcerationem devolutum est malum, & insignem partis absumtionem induxit, non convenit otiosum esse spectatorem, quam diu spes est, quod ad minimum *mitigari* possint ægri cruciatus. Indicationes autem pro hujus curatione esse debent

1. *Mundificatio.*

1) Ad hunc scopum laudamus *oleum laterinum* vel simile oleum empyrevmaticum, cum oleo ovorum distemperatum; quod certe in levioris ambitus corruptione efficaciam præstat.

2) Succum *tabaci* recenter expressum, qui uti in aliis malignis ulceribus abstergendis & mundificandis, ita & hic majoris est efficaciæ, quam sibi forte quisquam persuadebit. Disponit etiam ad consolidationem.

2. *Inhibitio corruptionis.*

1) Hic optima est *myrrha*, sive in essentia, sive in ovo duro per deliquium soluta, & externe applicata.

2) Neque exiguum usum habet essentia *succini* externe adhibita.

3) His balsamicis essentiis addi potest exiguum momentum *olei terebinthinæ*, nempe quantum imbibunt, vel aliquot guttæ *olei cinnamomi*; rarius portiuncula essentiæ *aloës.* Sane in profundis ulcerosis affectibus, duro & crusto ambitu obsessis, cum doloribus perpetuis combinatis, sola hæc essentia mundificationem & consolidationem præstitit. In ipsis etiam vere *cancrosis* ulceribus egregium usum exhibuit; si modo difficultas penetrantis doloris abesset, qui tamen mitigatur, si bono spiritu paratur, qui oleum terebinthinæ assumit. Sic & *succini essentia* leniendi habet efficaciam.

3. *Cohibitio affluxus.*

Hoc opus, hic labor! Solum spiritum vini camphoratum, leniter crocatum, hic nominamus, & reliquas considerationes sub *cautelis* recensemus.

4. *Consolidatio.*

Hæc, si antecedentia sint paria, nullam involuit difficultatem, & promovetur eadem essentia balsamica, quæ e myrrha & succino parata & modo commendata est. Hæc de remediis externe adhibendis.

5. *Interne* eadem conveniunt remedia, quæ ſub *occulto* cancro commendavimus.

6. Speciatim ad *doloris mitigationem* ſatis efficacia ſunt
   1) *Abſorbentia*, præcipue quæ paululum *diuretica* ſunt. Unde *oculos cancri* cum vino ſumtos, extollit *Crato* epiſt. med. libr. 2.
   2) Proſunt etiam *emulſiones* dilutiores.
   3) *Nitri* internus uſus hic laudabilis eſt, præcipue ſi cum lenientibus, e. g. *arcan. duplicat. tartar. vitriolat.* & *abſorbente* quodam *citrato* miſceatur.

7. Ultimum præſidium, ſi tota mamma corrupta, eſt ejusdem *exſtirpatio* per ſectionem; ad quam quæ pertineant, ſub *cautelis* dicemus.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Certiſſimum eſt, quod iis affectibus, quorum indoles non eſt cognita, vera rationalis methodus & medicatio non poſſit opponi, nec etiam per medicamenta *appropriata* ipſis reſiſti. Unde non mirum eſt, quod ad cancrum quoque, cujus indoles non eſt perſpecta, nulla ſpecifica curatio, ſed generaliſſima tantum illa, quæ & aliis ulceroſis affectibus deſtinatur, aut empiricæ traditiones, adhibeantur.

2. *In cancro occulto* multa quidem commendantur, jam a Medicis, jam a Chirurgis, e. g. præparata *ſaturnina*, lamellæ plumbeæ, quibus in ſuperficie *mercurium vivum* addere docent; Item *emplaſtica unguinoſa* e fuligine, e rebus fœtidis & *abſorbentibus*, pro hypotheſi edulcorantibus, clauſo adhuc cancro imponenda. Sed re vera uti his rebus omnibus nihil agitur, ita *unguinoſis* malum exaſperatur. Hinc ab illis rebus cavendum, & nulla remedia externa, ſola camphora excepta, uſu veniant.

3. Præcipue cavendum ab *emollientibus* & *maturantibus*. Quando enim ſub intentione paregorica & anodyna pinguia, acriuſcula gummatoſa & reſinoſa adhibentur, affluxui humorum locus præbetur. Maturatione vero ſuſcepta putredo invitatur.

4. Mira ſane res eſt, quod in multis exemplis uſus variorum medicamentorum internorum cancrum *occultum*, piſi molem referentem, ita exacerbaverit, ut non ſolum mammam magis turgefaciendo, ſed & in collum, brachium, latus ſeſe diffundendo, immenſam magnitudinem conceperit, antequam in manifeſtum ulcus erumperet.

5. Ad-

5. Adverſus *cancrum ulceratum* nominamus quædam remedia & ulteriori experientiæ relinquimus, quæ paſſim ab auctoribus commendantur. Talia ſunt
   1) Oleum ſtercoris humani *Hafenreſſeri*.
   2) Aqua ſtercoris humani *Weichardi*.
   3) Oleum florum tritici *Prævotii*.
   4) Oleum ovorum, in mortario plumbeo agitatum, *Pecceti*.
   5. Lunaria racemoſa ſeu botrytis *Carrichteri*. Non addit, an externo vel interno uſu adhibenda ſit. Videtur autem & externe & interne adhibendam eſſe. Habet alias efficaciam reſolvendi, ſpaſmos & ſanguinis turgeſcentiam leniendi. Digna eſt ulteriore inquiſitione.
   6) *Onopordon* ſeu *acanthium*, Wege-Diſtel, ad faciei, narium, & labiorum carcinomata, ſecundum *Borellum*.
   7) Sal fuliginis & oleum ejus ab *Hartmanno* laudatum. Plura videantur in *Waltheri ſylva medica*.

6. *Mundificatio* commode non perficitur *cauſticis* & *ſepticis acribus*, minime vero omnium, quando dolet, rubet & tumet malum. Unde vel ab his omnibus abſtinendum, vel non uſurpanda ſunt, niſi ulcus ſit quietum. Neque diu continuanda, ſed quantocyus balſamicis inſiſtendum; temperanda quoque ſtatim, additis aut ſubjunctis ejusmodi lenientibus.

7. *Inhibitio corruptionis* excludit *balſamica acria*. Unde non probantur *olea deſtillata*, & ex his parata *balſama ſulphuris* & ſimilia. Incitant enim ſenſum & motum ſanguinis inteſtinum, ut inflammationes præſentius exardeſcant. Quando autem inflammationis & putridæ corruptionis vis prius enervata eſt, tunc uſus moderatus locum habet.

8. *Cohibitio affluxus* per *adſtringentia* nunquam commode præſtabitur. Per *diſcutientia* intenditur quidem, ſed non perficitur. Sic & *ſolis* internis *purgantibus*, *diaphoreticis*, *diureticis* fruſtra tentabitur.

9. Hinc diſpiciendum de tali remedio, quod affluxum quidem cohibet, eoque ipſo copioſum effluxum ſucceſſive retinet, ſed neque ſtrictura nimia retropulſionem materiæ ad interiora promovet, neque poſitiva aliqua qualitate corroſioni fomitem præbet (id quod

acida

acida coagulantia faciunt) ſed potius acrimoniam corroſivam obtundit & mitigat.

10. Tale remedium eſt *ſpiritus vini rectificatiſſimus*. Hic enim in totum enervat corruptiones putridas, placidiſſime coagulat mucilitatem fluxilem, discutit affluxum, leniter provocat tonum partis, & edulcorat acrimoniam ſalſam. Notum enim eſt, quod acidiſſimos liquores inſipidos reddat, & ita invertat, ut aciditatem in illis rurſus demonſtrare artis ſit. Nihil in illo taxatur quam ſolus ſenſus, quem inducit, qui vero, ſi per unum alterumve diem continuetur, tolerabilis ſit.

11. Si tali ſpiritu vini rectificatiſſimo *puro*, non *alcaliſato*, eſſentia *myrrhæ* & *ſuccini* paretur, juſta proportione miſceatur, cum debita proſecutione uſurpetur, præmiſſis & conjunctis quæ decet, habemus ſane tale remedium, quod fruſtra in multis aliis quæritur, & plus ſemel id præſtitit, quod vix quisquam ſperaſſet. Refrænat enim corruptionem, effluxum moderatur, affluxum discutit, & acrimoniam diſtemperat.

12. Sed cavendum, ne quid improvide & imperite ſuſcipiatur. Ab intempeſtivo enim aut improportionato uſu, modo *myrrhæ*, modo *ſuccini* eſſentiæ, ne mireris, ſi inflammatio, tumor & ſuppuratio quaſi effrænentur. Longe autem diverſos effectus expectabis, ſi provide, proportionate, & cum aliis debitis ſubſidiis conjungendis & ſubjungendis hanc eſſentiam adhibueris.

13. *Spiritum vini camphoratum* intra *ulcus* temere immittere, cauendum eſt. Minime omnium intra *cancrum*, præcipue *exacerbatum*. Igneum enim dolorem & plus incommodi, quam materialis commodi, infert.

14. Ad hoc evitandum *Stahlius* ita procedit. Initium facit cum ſpiritu vini camphorato, leniter crocato, qui inflammationem graviſſimam imminuit. Imponit autem lintea ſicca, deinde alia lintea cum ſpiritu vini camph. imprægnata & in aëre prius ſiccata, prioribus ſiccis ſuperimponit, poſtea penicillo pictorio eadem illinit ter quaterve, ne in ulcus ingrediatur, & tam diu pergit, donec camphora in linteo albida appareat. Ultimo linteamen tertium paucis guttis ſpiritus vini camphorati madefacit & calide imponit.

15. Circa

15. Circa *ambitum* ulceris laudabilem etiam exhibet efficaciam, modo diu & perenniter quasi atque sub præparatione penetrantissima, nihil unguinosa, adhibeatur. Sane camphora mature adhibita mitigat dolores, discutit tumores, & præoccupat periodicas repullulationes.

16. Quando corruptio interdum plexum quendam glanduloſum insignem attingit, & vasa minora corrosa sunt, atque ad majorem ramulum pertingit, pertinaces oriuntur *hæmorrhagiæ*. Has per *adstringentia* sistere velle, periculosum est, nam facile aliquid corruptelæ ad interiora repellitur. Proderit in tali casu spiritus vini rectificatissimus jam nominatus.

17. Si casus medullitus mundificatæ corruptionis, discussi tumoris, relaxatæ duritiei, & ad naturalem teneritudinem reducti membri præsto esset, in quo perennis tantum manatio e porosis & tubulosis meatibus glandularum permaneret, tunc usum *croci martis adstringentis*, præmissis & coniunctis, quæ decet, suaderemus. Nam, ut recte censet *Paracelsus*, efficacissimum habet usum desiccatorium, & sub siccitate consolidationem promovet, atque hoc ipsum superficiali, non nimis profunda, adstrictione.

18. Cavendum ne ad *dolores*, in cancro mitigandos, *opiata* interne frequenter & copiose adhibeantur. Nihil sane boni præstant *narcotica* in talibus doloribus & corruptionibus, ad quales motus intenti, vigiles, anxii, trepidi concurrunt. Sic & *externus* usus *stupefacientium* non debet esse temerarius, prudens autem non rejicitur, modo sub summa circumspectione instituatur. Ita enim haud frivolum est, quod tradit *Paracelsus oper. chirurg.* p. m. 618. nempe libro von offenen Schäden cap. LX. lit. B. Alle Löcher, die treflich um sich fressen, ist ein besonderes Stück, daß mans zuvor wohl lösche. Unde commendat ibi *hyoscyamum*, cui *Stahlius* substituere suadet *hyoscyamum Peruvianum*, nempe *tabacum*, cuius efficacia in talibus ulceribus est admiranda.

19. Violentia remedia *arsenicalia*, nempe *arsenicum*, *auripigmentum*, *realgar*, graviores noxas minantur; quidquid promittant scriptores. Si vero *Fallopii* experimentum, quod habet de tum. p. I c. 3., eventui secure responderet, neque pura corrosione ageret, esset tolerabilius: Sed prius non fidendum, quam effectus fuerit probatus.

20. Tota intentio, *arſenicum* adhibendi, videtur ſuperſtructa eſſe opinioni illi, *quod cancer vivat*, & hinc occidendus ſit, vel quod ex innumeris *vermibus* viventibus conſletur. Sed uti prior opinio vana, & tanto minus aliquid temere ſuſcipiendum eſt; ita poſteriori conceptui *venena vermium*, nempe *anthelmintica* amara ſatisfacerent, uti alia ulcera *verminoſa* docent, neque opus eſſet tam periculoſum *venenum arſenicale* aſſumere.

21. Hac enim ratione natura, quæ jam ob putredinoſam corruptionem anxie trepidat, per venenum penetrantiſſimum & fermentativum in tanto graviores perturbationes conjicitur. Et uti conſumtio *ſolidæ* portionis ab hoc corroſivo præceps incitatur, ita corruptio *fluidi* præſentius & altius penetrat, quam in ſuperficie natura reformidat. Augeſcunt ita internæ anguſtiæ, turbulenti ſpaſmodici motus & facile ad febriles, gangrænodeas convulſivas funeſtas cataſtrophes tranſitus ſit.

22. Sic & alia corroſiva damnantur. *Mercurius* quoque ipſe non ſolum ſalivationem, ſed & alia graviſſima ſymptomata efficere ſolet. Incipiunt enim exinde quaſi ebullire ulcerationes, & hac ſpumida ebullitione magis tumidæ fieri.

23. Ex eadem abſona phantaſia, quod nempe cancer vivat, prognata eſt *ridicula intentio*, oblatis & alligatis nutrimentis, e. g. *carnibus*, eundem *ſaturare*, ne in corpus ægrotantis depaſcentem ſuam efficaciam exſerat.

24. Inepta quoque eſt *curatio ſympathetica*, per impoſitionem *cancri fluviatilis*, cujus chelas ligare & ulcerationi cancroſæ impoſitas tam diu ſervare jubent, donec moriatur, ſicque mortuum (alii adhuc vivum volunt) in fluvium iterum projicere.

25. De *ſolani furioſi* uſu interno, herba & baccis, traditur quidem, quod cancrum ad ſpontaneam ſecesſionem a parte ſana perducat, ſed effectu, cui fidere liceat, nondum innotuit. Interea ulteriorem meretur obſervationem, nam in duobus exemplis bene ſe commendavit.

26. *Winterus* in *Hippiatro* ſuo mentionem facit, quod, ſi equo laboranti morbo illo, quem den Wurm appellant, notabilis doſis e. g. drachma pulveris *radicis napelli* vulgaris cœrulei ingeratur, tumor ille diſſolvatur & equus reſtituatur. Sin autem *ſano* equo præbeatur, illum inde perire. Sed in re valde dubia nihil ſubſidii pro alio dubio eximendo ſperandum eſt.

27. Non

27. Non tacenda est methodus *Paracelsi*, qui ulcera cancrosa *ab intra extrorsum* curare docet per *potiones travmaticas* & *mundificantes*, deridens Medicos, quod per alvum purgent, cum per ipsum ulcus purgare debeant. Talium simplicium distinctam facit denominationem im Hospital-Büchlein; quod alias non æque prompte facere solet. *Stahlius* asseverat, quod antiqua ulcera, ad 18. annos gestata, per sola talia interne exhibita vegetabilia sanata fuerint, vbi primum copiosus effluxus & paulo post spontanea siccatio & consolidatio successerint; Operæ pretium sane esset, plura experimenta de hac re instituere. In viro quodam, qui per longum tempus plurima cacoëthea ulcera cum insigni tumore in pede gestaverat, hasce herbas, præmissis generalioribus, in forma decocti propinavimus. Sub initium siniſtrum effectum observavimus, tumor enim & dolores augebantur. Quum vero dictis herbis radices ari & pimpinellæ albæ adderemus, ulcera primum largissime fluebant, mox autem siccabantur & brevi tempore universus tumor evanescebat. Habemus etiam aliam observationem hac de re dignissimam in ægro quodam, cui post *fistulæ ani operationem* decoctum hoc propinavimus. Hic enim, uti alias, ita etiam facta operatione, alvum quotidie bis deponebat. Quarto circiter die bibere hoc decoctum incipiebat, quo tempore diarrhæa insigni, sed sine torminibus, corripiebatur, quæ per tres dies ita continuabat, ut Chirurgus hanc molestiam ægre ferret. Quum vero sub decocti continuatione diarrhæa non solum cessaret, verum etiam mundificatio & exsiccatio ulceris ad votum succederet, effectum hujus remedii peculiarem omnes mirabantur.

28. Nulla in hunc usque diem sufficiens est consideratio *acrimoniæ salinæ*, & ad talem producendam præsentissimæ efficaciæ admixtionis *subtilis sanguinis*. Agnoscendum tamen, quod *bilis veterum*, qualem ad ulcerosas energias allegant, nihil aliud sit, quam simplex miscela paucissimi sanguinis, cum salsuginoso sero & gelatinosa lympha conspirantis, in partibus magis exsanguibus ad stasin correpti, & denique in corruptionem devoluti.

29. Corruptio cancri *salso acetosa* licet lintea rodat, instrumenta ferrea denigret, & diuturniore mora rubigine inficiat, non tamen adeo potenter & præsentanee substantiam mammarum corrodit, nisi per insperſionem pulverum *absorbentium* dolores sistere velint, quo casu

ulcus in liquamen fœtidum abit, & mamma putredine colliquescit. Sic & *corrosiva septica* mammarum substantiam vehementer absumunt.

30. De cancrosis *faciei* ulceribus monendum, quod peculiaris sint malignitatis. Primum noduli turgescentes oriuntur, qui dum ulcerare incipiunt, talem corruptionem subire solent, quæ non tantum faciem exterius depascit, sed profundius etiam ad cavitatem oris rodere conspicitur. Veteres hunc affectum appellabant: *Noli me tangere*, indicabant nempe abstinendum hic esse a vulgaribus remediis. Valet & hic illud, quod *Hippocrates* de cancro *occulto* dixit: *curati citius intereunt*.

31. Causa præcipua hujus difficultatis est textura valde *glandulosa*, *tubulosa*, non tam cutis faciei, quam involucri & ambitus oris interni, qui multo ac perpetuo accessui humoris lymphatico-salivalis destinatus deficcari absque regurgitatione non potest.

32. *Tangi* tamen & potest & debet congruis medicamentis, præcipue *camphoratis* in *ambitu*, *& oleo myrrhæ* per *deliquium* in cavitate ulceris.

33. *Borellus* observationem quandam habet de rustico empirico, qui has ulcerationes simplice quodam *cardno*, superius jam nominato, curaverit, nempe illo, qui vulgo *onopordon* dicitur. *Stahlius* huic observationi suffragatur, asseverans, quod incipientem faciei ulcerationem succo talis herbæ intra 14. dies curaverit, quæ & aliorum & sui ipsius remedia ante respuisset.

34. Profundæ cancrosæ *labiorum* ulcerationes intus cavernosæ & sinuosæ, als wenn lauter Pfeffer-Körner inwendig darinnen wären, nempe turgentibus, quæ alias non conspicuæ sunt, glandulis, revera summæ sunt difficultatis, nec ibi facile quidquam satisfacit, inprimis propter affluxum perpetuum, & glandularum illarum mollium texturam. Præcipue quando in *ora* & *ambitu* ulceris callus induratus & verrucosus adest. *Mercurialia* summe hic noxia observata sunt.

35. Sic & longe difficillimæ sunt curationis *strumæ cancrosæ*, propter summe spongiosam structuram & laxitatem, siquidem nihil sunt, quam glandulæ dilatatæ, extensæ & inflatæ. Unde, nisi plane ad *vivum* perveniant remedia, frustra erit tractatio. Sic & *exscissio*

pe-

peritam expoſcit dexteritatem propter vaſculorum con- & intercurrentium formidabiles læſiones.

35. *Uteri cancer* rarius occurrit, & ſemper fere ſuſpectam reddit cauſam veneream. Non mirum eſt, ſi male cedat eventus. Nam diſcuſſio & reſolutio neceſſaria hic non habet locum, ſic & balſamicæ eſſentiæ propter exquiſitiſſimum in hiſce partibus ſenſum non poſſunt adhiberi. Ergo ſolæ injectiones locum habent. Probari in tali caſu poſſet *lunaria* illa, quam *Carrichterus* omni cancro curando deſtinavit.

37. Denique de chirurgica *exſciſſione* præter ea, quæ ſub *prognoſi* dicta ſunt, nonnihil adjiciemus.

1) Si *ſcirrhus cancroſus* exſcindendus eſt, cautela adhibeatur, ne tale quid tentetur, niſi tactu dijudicari poſſit, quod ſcirrhus verſus *ſuperficiem* hæreat, & apice tantum in profundum ſpectet. Si vero apex in ſuperficie, lata autem ſtaſis in profundo hæreat, exſciſſio diſſuadetur. Locum inprimis habet hæc exſcisſio in recentioribus adhuc ſcirrhis. Aſſeverant autem periti, quod & in hoc genere anceps ſit operatio, & proſtant exempla, in quibus, licet abſciſſa fuerit tota mamma, malum tamen non ceſſaverit, quia portio ſanguinea infecta in reliquo vaſculo remanſit.

2) *Ulceratæ cancroſæ mammæ exſtirpatio*, niſi illa enormiter diſtenſa & per totum ſuum latifundium graviſſime indurata ſit, commodius peragitur, ſi transfixis acubus firmis, aut inſtrumento fuſcinæ capacis per ipſam adacto, cum filo cannabino craſſiore, aut funiculo ſericeo, cutis ſucceſſiva ſtrictura ita contrahatur, ut inde diſcrimen mammæ a muſculis pectoralibus tanto luculentius manifeſtetur; quo impetrato ipſa abſcisſio tanto felicius ſuccedit.

3) Facta abſcisſione ad *hæmorrhagiæ* cohibitionem commendantur alibi *ſtyptica*, alibi *cauterium actuale*. Ultimum præferimus, modo graviſſimus ſenſus a præſente virium ſtatu tolerari poſſit. Corrigit enim ignis velut in momento corruptelam illam, quam *adſtringentia* non niſi nude *cohibere* poſſunt, *corrigere* vero nullo modo valent. In re difficiliore præferimus uſum ſpiritus vini rectificatiſſimi, pro hoc eodem *ſtegnotico* effectu, utpote omnibus indicantibus melius, quam adſtringentia quadrantem.

4) Monent vulgo tolerandam aliquam diu esse hæmorrhagiam ut miasma, quod sanguinem in vasis conspurcaverit, priu eliminaretur; sed hoc fruſtraneum arbitramur. Ceterum ipsa hæc hæmorrhagia ordinarie tam immensa esse non solet utpote magis a solis mammariis vasis dependens.

TABULA LI.

DE

CARIE OSSIUM.

I. *DEFINITIO.*

Caries est partium ossearum arrosio, modo a causis internis, modo ab externis originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Caries* est
   1) Vel *simplex*, seu *idiopathica*, quæ sine alio morbo, a causis plerumq externis derivanda est; rarius a causis internis e.g. decubitu humorum
   2) Vel *symptomatica*, quæ frequentius occurrit in iis, qui scorbut & præcipue morbo gallico altius infecti sunt.
2. Caries differt *gradibus*.
   1) Primus gradus exhibet flavam pinguedinem in superficie ossis, & tum dicunt Germani: das Bein ist angelaufen.
   2) Secundus gradus colorem nigricantem ostendit.
   3) Tertius offert inæqualitatem ossis asperam, multis foraminulis manifestam.
   4) Quartus gradus corruptione sua altius penetrat per ipsa ossa, & illa quasi liquefacit. *Conf. cautelæ.*
3. *Spina ventosa* germ. der Wind-Dorn est etiam species corruptionis ossium, & in eo tantum a carie differt, quod *intus* originem suam sumat, & *extrorsum* rodendo pergat. Caries autem in superficie ossis exoritur & introrsum rodit. Tres habet *spina ventosa* gradus.
   1) Quando corruptio intus adhuc occlusa est, quo gradu dolores *spinosi* quasi in meditullio sentiuntur, externus autem contactus ossis illos non exacerbat.

2) Quan-

2) Quando corruptela fit manifesta, præcipue tumore spongioso & quasi *ventoso*.

3) Quando tumor ille perrumpit in *ulcus*, fœtidum serum plorans.

III. *SIGNA.*

1. Cognoscitur vtplurimum caries ex *asperitate* & *inæqualitate* ossis affecti. Refert enim spongiosam quandam exturgescentiam & texturæ suæ inflationem.
2. *Mollius* etiam inde os evadit, & promtius quasi *friabile* est.
3. Instrumento quando raditur, exhibet *stigmata* quædam aut parvas *lineas gryseï* vel *nigricantis coloris*. Nam ductus subtilissimi per ossium etiam duriorem compagem excurrunt, in quibus humores teneri moventur. Quando autem hi humores inspissantur, coagulantur, & sensim corrumpuntur, talem adspectum in osse exhibent.
4. *Simplex* caries est aliquo modo siccioris adspectus, *venerea* autem magis in tabum diffluit. Unde etiam simplex languidius a parte reliqua secedit.
5. Et hoc de manifesta potissimum carie valet. Quæ autem *abscondita* est, prodit sese excretione materiæ tetri coloris & adversi odoris; exploratur etiam instrumento. *Conf. num. 1.*
6. *Dentium* cariei signa omnium sunt notissima.
7. *Spina ventosa* quando externe manifesta fit, tumorem quasi ventosum exhibet cum doloribus exquisitis, qui sensum referunt, ac si spina infixa esset. Initium plerumque in extremitatibus ossium, vtpote mollibus, sumit. Frequens est infantibus, præcipue in artubus. Dolores in meditullio persentiscuntur, quam diu corruptio adhuc in occluso est, per contactum non exacerbantur.

IV. *CAUSAE.*

1. Caries uti a pluribus *occasionalibus* causis suscitari potest, ita *continentes* sunt tantum duplices, vna *generalior* ab ulcerosa partium mollium vicinarum corruptione dependens, altera *specialior*, quæ vel ab ossis ipsius conquassatione, contusione, fissura, vel venerea aut scorbutica infectione provenit.
2. Et sic causæ internæ sunt
   1) Corruptio humorum *scorbutica*.
   2) Infectio illorum *venerea*.
3. *Spina ventosa* easdem agnoscit causas, easque magis internas, quam ex-

externas, licet fissuræ & fracturæ ossis etiam subinde ansam præbeant.

4. Causæ autem *externæ* cariei sunt,

1) Denudatio diuturna e. g. post vulnera ad ipsa ossa penetrantia, eaque a superstratis musculis & integumentis denudantia. Accedente enim *frigore*, atque hinc desiccatione, ipsa textura ossium magis stringitur, humiditates intercedentes coagulantur, & ad sui corruptioem disponuntur.

2) *Contusiones* graviores & fracturæ pari passu cum vulneribus ambulant ad cariem inducendam.

3) *Ulcerationes* diuturnæ, ossa immediate attingentes, frequenter etiam cariem inducunt.

4) Præcipue quando ulcerationibus talibus incongrua remedia metallica, ossibus inimica, adhibentur, e. g. *æs viride, unguent. Ægyptiac. Fel. Wurzii.*

5) *Dentium* caries vulgata opinione *sacchari* nimio usui adscribitur, neque negandum, quod ad dentes inficiendos aliquid contribuere soleat.

6) Longe tamen majoris efficaciæ est frequens usus *emulsivorum nucleorum*, inprimis *amygdalarum*; quarum *rancida* corruptela cariem inducere, aut ad minimum illius præcipitem successum promovere solet.

V. *PROGNOSIS.*

1. Est caries ossium revera sonticum malum, & tanto magis in chirurgia medica considerandum, quanto sæpius per incongrua remedia chirurgica inducitur. Et licet corruptio non sit præceps, sponte tamen sua non remittit.

2. Caries simplex non adeo cito se diffundit, non ita fortiter erodit & colliquat, quam *venerea*; nisi per inconvenientia remedia incitamentum potius, quam remora, illi objiciatur.

3. Necesse autem ubique est, ut mature tali corruptioni occurratur, alias latius serpendo pessimos effectus inducit.

4. Nempe ossa inæqualiter rodit, aliquando liquat, alibi abscessiones, frustulorum instar, efficit vel situ quasi eadem obducit.

5. Partes etiam *connexas* tendinosas, membranosas, ligamentosas simul ulterius corripit, & in peculiarem acrem vehementer salsam crasin mutat. Unde major ardor & dolor exoritur,

6. Præ-

6, Præterea partium *mollium*, simul corruptarum, inæqualis fit corrosio. Unde ulcera sinuosa pejoris moris & tractationis evadunt.

7. *Dentium* caries est malum, si quod aliud, incurabile. Medicamenta enim vel applicari vel diu ibidem tolerari non possunt.

8. Reliqua ossa, si mature caries vel per medicamenta inhibeatur, vel per instrumenta removeatur, callum iterum generant, & ita foveam rursus explent; cujus rei exemplum est in *calvaria*. Sed in dentibus diversa plane & dispar est ratio, quidquid enim in illis corruptum est, corruptum manet.

9. Respectu etiam usus dentium caries est res incommodissima.

10. *Spina ventosa* calamitosum est malum, aditum enim prius non concedit, quam ad ἀκμὴν pervenerit, & tum sphacelus non raro supervenit.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Cariei ossium occurritur in leviore casu per medicamenta medico-chirurgica; quæ corruptionem inhibent.

1) Hic sufficit *essentia succini*, externe applicata & legitime præparata, addita minore portione *essentiæ myrrhæ*, paucis guttis *olei terebinthinæ*, &, si placuerit, pauca quantitate *essentiæ aristolochiæ longæ* aut *rotundæ*.

2) Ad inhibendum progressum corruptionis puttedinosæ usum etiam præstant *olea acriora*, e. g. caryophyll. inprimis *cinnamomi*, tanto magis, ubi immediate applicari & ita secundum pretium suum operæ etiam pretium hæ guttulæ facere possunt. Guttatim enim in talibus circumstantiis adhibentur; quamvis etiam genuinum cinnamomi oleum, in spiritu vini solutum, applicari potest. *Conf. cautel.*

3) Præter hæc medicamenta, corruptionem *inhibentia*, commendant alii alia, quæ corruptam partem *auferant*, nempe *corrosiva*, sed maxima indigent circumspectione, e. g. *unguent. Ægyptiac. æs viride*, *ung. Wurtzii*.

2. In *profundiore* autem corruptione medicamenta, utpote progressum tantum corruptionis inhibentia, non sufficiunt, sed manuali operatione opus est. Per hanc enim una hora plus quam medicamentis toto mense obtinetur. Est autem duplex:

1) Abraſio, quæ fit per *ſcalprum raſorium*, conjunctis omnino eſſentiis balſamicis.

2) *Uſtio*, quæ in vehementiore corruptione requiritur. Verum enim hic manet *Celſi* aſſertum: *Quod medicamentum non ſanat, ferrum ſanat; quod ferrum non curat, ignis curat; quod ignis non curat, incurabile eſt.*

3. *Ulcus* quando complicatum eſt, conveniente methodo tractetur, & ubi cauſæ *venereæ* vel *ſcorbuticæ* ſubſunt, harum ratio habeatur per media interna, ſuo loco indicata. Præcipue autem in *ſpina ventoſa* interna talia requiruntur, de quibus ſub *cautelis* dicemus.

4. *Dentium* caries multas involvit difficultates.

1) Eſt aliquis locus *uſtioni* per ferrum candens, ſed circumſpectione opus eſt, ne loco ſubſtantiæ oſſeæ carioſæ *gingiva* & *radices* oſſium immani cum dolore urantur. Poſt uſtionem cavitas, ſi in maxilla inferiore ſit, plumbo adaptato commode expletur.

2) Neque contemnendi uſus eſt, ſi per initia apparentis cariei dentes frequentius per diem *ſale communi* largiter fricentur, & ſal non ſtatim aqua abluatur, ſed ſucceſſive tantum exſpuatur, ut altius ſubſtantiæ dentium ſeſe inſinuare poſſit.

3) Reliqua videantur *tabula medica de odontalgia.*

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Dioſcorides* commemorat, quod *euphorbium*, affectæ parti impoſitum, intra 24. horarum ſpatium partem corruptam a ſana abſcedere faciat. Sed dolendum, quod *veterum* euphorbio deſtituti ſimus. Habemus quidem adhuc hodie *crama* quoddam *gummatoſum* potius quam *reſinoſum*, lacrymam nempe ex arbuſculo profluentem, quæ cum reliquis a *Dioſcoride* allegatis ſignis ſatis quidem convenit, alieniſſima autem eſt ab effectu, quem eidem tribuit. Nam abſceſſi corruptæ portionis a ſana vix 24 imo 40 *dierum* ſpatio exſpectandi eſt. Interim vero cauſtica ſua acrimonia ingentia incommoda, & vix non damna, mollibus partibus infert.

2. Meliorem efficaciam conſervando & præſervando vividam oſſis portionem exſerunt *eſſentiæ* illæ *balſamicæ*, ſub *methodo* allegatæ. Nam *ſpiritus vini* conſervativa efficacia jam ante centum annos innotuit, cujus rei in obſervationibus *Valeriolæ* veſtigia conſpicua præſto ſunt.

Ipſa

Ipſæ etiam partim *reſinoſæ*, partim penetranter *amaræ* ſubſtantiæ, e. g. eſſent, *ariſtolochiæ* oſſibus peculiariter amicæ obſervantur, ita ut ulteriorem corruptionis diffuſionem inhibeant.

3. *Oleum caryophyllorum* & *cinnamomi* præcipuum uſum habent in oſſium *palati* arroſionibus, quaſi *venereis*, aut, ſubtracto tantisper contagio *venereo*, in remanente adhuc corruptione, quaſi *ſimpliciore*. Ubi oleoſa talia aromatica eſſentiis, ſub methodo dictis, ſociata, in nares ſubtili *ſyringa* injici, & naribus attrahi poſſunt, ut ita per *infundibulum* allabendo ulterioris corruptionis progreſſum ſiſtant. His enim nulla alia efficaciora ſunt remedia.

4. Quando autem *liquoribus ſepticis mercurialibus* narium arroſiones venereæ tanguntur, graves exacerbationes eveniunt, totaque narium ſuperficies excoriatur, cum graviſſimis ſymptomatibus.

5. *Operationem inſtrumentalem* difficilem reddunt exitus illi *devii*, qui in ulceratione, ab oſſe carioſo proficiſcente, vel illud concomitante, interdum deprehenduntur, & ad ſpithamæ longitudinem ab origine ulceris atque oſſis corrupti nonnunquam diſtant.

6. Ita enim occurrunt hinc inde apud Hiſtoricos Medico-Chirurgos, caſus longinquorum decubituum, ubi materia ichoroſa, quæ ex oſſe carioſo & ſimul ulcerata portione membranacea provenit, (pro ſitu corporis & cohærentium partium muſculoſarum decurſu) longe a parte affecta deorſum fertur, & tandem excitato tumore erumpit.

7. Sic e. g. occurrunt exempla, ubi ex *oſſis iſchii* fractura vel potius *fiſſura* corrupta ſanies ad *talum* pedis defluxit, & ibi formato ulcere effluxit.

8. Ita etiam a *fiſſura oſſis femoris* ulcerationes infirmarum pedis partium eveniunt.

9. In *coſtarum* quoque carioſa arroſione familiariter eruptio ulceris circa confines coſtas aut abdominis mollioris confinia exoritur.

10. Ex hisce omnibus ſatis apparet, quod, quia cariei locus ab ulcere longe remotus eſt, non ſolum ulcus curationem non admittat ante cariei exſtirpationem, verum etiam hæc ipſa ſit res intricatiſſima.

11. Certe in eiusmodi caſibus nulla, vel ad minimum irrita eſt omnis curatio, niſi ad os & fundum mali pertingere liceat. Sed hic opus

eſt generoſiore conſilio & dexterrimo Operatore, qui ſectionem ad originem usque ulceris inſtituat, exemplo Profeſſoris quondam lenenſis, *Rolfincii*, qui peculiari cultro a genu ad coxendicem usque inciſionem fecit, & detectam hac ratione cariem feliciter curavit.

12. Difficiles etiam ſunt ulcerationes, quæ in locis *inferiorum tibiarum* evenire ſolent. Sic nota ſunt exempla, quod *maniaci*, catena in hac regione diu ligati, poſt inflammationem profundam ibidem corruptionem & colliquationem acceperint. Hac ratione delirium quidem ſolutum, ulcus autem incurabile fuit, e quo per vices feſtucæ & carioſæ oſſis partes colliquatæ profluebant.

13. Ita etiam e gravibus oſſium *contuſionibus* evenire ſolent tales corruptiones incurabiles, niſi tota pars abſcindatur. Sed tales operationes illis ſunt tradendæ, qui & prudentia & animoſitate pollent. Præſtat enim ægrum, licet claudicantem, conſervare, quam morti illum tradere.

14. In quacunque autem oſſium denudatorum, nedum carie affectorum tractatione aëris, præcipue *frigidi*, diuturnior acceſſus excludendus eſt.

15. Cavendum etiam ab *unguinoſis*, *pinguibus*, inprimis autem a *ſepticis venereis*, utpote quæ peculiariter oſſibus corrumpendis idonea ſunt.

16. In *dentibus*, ſi usquam alibi, eluceſcit efficacia *metallicorum*. Subjecta enim ſenſibilia per ſolam dentium cum acubus frequentem agitationem cariem incurrere poſſunt.

17. Denique de *mercurialibus* adhuc notandum, quod, licet adeo penetrantis efficaciæ ad corrodenda oſſa non ſint, niſi admodum corroſiva, & ita modicum *mercurii præcipitati rubri*, ipſi oſſi impoſitum, adeo formidabile non exiſtat, nulla tamen neceſſitas illorum uſum efflagitet.

18. *Spina ventoſa occulta*, ubi ſuſpicione venit, ibi reſpiciatur, num ab infectionibus venereis vel inquinamentis ſcorbuticis derivanda ſit, atque pro harum rerum prudente diagnoſi curatio interna inſtituatur.

19. In *venerea* cauſa conducunt *decocta lignorum* per aliquod hebdomadas uſurpanda cum regimine, præcipue autem mercurialia, quia in tali

tali casu decocta raro sufficiunt; conjunctis succinatis & floribus sulphuris, ad scrupulum propinandis.

20. In corruptione humorum *scorbutica* commendantur ea, quæ *tabula medica* de *scorbuto* diximus.

21. Quando his internis malum non cedit, commendant auctores *terebrationem* seu *perforationem* in cavitatem usque ossis, ut materia exitum nanciscatur. Deinde balsamicis, uti cariem manifestam, illud tractare docent. Nam balsamica, ob denegatum exitum colliquatæ acris salsæ corruptelæ in tot foraminulis, quæ in cartilagine sunt, nihil efficiunt.

22. Hinc partis *exstirpatio* ultimum est refugium.

TABULA LII.

DE

VULNERIBUS GENERATIM.

I. *DEFINITIO.*

Vulnus est continuitatis læsio, in partibus præcipue mollioribus, per vim externam, instrumento secante, pungente vel rumpente illata. Sub quo læsionis actu repentina fibrarum divulsio contingit, & sanguinis ordinarie effusio subsequitur.

II. *DIFFERENTIA.*

Vulnerum differentiæ sunt fere innumeræ.

1. Modo enim consideramus *partis læsæ* conditionem, an sit sanguifera, carnosa, vasculosa, exsanguis, densitate ac robore prædita, sive magis laxa & mollis, sensibilis vel minus sensibilis, nempe nervosa, tendinosa, ligamentosa, glandulosa.

2. Modo perpendimus, num vulneratio sit in partibus tantum *externis*, an vero *viscus* aliquod *vitale* simul vulneratum sit.

3. Modo ab *ipsis partibus* vulneratis vulnera nominantur, e. g. vulnera capitis, cordis, pulmonis, hepatis, ventriculi, musculi, tendinis, arteriæ, venæ, artuum &c.

4. Modo denominationem accipiunt a *forma*, quo reſpectu ſunt magna, profunda, parva, ſuperficialia, recta, obliqua, rotunda, ſimplicia, compoſita, ſeu cum *fractura* aut *luxatione* conjuncta.

5. Porro denominantur vulnera a diverſis *cauſis*, *inſtrumentis* & *modis*, quibus inffiguntur, e. g. vulnera cædendo, pungendo, contundendo, dilacerando, mordendo, verberando, inflicta; item ſclopetaria, venenata.

6. Denique etiam a *proportione* ad *reſtaurationem* vulnera alia dicuntur levia, alia gravia, alia lethalia, alia non lethalia; de qua re fuſius agemus *tabula de lethalitate vulnerum*.

III. *SIGNA.*

1. Signa vulnerum in partibus *externis* aſpectu quidem ſatis conſtant, paucis tamen circumſtantias illas deſignemus, quas vulnera *ſibi relicta* exhibent, ut avtocratica naturæ reſtitutio & negotium vitalitatis primo limine innoteſcat.

1) Vulnus *ſimpliciter carnoſum*, *leve* vel *mediocre*

a) Poſt inflictionem mox dilatatur, & pro differentia vaſculorum ſimul læſorum, plus vel minus ſanguinis ſtillat.

b) *Hæmorrhagia* poſt aliquam moram ſponte ſua plerumque ſubſiſtit.

c) Portio ſanguinis in vulnere reſtitans in *coagulum* & ſenſim in cruſtaceam conſiſtentiam abit.

d) In peripheria *tumor inflammatorius* cum dolore & ardore ſeſe manifeſtat, intercurrentibus non raro motibus febrilibus.

e) Circa quartum circiter diem *materia purulenta* in vulnere apparet; quo tempore tumor inflammatorius & reliqua ſymptomata notabiliter remittunt.

f) Sub hac materia purulenta *nova caro* e vaſculis læſis per totam vulneris cavitatem ſuccreſcit.

g) Cavitas quando expleta eſt, humida illa & tenera novæ carnis portio *ſiccatur*, *cicatrix* inducitur, & vulnus conſolidatur.

2) Vulnus autem *vaſis ſanguiferi capacis*, inprimis *arterioſi*, *inciſi* vel plane *diſciſſi*, item *nervi* alicujus vel *tendinis*, avtocraticam hanc reſtaurationem utplurimum reſpuit,

2. Signa

2. Signa vulnerum *internorum.*

1) Hæc ſunt obſcuriora. Hinc judicatu ſæpe difficile eſt, quænam partes internæ læſæ ſint, & quousque vulnus penetraverit.

2) Conferendæ ſunt in caſu tali dubio omnes circumſtantiæ, e. g. conditio inſtrumenti, modus læſionis, ſitus vulnerati.

3) Anatomica fundamenta multum lucis hic affundunt & *prognoſin* facilitant. Ex conſideratione enim actionum læſarum & *excretorum* conditione ſæpius dignoſcitur, quænam pars ſit vulnerata. De hac re tabulis ſequentibus ſpeciatim agemus.

IV. *CAVSÆ.*

1. Cauſæ vulnerum omnes ſunt *externæ.* Licet enim pars quædam *interior* aliquando rumpatur, dependet tamen hoc a motu violento, exterius facto. Huc pertinent inſtrumenta

1) *Secantia:* e. g. gladii, ſecures bipennes, cultri, vitra, forfices.

2) *Pungentia:* e. g. haſtæ, pugiones, furcæ, clavi, ſicæ, ſagittæ, acus, ſpinæ, dentes.

3) *Perforantia obtuſa*, quæ ſumma vi intruduntur, e. g. globuli e bombardis vel ſclopetis exploſi.

4) *Contundentia:* lapides, mallei, baculi, pugni, flagra, lapſus, oneris vehemens elevatio, vociferatio.

5) *Corrodentia:* Huc pertinent omnia cauſtica, ſpeciatim etiam ignis.

2. Cauſas *ſymptomatum* is, qui negotium inflammationis & maturationis habet perſpectum, facile reddet, neque indigebit *Helmontii exotica qualitate*, quæ ſub ſolutione continui ſimul inducatur, unde labia vulneris indignata æſtuent &c. Conf. *tabula medica de inflammatione.*

V. *PROGNOSIS.*

Hanc *tabula de lethalitate vulnerum* exhibebimus.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Generalis.*

Univerſa vulnerum curatio tribus momentis abſolvitur: videlicet mundificatione, conſolidatione & ſymptomatum conveniente tractatione.

1. *Mun-*

1. *Mundificatio.* Ad hanc pertinent ſequentia:

1) *Heterogenea* modeſte & convenientibus inſtrumentis e vulnere ſunt educenda, e. g. feſtucæ, tela, globuli &c. de qua operatione inferius agetur.

2) *Sanguis* in *proximis* poris ſtagnans & coagulatus eſt eliquandus, in *pus* convertendus, & ſucceſſive evacuandus; quod præſtant ſic dicta *digeſtiva* & *maturantia.* In hunc finem laudantur:

a) *Unguentum digeſtivum* e vitello ovorum, melle, terebinthina, gummi elemi, olibani, maſtichis, paratum. Hoc non ſolum ſanguinem, in proximis poris coagulatum, maturat, eliquat & in *pus* convertit, ſed etiam fibras balſamica ſua virtute roborat, ut per tonum naturalem nimius ſanguinis affluxus reprimi & ſymptomata inde pullulantia averti poſſint.

b) In vulneribus partium *carnoſarum* commode huic unguento admiſcetur modicum *myrrhæ rubræ,* ad lentores mucidos occupandos vel abſtergendos.

c) In vulneribus *anguſtis* & *profundis*, ubi minor affluxus materiæ minor ſtaſis & inflammatio obſervatur, maxime inſervit *eſſentia balſamica Stahlii*, e myrrha, ſuccino & momento olei terebinthinæ parata. Hæc præſentem corruptionem mitigat & imminentem impedit. Ardor, quem ſub initium infert, eſt paucorum tantum momentorum.

d) In anguſtiis talibus & profundis vulneribus, præcipue quando in certam cavitatem penetrant, *decocta* ex herbis vulnerariis parata, & cum *melle deſpumato* mixta, mundificandi ſcopo infunduntur.

e) In hunc finem præcipue commendatur *tabacus*, qui & in mundificandis & conſolidandis vulneribus efficaciſſimus eſt. Conducit etiam ſuccus *chelidonii, milleſolii*; item *liquamen myrrhæ* cum momento *olei hyperici.*

3) *Sanguis* vero *latius* detentus ob *nimium affluxum* eſt discutiendus Chirurgi vocant den Zufluß abwenden. Remedia, quæ in hunc finem adhibentur, *defenſiva* audiunt, e. g.

a) *Emplaſtra defenſiva*, quæ e reſolventibus, lenientibus, discutientibus & refrigerantibus parantur, e. g. emplaſtr. de *ſpermate ceti* cum empl. de *meliloto* remixtum, & eminus circa vulnus applicatum. Item emplaſtrum *diapalmarum*, modice camphoratum.

b) Spe-

b) Speciatim *emplaſtrum de ſpermate ranarum*, vel *liquamen ranarum* cum pulveribus herbarum reſolventium, diſcutientium & leniter ſubadſtringentium, ad formam emplaſtri redactum, in uſum trahitur. e. g. rad. vincetox. irid. Florent. herb, chærefol. ſanic. alchymill. ceruſſa, lithargyrium.

c) *Cataplaſmata* diſcutientia cum vino parata.

d) Præ aliis autem diſcutiunt & defendunt *camphorata*, e. g. ſpiritus vini camphoratus, epithemata ſicca camphorata &c.

e) Hæc omnia circa vulnus & confinia illius applicantur.

2. *Conſolidatio.* Huic quidem energia vitalis ſufficit, promovetur autem illa ſequente ratione.

1) Facta ſufficiente mundificatione remedia balſamica efficaciora, ſed temperata, adhibentur, ubi inſtar omnium eſſe poteſt *eſſentia balſamica Stahlii*, modo deſcripta, quæ & mundificandi & conſolidandi officio fungitur.

2) Vulnere ſic ſatis mitigato, & balſamicis efficacioribus præmunito, uſum habet *emplaſtrum ſtypticum Crollii*, vulneri immediate imponendum.

3) Si vero & quam diu leniora illa & ſegniora digeſtiva maturantia, unguinoſa adhibentur, emplaſtrum paulo potentius maturans & leniter trahens applicandum eſt, v. g. *empl. de minio nigricans*, vulgo *Norimbergenſe camphoratum*, e minio & oleo olivarum paratum.

4) Conſolidationem claudit *cicatricis* æqualis inductio, quæ obtinetur

a) Exſiccatione, imponendo linteum carptum, nullo balſamo humidum, ſed ſiccum, &, ſi opus ſit, pulveres exſiccantes, linteo carpto ſubſtratos e. g. tutiam, maſtich. lapid. calaminar.

b) Conſtrictione, quam præſtat paulo fortior compreſſio apparatus deligatorii.

c) Modeſto uſu *unguent. de minio, emplaſtr. diapalm. emplaſtr. grys.*

3. *Symptomatum tractatio.*

1) *Hæmorrhagiæ gravioris* convenientem tractationem exhibet tabula ſpecialis de *hæmorrhagia vulnerum.*

2) *Febres vulnerariæ* tractantur, uti aliæ febres inflammatoriæ. Hic

tantum adjicimus, quod moderatus uſus *ſpiritus C. C.* vel ſalis volat. oleoſi non rejiciendus ſit, præcipue cum *tinct. alcalina* mixti.

3) Suppreſſæ excretiones *alvi* & *urinæ* placide provocandæ ſunt. Nam harum debitus ſucceſſus in vulneribus utiliſſimus eſt. *Abſorbentia*, inprimis *oculi cancri - citrati*, vel vino imbuti, cum effectu in hunc finem adhibentur.

4) *Synovia* quomodo tractanda ſit, peculiari tabula docebitur.

5) Ad *ardoris* & *doloris* contemperationem conducunt *abſorbentia citrata*, maxime vero *nitroſa* moderate exhibita.

6) *Aëris* injuriæ arcentur per univerſum deligationis apparatum.

B. *Specialis.*

1. In *levioribus carnoſis* vulneribus, ubi nulla capacia vaſa ſanguifera ſunt læſa, non æque opus eſt medicamentis. Sanguis enim ſi fluxerit ad ſpontaneam ſui ceſſationem, dein expreſſus & abſterſus ſit, vulnera talia intra exiguum tempus, ſi modo ab aëris injuriis defendantur, ſponte ſua coaleſcunt. *Conf. cautel.* Ad minimum unguento digeſtivo ſuperſedere poſſumus. Nam balſamica, leni uſu adhibita, omnia hic præſtant, & conſolidationi viam ſternunt.

2. In *profundioribus* vulneribus, vbi vaſa ſanguifera diſciſſa ſunt, ante omnia prudenter æſtimetur tempus, quo fluxus ſanguinis ſiſtendus ſit. Præmatura enim illius cohibitio plus damni, quam enormis profuſio adfert; maxime omnium, quando ſubjectum eſt plethoricum, & læſio ſub vehemente ſanguinis commotione, e. g. ebrietate, iracundia &c. contingit. *Conf. cautel. & tab. de hæmorrhagia vulnerum.*

3. Cohibita decenter hæmorrhagia, & abſterſo vulnere per ſpongiam vino calido imbutam, adhibeantur

1) *Externe digeſtiva* & *defenſiva*, quæ ſub methodo generali num. 2 & 3 ad mundificationem commendata ſunt. Hac ratione materia purulenta cum duro tumore ſenſim decreſcit, & labia vulneris ad naturalem ambitus æqualitatem appropinquant.

2) *Interne* conveniunt diſcutientia, æqualem ſanguinis diſtributionem promoventia, alexipharmaca temperata.

3) Speciatim in gravioribus talibus vulneribus ſub uſu mundifi-

can-

cantium externorum commendant *decocta* e chærefolio, hedera terreſtri, veronica, ſcordio, alchymilla, pyrola, ſalvia, hyperico, millefolio. Sed vix neceſſaria ſunt, ſi modo vulnus externe legitime tractetur.

4. *Labia* quando valde dehiſcunt, quod in profundis vulneribus propter tonum muſculorum perditum contingit, compreſſio illorum reſpiciatur
   1) Per faſciam *incarnantem*. *Conf. tab. III. de faſciis.*
   2) Ubi autem hæc locum non habet, per emplaſtrum *glutinans*, Heft-Pflaſter.
   3) Vel per ipſam *futuram*. *Vid. tab. de futura vulnerum.*
   4) Obſervetur ubique corporis quies & commodus partis ſitus, ut muſculus ad compreſſionem magis inclinetur.
5. Quibus omnibus obſervatis applicetur *eſſentia balſamica Stahlii*, quæ ulteriori corruptioni reſiſtit, & conſolidationem promovet. Satis etiam in ipſos poros penetrat; id quod *pinguia*, quia vulnus humore aqueo & gelatinoſo perpetuo ſudat, efficere non valent. Non enim niſi odoretenus aliquid agunt. *Conf. cautel.*
6. *Diæta* conveniens, temperata, ubique obſervetur, abſtinendo ab acribus, acidis, ſpirituoſis, iracundia.

III. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vulnera neque medicinam *directe*, neque chirurgiam vere poſtulant, ſed tantum inſpectionem & cuſtodiam Medici atque Chirurgi admittunt. Nam diſſoluta reſarcire, principii vitalis energiæ incumbit. Ars removet tantum impedimenta.
2. Ita v. g. in vulneribus partium *ſanguifluarum*, quoniam meatuum continuitas interrupta eſt, neceſſario ſequitur *ſtaſis*, quæ, ne in corruptionem *putredinoſam* immediate ruat, arti incumbit, ut in *ſuppurationis* genium illam deducat.
3. Pariter ars ſuccurrit *nimiæ profuſioni ſanguinis*, vulnus defendit ab aëris frigidi nimio concurſu, & ab aliis iniuriis. Item ſubvenire poteſt ars *labiorum appropinquatione*, quando valde diſſiliunt, &c.
4. Hæc poteſt Medico Chirurgus; *conſolidatio* autem eſt opus ſolius naturæ. Unde abſurdum eſt, in levioribus vulneribus multum medicari, ſed præſtat hæmorrhagiam, niſi vas ſanguiferum læſum ſit, ſufficienter tolerare, daß es ſich fein recht ausblute, & deinde linteo

vulnus deligare, vel plane ſibi relinquere. Emplaſtrum enim quando adhibetur in levioribus hiſce læſionibus, ſuppuratio inducitur & conſolidationis tempus protrahitur.

5. *Unguentum digeſtivum* uſum habet in vulneribus *profundis*, ubi ſtaſis ſanguinis in poris & meatibus præſto eſt. Uſitatiſſimum & optimum conſtat e *vitello ovorum*, pauxillo *mellis* & portione aliqua *terebinthinæ*. *Mel* enim ſuppurationem fortius juvat, unde *trahere* dicitur a vulgaribus Chirurgis. *Terebinthina* in ſubſtantia roborat partes, & reſinoſa ſui parte ſuppurationis velocitatem adjuvat. Non autem magna ejus quantitas in vitello ovi ſolvi debet, alias enim ardorem vehementiorem & majorem inflammationem provocat.

6. Sed multum ſane intereſt judicare, in quibus vulneribus major vel minor quantitas *mellis* vel *terebinthinæ* ingredi debeat *unguentum digeſtivum*. E. g. in ſimplicibus *carneis* læſionibus major portio requiritur *mellis*, minor autem *terebinthinæ*, & vice verſa. Sed vulgares Chirurgi formulæ ſuæ, quaſi juratæ, pertinaciter inhærent, & hanc cautelam ſpeculabundis opinionibus, nodum in ſcirpis quærentibus, adſcribunt.

7. Hinc, quando *unguentum* ſuum *digeſtivum* in paulo profundis, & diſſimilares aliquas partes afficientibus vulneribus *diu* continuant, majorem ardorem in vulnere, majorem inflammationem per ambitum, majorem affluxum, majorem acrimoniam, & loco *puris* laudabilis *ichorem ſeroſum*, denique ulcus *refractarium* certiſſime producunt.

8. Hæc res tanto evidentior eſt in læſionibus partium *exſanguium*, *tendinum*, *ligamentorum*, & hoc nomine *articulationum*. Mel enim his partibus non convenit, ſed concepta fermentativa acrimonia ſenſum acerbius exagitat, vnde fluxus *ſynoviæ* invitatur, & tandem arroſio *ulceroſa*, quæ reſtaurationem reddit difficillimam.

9. Vulnus quando tali inconveniente tractatione in deteriorem ſtatum deductum eſt, & chirurgus tum demum Medici conſilium efflagitat, ſumma circumſpectione opus eſt, ne calumniam familiarem reportet a Chirurgo: ſe ſua feciſſe, ſymptomata autem graviora, ab acrimonia ſcorbutica producta, internis remediis per Medicum removenda fuiſſe.

10. *Unguentum Felicis Wurtzii* decantatum, jam *fuſcum*, jam *purpureum*, ſola

sola sacra ancora, irritis aliis, a Chirurgis vulgaribus reputatur, sed nesciunt, quod talia remedia *absterſioni* seu *moderatæ* tantum *sepsi* destinata sint, daß der Schade einen frischen Grund bekomme. Quando autem immoderate illud continuant, acriorem irritationem, tendinosarum præcipue partium profundiorem arrosionem, spasmorum exacerbationem, fungosæ carnis excrescentiam, ubi *ossa denudata* sunt, illorum denigrationem, & tandem *cariem* producunt.

11. *Heterogenea* e vulneribus educere præstat sub initium, nisi prægnantes circumstantiæ id prohibeant. Quando autem per congestionem veluti incarcerata delitescunt, lenia *emollientia parco* ac *prudente* usu conveniunt, e. g. emplastr. diachyl. vel *pinguedo leporina*, cum *gummi Arabico* mixta, quæ speciali encomio solet commendari.

12. Caveat sibi & Medicus & Chirurgus, ne in vulnere, *tumore* & *maturatione*, vt vocant, jam affecto, visitationem manualem, instrumentis armatam ruditer instituat, ad *heterogenea* inquirenda, vel vasorum aut nervorum forte læsionem scrutandam.

13. Medico-Chirurgus in *profundis* vulneribus negotio *suppurationis* quovis modo satis faciat; prospiciendo in primis per remedia vere balsamica, ne illa suppuratoria corruptio plus justo insolescat.

14. Ad *carnem fungosam* exstirpandam fugiat quivis cordatus & religiosus Chirurgus *septica* illa, quæ ex *arsenico*, *auripigmento* & aliis venenosis parantur. In mitiore casu conducit *saccharum*, tanquam lenissimum septicum. In casu majore *alumen ustum*, *præcipitatus ruber*, in certis casibus cum *unguento Ægyptiaco* mixtus, & leviter illitus. Quando autem materia auferenda his non cedit, melius est, ut per sectionem auferatur.

15. Ab *ære viridi* & aliis e vitriolo paratis cavendum in partibus *nerveis* & *membranaceis*. Has enim talia septica arrodunt, unde ingentes dolores & gravia alia symptomata exoriuntur.

16. *Septica* autem quando cuti illæsæ admovenda sunt, e. g. in *fonticulis* ponendis, tum plerumque *lapis infernalis*, seu *causticus* sumitur.

17. De peculiari efficacia & securo usu *corrosivi Sutoriani* prostant testimonia quædam fide satis digna.

18. Ceterum non levem censuram meretur *abusus causticorum* atque *septicorum*. Vulgares enim Chirurgi non satis considerant, ubi caustici-

cis & ſepticis *generatim* verus ſit locus atque uſus, nedum ut ſpeciatim de *ſepticis mercurialibus* cogitent, in quibus caſibus utilia ſint. Hæc enim ſub prudente uſu in *venereis* affectibus innocentiora, in reliquis vix unquam tolerabilia, quin periculoſa obſervantur.

19. *Potiones vulnerariæ* uti vix unquam abſolutæ ſunt neceſſitatis, ita Chirurgorum familiaris audacia in coquendis illis nudæ empiriæ ſuperſtructa eſt, & bonum effectum ſæpius fruſtratur.

20. *L' eau d' arquebuſade* (aqua vulneraria, a Gallis præcipue per aliquot annos decantata) videtur quidem hanc difficultatem tollere, ſed quoniam Chirurgi aquam hanc domi utplurimum præparant, effectus, qui dextra præparatione non contemnendus eſt, paſſim fit irritus. Niſi enim herbæ recentes ac ſucculentæ ante deſtillationem debite fermenteſcant, omnem bonam ſpem deſtituunt. His accedit imprudens illa opinio, non ſolum Chirurgorum ſed etiam nonnullorum Medicorum, ac ſi aqua hæc præcipuam ſuam efficaciam habeat in portione *ſpirituoſa, ardente*, quæ tamen ſcopo vulnerario adverſatur. Magnus certe error verſatur in ſpirituoſis deſtillandis. Quæ enim aquæ ſpirituoſæ per ſimplicem abſtractionem ſpirituum ardentium præparantur, harum efficacia ita innexa eſt conſiſtentiæ ardenti ſpirituoſæ, ut ab illa non facile poſſit ſeparari, nam cum aquoſa ſuccedente portione minimum illius amplius ſubſequitur. Quæ autem aquæ præmiſſa fermentatione paratæ ſunt, in his craſis ſulphureo-volatilis non ſola, ſed cum tenerrima ſubſtantia ſalina ſubagitata, adeoque etiam aquoſitati adhuc ſociabilis, reperitur.

21. *Tempus conſolidationis* uti in reliquis caſibus chirurgicis, ita præcipue etiam in vulneribus exſpectandum eſt. Hinc vanum eſt, variis medicamentis inſolitam reſtaurationem accelerare velle. Generatim ſuccedit hoc negotium optime in junioribus & ſanis, ſegnius in annoſis & valetudinariis; difficilius in fœminis, præcipue gravidis.

22. Chirurgus *conſolidationem* promovet, dum vulnus remediis mundificantibus & manuali exterſione *æqualiter* purum conſervat. Quando autem *maxima* pars vulneris ulceroſa & ſinuoſa impuritate inquinata eſt, tum fit *ſuperaccretio*, quam vulgo *carnem luxuriantem* & *fungoſam* vocant. Hæc mirifico interdum impetu increbeſcit, & ſi durior facta, exſtirpatio illius multum negotii facesſit. Contra ſi *parva* tantum portio impura relinquitur, tum foramen præmature con-

conſolideſcit, & ex retenta pauca corruptela pullulat nova collectio, e qua cum multo dolore ac moleſtia idem affectus non ſolum recrudeſcit, ſed importunioribus fere ſymptomatibus ſtipatur.

23. Caveat ſibi Chirurgus, ne naturam, conſolidationi debitæ incumbentem, in hoc opere turbet. Hac enim ratione non ſolum præter neceſsitatem æger affligitur, ſed etiam conſolidationis deformitas & cicatricum ſolito major nævus ſuccedere obſervatur. Non mirandum eſt in talibus caſibus, ſi ægrotans *ignorantiam* Chirurgi pro *fraudulenta* & turpem quæſtum reſpiciente *malitia* declaret.

24. In vulneribus *latioribus, extenſis*, conſiderandum venit, num *oſſa* forte denudata ſint. Si enim ita denudata relinquuntur, ex aëris commercio deturpationem concipiunt. Occupatur hoc damnum per labiorum diſtentorum compreſsionem. *Conf. methodus.*

25. *Remediis balſamicis* non omnis quidem efficacia, novam carnem generandi, denegatur, ſtupenda autem conſolidandi virtus, quam de nonnullis prædicant, non eſt credenda, e. g. de *ſymphyto majore* dicunt, quod folia ejus, aqua fervida ad mollitiem cocta, & vulneribus impoſita, conſolidationem eorum repente promoveant, daß ſie das Rind-Fleiſch im Topf zuſammmen heilen ſollen. Idem ſentiendum eſt de *hyperici* efficacia.

26. *Herbæ nicotianæ* efficaciam conſolidantem ſub *methodo* jam laudavimus, licet acredine quadam conjuncta ſit, & ſenſibilitatem inducat; ſic & *beta*, ſi aqua fervida ei affunditur, abgebrühet, vel ad mollitiem coquitur, efficacia ſatis præſente vulnerum promovet conſolidationem.

27. *Eſſentia balſamica Stahlii* aliis qualibuscunque ſpecioſis præferenda eſt. Nam putredini potenter reſiſtit, & nimium affluxum reprimit. Plerumque paratur ex eſſentia *myrrhæ* & *ſuccini* ſpiritu vini rectificatiſsimo. Additur his momentum olei *terebinthinæ*. *Camphoram* addere non ſuadetur, ob vehementiſsimum, quem excitat, ardorem. *Eſſentiam* autem *ariſtolochiæ veræ*, ex extracto paratam, addere, commendat Practicus quidam fide dignus.

28. Pro diverſa autem vulneris conditione diverſe etiam miſcenda eſt hæc *eſſentia*. Læſiones enim partium *carnoſarum* magis admittunt uſum *eſſentiæ myrrhæ*. Vulnera autem partium *exſanguium*, *membranoſarum*, *tendinoſarum* & *glanduloſarum* requirunt magis calidio-

ra,

ra, ſubtiliora balſamica, nervina moderata, inter quæ *eſſentia ſuccini* & *ſpiritus terebinthinæ* principatum tenent. *Gummi elemi* eſt etiam egregiæ utilitatis in partibus talibus nervino membranoſis.

29. Diluceſcit inde, quam facile error committi poſſit cum optima medicina, ſi differentia partium prætermittatur. Nam ſi in *carnoſis* læſionibus de eſſentia *ſuccini* & ſpiritus *terebinthinæ* mixtura multum ingreditur, major incaleſcentia & inflammatio producitur. Unde in talibus vulneribus vel prorſus omitti, vel moderatiſſime miſceri debent.

30. Contra in læſionibus *exſanguibus* majore quantitate eſſentia *ſuccini*, minore *myrrhæ* adhibenda eſt. Et cum alias *decem* guttæ olei terebinthinæ, unciæ dimidiæ balſami miſcendæ, ſufficiant, hic *viginti* vel *triginta* admiſceri poſſunt. Et licet talis portio non penitus ſolvatur, ad uſum tamen, concuſſione prægreſſa, ſubigi ſemper poteſt.

31. *Mixtura hæc balſamica* non ſolum *æqualem* læſæ partis puritatem procreat, ſed ſatis etiam occupat ſymptomata, quæ læſionibus *exſanguibus* ſupervenire poſſunt, nempe dolores ſpaſticos, vibrativos, palpitantes, imo ipſos motus convulſivos, qui alias ſæpe lethales fiunt. Unde periti Chirurgi monent, ut tenſo, *ex parte* tantum vulneratus, ſi convulſiones metuendæ ſint, *penitus* diſcindatur, & ita unius partis motus potius lædatur, quam æger juguletur.

32. A *pinguibus* & *unguinoſis craſſis* in omnibus vulneribus & quibuscunque partium *exſanguium* ſolutionibus abſtinendum eſt. Nam rancida ſua corruptela ad ulcerationem vulnera diſponunt.

33. *Balſamum Peruvianum* & *Copaivæ* a recentioribus loco *noſtratium* adhibentur. Sed licet illorum efficacia non rejicienda ſit, docet tamen frequens obſervatio, quod præ ſuccino, myrrha & terebinthina nullam habeant prærogativam. Cavendum inſuper eſt ab uſu illorum prodigo, inprimis *Peruviani*. Imo in omnibus partium ſolidarum, carnoſarum, ſanguifluarum affectibus, cum aliquo ſanguinis infarctu, tumoribus, apoſtematibus ſtipatis, ab illis abſtinere præſtat. Calorem enim & exæſtuationem ad craſſum adeo ſenſum augent.

34. Quando læſiones *exſangues* in ulcus tranſeunt, tum fiunt admodum ſenſibiles. Unde uſus acriuſculorum balſamicorum non eſt ſuadendus, ſed præſtat *balſamum Peruvianum* diſtemperare cum ovorum vitello, qui recipit reſinoſa, ut in liquorem fundi poſſint. Poteſt et

iam

iam in tali casu *essentia balsamica Stahlii* carbonibus inspissari, ut spiritus vini, qui ardorem producit, exhalet, & *extractum* resinosum *myrrhæ* & *succini* remaneat; quod addita una vel altera guttula *olei terebinthinæ* cum *vitello ovorum* in oleaginosam consistentiam subigi, & deinde sine sensu applicari potest.

35. *Vulnus arteriæ* tantum incisæ, non autem plenarie dissectæ, quando neque *immediatam* arteriæ compressionem, neque etiam *mediatam* (supra vulnus versus cor) admittit; insuper etiam usum spiritus vini rectificatissimi respuit, præstat tum arteriam plane dissecare, quam ut ægri vires per hæmorrhagiam incompescibilem exhauriantur, & vulnus per *acida coagulantia* aut *nuda adstringentia* totum depravetur. *Ustio arteriarum*, incisarum tantum, nunquam concedatur. Omni enim rationi repugnat, & experientia docet, quod hoc modo arteria nunquam consolidetur. *Conf. tab. de hæmorrhag. vuln.*

36. Vulnus quod nullam *hæmorrhagiam* habet succedentem, & cujus labia repente concidunt, uti admodum periculosum est, ita tanto magis expescit artificialem sanguinis ventilationem. Et quoniam in loco vulnerato, vel circa confinia illius, futuro tempore motus congestorii rhevmatici, imo inflammatorii, levi occasione evenire solent, venæ sectiones circa æquinoctia instituantur necesse est.

37. Efficacia balsamicorum dependet a particulis resinosis per spiritum vini attenuatis. Hinc quando talis essentia balsamica immittitur vulneri, e quo intra 3-4. horas nil sanguinis effluxit, hæmorrhagia denuo prodit, manifesto indicio, quod quasi in momento resolvat & colliquet.

38. In vulneribus, præcipue gravioribus, *diæta* temperata necessaria est. Pathemata animi periculosas pariunt turbas. Potus frigidus, cibi dyspepti, alvi siccitas, refrigerationes manifesta pariunt incommoda. Præcipue abstinendum est a vinosis & acidis in vulnerum inflammationibus.

39. Vulnera ad minimum transversum pollicem profunda hoc habent peculiare, ut ob tonum fibrarum læsum offerant aspectum, ac si portio quædam exsciſſa sit. Talia ab aëre quam maxime sunt munienda. Quod enim aëris injuriæ vulneri noceant, omnes auctores uno quasi ore testantur; quamquam, si læsio de reliquo recte tractetur, damnum inde resultans maximi non sit momenti.

40. De vulneribus *ligandis* adhuc monendum eſt, ne nimia ſtrictura influxus ſanguinis ſupprimatur, ſtaſis augeatur, motus inflammatorius legitimus impediatur, & ſphacelus inducatur. Chirurgi dicunt: der Schade iſt erſtickt.

41. *Paracelſus*, tanquam primarius Patronus *aſtronomicæ* medicinæ & chirurgiæ, multa ſcribit de vulneribus, mala conſtellatione infligtis, & peculiari ratione tractandis. Sed hæc ſuo loco relinquimus.

TABVLA LIII.

DE

VULNERIBUS CAPITIS.

I. DIFFERENTIA.

1. Sufficere quidem poſſent ea, quæ de vulneribus generatim præcedente tabula dicta ſunt, ad quaslibet læſiones violentas, in corpore contingentes, tractandas; quoniam autem non pauca vulnera in certis corporis partibus eveniunt, quæ ſpecialem plane evolutionem & certas encheireſes expoſcunt, neceſſarium erit de his ſpeciatim dicere, & generalem vulnerum tractationem ſpecialibus notis illuſtrare.

2. Itaque tractabimus hac tabula *capitis* vulnera, ubi conſideranda veniunt

A. Vulnera capitis, *ſtricte* dicti, quæ ſunt

a) Vel *externa*, in quibus cutis tantum, muſculi & pericranium læduntur, cranio integro manente.

c) Vel *interna*, ubi cranii multiplices fracturæ, cum meningum & cerebri vulneribus occurrunt; de quibus ſequentia notanda ſunt.

ε) *Hippocrates* quintuplices cranii læſiones obſervavit, quæ ſunt

α) *Rima*, ſeu *fiſſura*.

β) *Contuſio*, ſeu *colliſio*.

γ) *Depreſſio*, ſeu *introceſſio*.

δ)

δ) *Sedes*, ſeu *veſtigium*.

ε) *Contrafiſſura*, ſeu *reſonitus*.

d) Recentiores fecerunt ſubdiviſiones, & modo octo, modo duodecim, modo plures ſpecies hujus læſionis tradunt.

e) Omnes hæ læſiones commodiſſime ad tres generales claſſes reducuntur, nempe ad cæſiones, fiſſuras, & contuſiones.

α) *Cæſiones* ſunt minimæ cranii læſiones. Nam ſine trepanatione poſſunt curari: Quatuor ſpecies complectuntur, quæ ſunt

1) *Sedes* ſeu *veſtigium* græc. *hedra*, quando cranium inſtrumento acuto perpendiculariter ita læditur, ut veſtigium illius inſtrumenti manifeſte appareat.

2) *Exciſio*, *inciſio*, græc. *eccope*, gradu tantum a ſede differt, & exiguam modo læſionem deſignat.

3) *Præciſio*, *diſſectio*, græc. *diacope*, deſignat talem læſionem, in qua portio cranii oblique & a latere inciditur, ita tamen, ut altera ſui parte cranio adhuc adhæreſcat.

4) *Dedolatio*, græc. *aposkeparniſmos* (ab ἀπὸ, & σκεπαρνὸς dolabra) quando portio cranii ita abſumitur, ac ſi dolabella complanatoria remota eſſet.

β) *Fiſſuræ* tres ſpecies ſub ſeſe comprehendunt, quæ ſunt

1) *Trichiſmos* (a θρὶξ capillus) eſt exiliſſima & capillaris quaſi fiſſura, quæ viſum ſæpe fugit.

2) *Rima*, græc. *rogma*, denotat viſibilem ſatis fiſſuram, in qua cranium inſtar vaſis teſtacei finditur, licet naturalem ſuum ſitum ſervet. Ulterius ſe extendit fiſſura, quam in illam regionem, quæ ab inſtrumento tacta eſt; qua circumſtantia etiam ſe diſtinguit ab *inciſione*. Differt gradibus: aliquando enim externam tantum tabulam, aliquando utramque penetrat. Imo evenit nonnunquam, ut externa tabula maneat illibata, cum interna findatur. Porro alia rima eſt longa, brevis alia, alia obliqua.

3) *Reſonitus* ſeu *contrafiſſura*, quando cranium in latere oppoſito funditur. Duplicis generis eſt: modo enim latus, quod plagam accepit ſalvum manet, modo ſimul fiſſuram patitur. Non ſine ratione *infortunium* ab *Hip-*

pocrate appellatur. *Verduckius* & alii *contrafiſſuram* negant, innixi hac ratione, quod cranium e pluribus oſſibus conflatum ſit & futuras habeat, ultra quas fiſſura progredi non poſſit. Sed in adultis oſſa illa ita compacta ſunt, ut unum quaſi os continuum conſtituant. *Ammannus diſſertat. de reſonitu* octo modos recenſet, quibus fieri poſſit contrafiſſura.

γ) *Contuſiones.* Harum quinque ſunt ſpecies.

1) *Colliſio*, depreſſio, contuſio, græc. *thlaſis*, deſignat ſimplicem contuſionem & introceſſionem cranii, ſine viſibili fiſſura. Contingit vix in alia, quam infantili ætate, & plerumque ſine trepanatione curatur.

2) *Illiſio*, græc. *enthlaſis*, quando cranium in plura fragmenta ſecedit. Hæc læſionis ſpecies κατ' ἐξοχὴν fractura appellari poteſt.

3) *Deceſſio*, græc. *ecpieſma*, quando fracti oſſis feſtucæ, introrſum propulſæ, cerebri meninges premunt aut pungunt.

4) *Fornicatio*, *teſtudinatio*, græc. *camaroſis* (a καμάρα, fornix) quando partes fractæ inſtar fornicis vel teſtudinis attolluntur.

5) *Appropinquatio*, græc. *engiſſoma*, quando una feſtucæ extremitas duram matrem penetrat, altera autem extrorſum prominet, unde germanice vocari ſolet: Eine Zug-Brücke.

B. *Vulnera faciei*, e. g.

a) frontis
b) muſculorum temporalium.
c) palpebrarum.
d) oculorum.
e) aurium.
f) naſi.
g) genarum ſeu buccarum.
h) linguæ.
i) menti.

II. *SIGNA.*

Vulnerum *externorum* ſigna per ſe ſatis conſtant; illa autem, quæ ipſas

ipſas cavitates penetrant, ſagaciſſimum ſæpe anatomicum judicium fugiunt.

Interea tamen nonnulla, quæ ab auctoribus ad diagnoſin vulgo traduntur, huc transſcribemus. Sunt hæc

A. *Generalia*, & hæc

1. Vel *rationalia*, quæ deſumuntur
   1) Modo a *viribus* & robore illius, qui percuſſit.
   2) Modo a *ſitu* illius, qui percuſſus eſt.
   3) Modo ab *inſtrumentis*, quibus percuſſio facta eſt, e. g. a figura, ſubſtantia, acie, craſſitie.
   4) Modo a *ſymptomatibus*, læſioni ſupervenientibus, quæ ſunt
      a) Oculorum rubor.
      b) Vertigo tenebricoſa.
      c) Singultus.
      d) Motus impotentia.
      e) Somnolentia.
      f) Capitis gravitas.
      g) Aphonia.
      h) Mentis abalienatio, memoriæ & imaginationis læſiones.
   5) Modo a certis *excretionibus* e. g.
      a) quando portio meningis vel cerebri ex ipſo vulnere excernitur.
      b) quando vomitus bilioſus obtingit.
      c) quando fæces alvinæ præter voluntatem dejiciuntur.

2. Vel *ſenſualia*, quæ agnoſcuntur,
   1) Quando æger vel adſtantes ſtridorem oſſis fracti in ipſo percuſſionis momento audiverunt.
   2) Quando *inæqualitas* oſſis percipitur, & quidem mox poſt læſionem, antequam integumenta tumefiant.
   3) Quando capilli ab inſtrumento, non acuto, ſed rotundo, etiam diſcisſi & divulſi ſunt, quippe quod ſignum certiſſimum.
   4) Impedita *maſticatio* & apprehenſio duriorum corporum.
   5) In cranio denudato *ſpecillum*, extra futurarum locum, aſperitatem monſtrat. Caveatur autem ne *futura* pro *fiſſura* habeatur.
   6) Quando oſſi cranii *atramentum*, vel alius liquor coloratus ſuper-

ducitur, & poſt aliquot horas illud raditur, tunc, quod fiſſum eſt, tinctum manet.

7) Notandum autem, quod plurima horum ſignorum, licet ſimu ſumantur, non ſint infallibilia.

B. *Specialia.*

1. *Meningum & cerebri læſiones.*

1) Hæ vel ſatis pateſcunt per foramen vulneris

2) vel colliguntur e gravibus ſymptomatibus, nempe febre acut inflammatoria, deliriis, inquietudine, vultu obſcuro vel torvo oculis hinc inde motis, ſurditate, doloribus inſignibus, (qu adductis maxillis exacuuntur) nauſea, vomitu, ſingultu. Con firmantur hæc omnia, ſi portio cerebri e fractura erumpat.

3) Hæmorrhagia narium, poſt gravem capitis læſionem, habetu quidem vulgo pro ſigno apertionis vaſorum ſanguiferorum *in tra cerebrum*, ſed obſtare videtur *dura mater*, quæ os cribifor me inveſtit, & hinc ſanguinem, intra calvariam contentum, a nares non permittit. Dependet potius talis hæmorrhagi a diffractis ſinuoſitatibus oſſium cranii & vaſis ibidem ruptis.

4) His ſignis addimus *Hippocratis aphoriſm.* 58. ſect. VII. Qu bus cerebrum concuſſum fuerit, neceſſe eſt, eos ſtatim muto fieri. Item *aphoriſm. 50. ſect. VI.* Qnibus perſciſſum fuer cerebrum, his neceſſe eſt febrem & bilis vomitum ſuper venire.

2. *Cranii fractura* ſpecies omnes licet optime explorari poſſint ocul & digitis, placet tamen de his etiam nonnulla ſpecialia ſigna ſuppe ditare.

1) *Inſignis* cranii *fractura* concluditur

a) Prolapſu in terram, ſine ſenſu, ſtatim poſt ictum.

b) Rejectione excrementorum præter voluntatem.

c) Vertiginoſa capitis afflictione.

d) Vomitu bilioſo.

e) Excretione ſanguinis per os, nares, aures, imo interdu plane oculos.

f) Elevatione illius vel depreſſione præter naturam, tactu d gitorum percipienda.

2) De *fiſſura* quæ vulgo ſigna ſuppeditantur, non ubique ſufficiun e. g. a) Se

a) Senſatio moleſta a motu tremulo funiculi, vel clavis, dentibus comprehenſi.

b) Impotentia nucem avellanam dentibus diffringere.

c) Emplaſtri impoſiti exſiccatio.

d) Exploratio per *ſpecillum*, quæ peritisſimum chirurgum fallere poteſt.

e) Atramenti illinitio & abſterſio, quæ a *Celſo*, ſpecillum rejiciente, commendatur.

f) *Puncta alba Fallopii*, nempe maculæ, quæ eo loco, ubi cranium contuſum eſt, apparere debent, etiam fallunt, præcipue quando in ipſis *ſuturis* vulnus eſt, ubi difficillimum, fiſſuram dignoſcere. *Hippocrates* pro candore ſuo non erubeſcit confiteri, ſe cum vulnerati pernicie errorem hic commiſiſſe. Vid. lib. V. epidem.

g) Quando cranii *fiſſura* tam profunda eſt, ut *meninges* cum *cerebro* vulnerentur, tunc peculiare ſignum eſt, quod dolor quam maxime urgeat (præcipue ſi a fragmento quodam oſſis pungantur) propter exquiſitam meningum ſenſationem.

3. *Fragmentorum* & *feſtucarum* præſentiam indicare ſolent Scotodinia, dolores acuti, vomitiones, febris, ſopor, torpor, paralyſis, delirium. Nonnunquam fractura cum ſonitu percipiendo, teſtæ figulinæ inſtar, contingit.

4. *Locum ſanguinis effuſi detegunt*

1) Conſpicuæ læſiones cutis & cranii.

2) Ipſi ſubinde ægri. Licet enim ſine ſenſu jacere videantur, ſæpius tamen locum, admovendo manum, deſignant.

3) Si autem horum nihil appareat, emplaſtrum emolliens univerſo capiti imponendum, ſacculisque calidis tegendum jubent. Hæc ſi poſt aliquot horas removeantur, & tumor, rubor atque mollities in loco quodam appareat, eſt ille læſionis.

5. Obſignamus ſigna fracti cranii cum iis, quæ *Celſus* habet lib. VIII. cap. 4. Ubi calvaria percuſſa, protinus requirendum eſt, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcœcati ſint, num obmuteſcentia, num per nares auresve ſanguis effluxerit. Hæc enim non, niſi oſſe fracto, eveniunt.

6. *Contrafiſſuræ* ſigna ſpecialia recenſet *Paulus Ammannus* diſſert. de *reſonitu cap. 3. §. 45*, quæ tamen fracturæ ſpecies cognitu admodum difficilis eſt.

III. *CAUSÆ.*

Cauſæ horum vulnerum ſunt

1. Varia inſtrumenta, diverſa ratione applicata, quorum reſpectu tot modis cauſæ differunt, quotuplicia ſunt inſtrumenta. Dividuntur autem vulgo in
   a) Secantia.
   b) Pungentia.
   c) Contundentia.
2. Quælibet alia corpora dura & gravia, quæ utplurimum contundunt, ſive capiti illa immineant, ſive caput ad illa allidatur.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Nulla *fractura cranii* periculo vacat, quod *Hippocrates* in prooemio lib. de vulneribus bene monuit.
2. Periculoſior eſt, ſi utraque illius aut interna tantum lamina fuerit fiſſa, quia vaſorum in *diploë* & ſub cranio rupturam portendit.
3. Minus periculum eſt, ſi *ſedes* ſit aut *fiſſura lata* & *ampla*.
4. Majus, ſi ſit *anguſta* fiſſura.
5. Adhuc majus, ſi ſit *contuſio* ac *depreſſio*, utpote membranas & cerebrum premendo & pungendo afficiens.
6. *Contrafiſſura* pariter, ob difficilem ſui dignotionem, & hinc medelæ neglectionem, periculoſa eſt.
7. Periculoſa eſt, quæ in *oſſibus temporum* fit, propter muſculi inciſionem & cerebri vicinitatem arctiorem.
8. Porro, quæ in *bregmate* aliquo fit, propter eandem vicinitatem, & quia cerebrum perpendiculariter ſubjectum eſt.
9. Item, quæ in *futuris* vel prope futuras eſt, propter duræ matris laceprationem, atque hinc cerebri majorem commotionem.
10. Paululum minus periculoſa in *occipite*. Licet enim hic quoque cerebrum ſit copioſum, os tamen præ reliquis craſſius eſt.
11. Ita periculoſa quoque eſt, quæ tempore admodum calido vel humido contingit. Hæ enim circumſtantiæ ad putredinem magi diſponunt.

12. Quo ſpectat certarum regionum & climatum conditio. Quæ enim e. g. facile curantur in Britannia, Batavia, Polonia & Scotia, illæ læſiones curatu difficiles ſunt in Gallia, Hiſpania & aliis calidis regionibus.
13. Periculoſior eſt fractura, quando plura perſeverantia, aut poſt aliquot demum dies ſupervenientia ſymptomata illam comitantur, præprimis aphonia & apoplexia. Alienatio autem mentis & motus privatio, niſi alia accedant ſymptomata, haud ſemper lethalia exiſtunt.
14. Febris, quæ tertio die emergit, non adeo periculoſa eſt, quam quæ poſt ſeptimum diem contingit, quia illa ſuppurationem, hæc putredinem portendit, niſi forſan ab erysipelate, vel præſente, vel imminente illa exoriatur.
15. Periculoſiſſimum, ſi labia vulneris pallida, livida & arida fiant.
16. Item ſi os lividum aut nigrum ſimulque aſperum evadat, quia mortificationem harum partium & ſubjacentis cerebri deſignat.
17. Quando nulla excrementa ſive craſſa, ſive tenuia, excernuntur, aut ſponte effluunt, mors inſtat.
18. Si puſtulæ per linguam oboriantur, & lingua præ ſiccitate findatur atque denigretur ex acris ſaniei per palati foramina in linguam delapſu, raro evadunt ægri.
19. Si difficultas reſpirandi ſuperveniat, periculoſum, non ſolum forſan quod juxta *Paræum* muſculorum thoracis actio videatur turbata, ſed quod, annotante *Marchette*, materia purulenta ad thoracis, imo abdominis viſcera a capite defluat.
20. Ita etiam ſi ſanies e *diploë* ſudet.
21. In Infantibus plus periculi alit, quam in adultis, utpote quorum cerebrum mollius corruptioni non facile reſiſtit.
22. In ſenibus periculoſiores ſunt ejusmodi affectus, quam in junioribus & robuſtis.
23. Licet autem cranii fracturæ periculoſæ ſint, multo tamen periculoſiora ſunt *meningum* & *cerebri* vulnera, propter innumera vaſa & utriusque membranæ exquiſitum ſenſum.
24. Plura de hac re videantur *tabula de lethalitate vulnerum.*

METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.

A. *Generalis.*

1. *Levia* capitis vulnera, nempe læſio tantum *cutis* & *pericranii*, minime leviter tractentur. *Hippocratis* enim elogio minimum hujus partis vulnus, quando negligitur, fit periculoſum.

2. *Capilli*, ubi præſto ſunt, in qualicunque læſione protinus abradantur, ut abſterſio vulneris perpetrari & remedia topica eo commodius applicari poſſint.

3. *Hæmorrhagiæ* ratio habeatur ſecundum regulas, *tabula de hæmorrhagiis vulnerum* traditas; notando ubique, quod, quo magis plethora imminuatur, eo certius gravia ſymptomata occupentur.

4. Ipſi vulneri *balſamica Stahlii eſſentia*, pro conditione partis affectæ mixta, applicetur. *Emplaſtrum ſtypticum Crollii*, vel *emplaſtr. de betonica*, præcipue cum *tacamahaca* & *balſ. Indic.* mixtum, imponatur, & in peripheria diſcutientia camphorata adhibeantur.

5. *Aër frigidus* a vulnere arceatur; id quod *ſacculis*, e diſcutientibus & roborantibus v. g. H. ſerpilli, betonicæ, ſalviæ, origan. roriſmar. majoran. flor. lavendul. ſpic. nard. roſar. paratis, vino calido coctis & expreſſis, commode obtinetur, ſubjuncta juſta deligatione.

6. *Alvus* per clyſteres emollientes, vel leniſſima laxantia, ſemper aperta ſervetur, alias motus ſanguinis congeſtorius ad caput major contingit, & ſtagnationem atque ſtaſin inflammatoriam facile producit.

7. Vulnus quando convenienter eſt depuratum, *labia* illius emplaſtro glutinante & conſolidante conſtringantur, ita quidem, ut caro carni, cutis cuti reſpondeat, & hac ratione eo melius claudantur.

B. *Curatio ſpecialis.*

1. *Tegumenta capitis communia*, ſi læſa ſint, communi methodo tractentur, nempe.

1) Primis diebus digeſtivis lenibus mundificatio reſpiciatur.

2) Deinde per eſſentiam vulnerariam conſolidatio promoveatur.

3) Denique *plumaceoli* tantum *ficci* imponantur.

2. *Pericranii* ſimplex læſio eodem modo tractetur. Quando autem *cranium* per eandem denudatum eſt, lamina illius *exterior*, quia a vaſis pericranii nutritur, facile abit in corruptionem, & tandem a reliqua cranii ſubſtantia ſeparatur. Ad hoc cavendum commendant auctores cranium ad *diploën* usque multis foraminulis perforandum, ut ex illis nova vaſa ſanguinea, novum pericranium

nium formantia, procrescant, & cum tegumentis cranii concrescant.

3. *Contusio capitis*, coagulato sanguine conspicua, expoſcit *discutientia*; vel, si hæc nihil efficiant, *maturantia*. Collecto pure apertura satis ampla sit, ne effluxus impediatur. Hac enim ratione partes subjacentes facile in corruptionem abeunt, & febris inflammatoria provocari potest.

4. *Depressio cranii simplex* & cum *fractura*.

1) *Simplex in infantibus* potissimum observatur & elevatur

a) Applicatione *cucurbitulæ majoris*; sub qua operatione os acnares obturare solent, ut cerebrum, in altum pressum, elevationem promoveat.

b) *Emplastro glutinante*, funiculis prædito, quod tepide aliquamdiu applicatur, &, si prima tractatio frustra fuerit, repetitur.

c) *Terebra*, prioribus remediis non sufficientibus, separata prius cute, modeste cranii non utraque, sed una tantum tabula perforanda est.

d) In *exigua* depressione, absentibus gravibus symptomatibus, non opus est elevatione, sed sufficiunt sacculi resolventes, ad contusionem discutiendam.

e) *Pulvis sternutatorius* in depressione cranii vulgo quidem laudatur, a nonnullis autem, tanquam cerebro infensus, rejicitur.

2) Cum *fractura* in *adultis* plerumque contingit, ubi frusta depressa elevantur

a) *Elevatorio*, præsente nempe apertura.

b) *Terebra*, quæ absente apertura, frusto depresso caute applicatur, cutis autem prius separatur.

c) *Hildani elevatorio tripodi*, si ossa proxima etiam fracta sint, in quo casu terebra non habet locum.

d) *Trepanatione* in loco proximo instituenda, quando frustum aliquod plane solutum est, ubi neque *terebra* neque *elevatorium* locum habet. Raro opus est laboriosa tali operatione. Frustum, quod intercedit foramen perforatum & locum affectum, post operationem *scalpro* & *malleolo* re-

movetur, ut per talem aperturam *elevatorium* applicari, & fruſtum depreſſum extrahi poſſit.

3) Facta elevatione commendant applicare *laminam* quandam *metallicam*, ad novam depreſſionem cavendam.

4) Ceterum affectus tractatur ut moris & ſuperius jam indicatum eſt, nempe impuritatum abſterſione, heterogeneitatum eliminatione, & conſolidantium applicatione.

5. *Sedes* ſeu *veſtigium.*

1) *Hæmorrhagia* decente modo ſiſtatur, in quem finem prima deligatione *plumaceolo* vulnus expleatur.

2) Abſterſa materia *balſamica eſſentia Stahlii* plumaceolus imprægnetur & imponatur.

6. *Fiſſura* ſeu *rima.*

1) Si viſum fugiat, vulnerato os & nares claudantur.

2) Deinde omni conatu halitum æger exſpiret.

3) Sic aër occluſus prorumpit, & humorem per cranii fiſſuram eliminat, ſimulque indicat, utrasque laminas eſſe perforatas.

4) Fiſſura *magna*, quia exitum concedit ſanguini vel aliis humoribus ibi detentis, non indiget *trepanatione.*

5) *Anguſtior* autem, & ubi ſymptomata per 3-4 dies urgent, trepanationem expoſcit, niſi ſanguis extravaſatus *ſacculis diſcutientibus* mox auſcultet.

6) In leviore caſu, ſymptomatibus non adeo diris ſtipato, *perforatio* illa, de qua ſub *pericranii* læſione ſuperius diximus, ſecurior erit quam *ſcalptura*, veteribus & quibusdam recentioribus in levioribus cranii fiſſuris & contuſionibus familiaris.

7) Reliqua, quæ *trepanationis* negotium circumſtant, ſuo loco videantur.

7. *Contrafiſſura.*

Hæc ejusdem cum *fiſſura* eſt indolis & tractationis, ſic etiam ipſa cerebri vulnera dictis methodis tractantur.

8. *Extravaſatio ſanguinis.*

1) Hæc uti cum multis ſuperius allegatis affectibus conjuncta eſſe poteſt, ita peculiarem meretur conſiderationem.

2) Detecto læſionis loco, uti ſub *ſignis* diximus, *diſcuſſio* ſanguinis ſequente modo tentetur.

a) *Ve-*

a) *Venæſectio* revulſoria largiter inſtituatur, & pro re nata repetatur.
b) *Purgans* efficax derivandi ſcopo poſtea propinetur.
c) *Diluentia* congrua exhibeantur.
d) *Clyſteres* ſtimulantes ſubjungantur.
e) Loco affecto emplaſtrum de *betonica* correctum applicetur.
f) Huic *facculi* diſcutientes, ſuperius deſcripti, vino cocti & expreſſi, calide ſæpius imponantur.
g) Naribus *ſal* quoddam *volatile* ſubinde admoveatur, excitandi & diſcutiendi ſcopo.

3) Diſcuſſio autem ſi hac ratione non obtinenda ſit, ſed ſymptomata potius vehementius urgeant, *trepanatio* mature inſtituatur.

9. *Vulnera frontis*

1) Labia contrahantur emplaſtro *glutinante*, adhibito ſimul, ſi gravius ſit vulnus, pulvere *ſarcocollæ*, vel gumm. *Arabico* vel tragacant. vel rad. conſol. majoris.
2) Huic imponatur *Emplaſt. ſtyptic. Crollii.*
3) *Faſcia uniens* ſeu *incarnans*, niſi vulnus transverſim inflictum ſit, applicetur. *Vid. tab. de faſciis.*
4) Reliqua tractentur ut moris eſt.

10. *Vulnera muſculorum temporalium.*

1) Quia hi muſculi externa ſui parte velantur *pericranio*, quod inflammatum *meninges* & *cerebrum* mox in conſenſum trahit, & ſpaſmos, convulſiones, lipothymias, efficit, ſatis periculoſa eſt illorum vulneratio. Nihilo tamen minus ex relatione cujusdam Amici conſtat, inciſionem in muſculum crotaphitem feliciter factam & hac ratione contrafiſſuram ibidem ſuſpectam detectam fuiſſe; quæ facta oſſis temporalis trepanatione cum ægri emolumento reſtituta fuerit. Quamquam autem de certitudine hujus caſus non dubitandum ſit, ipſa tamen ratio nos docet, hanc operationem ante eſſe inſtituendam, quam ſymptomata accedant, alias damna irreparabilia relinquet.
2) Inſignes etiam & ægre compeſcendæ hæmorrhagiæ inde oriuntur, ſi vaſa arterioſa diſciſſa ſint.
3) Si totus muſculus perforatus ſit, paralyſin producit *maxillæ inferioris.*

4) In curatione bene conſideretur læſæ partis conditio, & ſi *nervus temporalis* vulneratus ſit, plus de eſſentia ſuccini atque olei terebinthinæ, minus autem vel plane nihil de eſſentia myrrhæ adhibeatur.

5) Si vero muſculus leviter tantum læſus ſit, myrrhæ eſſent. præponderet.

6) Interne non negligantur antiſpaſtica, nervina, cinnab. cran. human. lumbric. terreſtr.

7) Multi quidem auctores contendunt, muſculos temporales, in caſu abſceſſûs, ibidem aperiundi, ſecure incidi poſſe, ſed alii valde id perſtringunt, profundam inciſionem negant & ſuperficialem tantum, atque inſuper ſecundum fibrarum ductum inſtitutam, probant.

11. *Vulnera palpebrarum.*

1) Quando transverſim palpebræ diſciſſæ ſunt, oculus neque claudi neque aperiri poteſt.

2) Ad oculum usque quando penetrat læſio, ægre conſolidatur ob ſubſtantiam membranaceam & continuum humorum affluxum.

3) *Hildano* teſtante hemicrania & coecitas ab hac læſione provenire poteſt.

4) *Suturæ* hic minus conveniunt, ob exquiſitum ſenſum, quo membranoſæ hæ partes præditæ ſunt.

5) *Balſamicis temperatis* curatio abſolvitur, abſtinendo a pinguibus & acribus.

12. *Vulnera oculorum.*

1) Gradu differunt. Alia enim intra tunicas adhuc ſubſiſtunt, alia ipſam oculi cavitatem penetrant, & humorum effuſionem efficiunt.

2) Quæ tunicas tantum penetrant, facilius reſtituuntur.

3) *Humorem aqueum* naturam reſtituere poſſe per *ductus Nuckianos* auctores teſtantur. Ante autem illius reſtitutionem atrophica oculi conſtitutio & viſus perditio inducitur.

4) Quando autem ſolidiores humores, nempe *cryſtallinus* & *vitreus* effuſi ſunt, nulla ſpes reſtitutionis eorum affulget.

5) In *tunicarum* tantum læſione, uti & humoris *aquei* effuſione, reſtitutioni inſerviunt

a) *Li-*

a) *Linimenta balſamica* ab acredine libera, virtutis abſtergentis & conſolidantis, quo nomine laudem meretur *albumen ovi* cum *aqua roſarum* conquaſſatum, cum terra quadam, e. g. bolo armena, remixtum, & pluma illitum.

b) Præſente inflammatione momentum camphoræ adjicitur, ſpiritus illius, linteo quadruplicato tepide inſtillatus, exterius applicatur, ad inflammationem vel cavendam vel diſcutiendam.

c) *Collyria* ex aquis euphraſiæ, chelid. maj. cyani, calcatripp. roſarum, parata, & cum terreis ſubtiliſſime præparatis, (ne tunicis adhæreant) e. g. lapid. calaminar. tutia, bolo armena remixta & tepide applicata, adjecto ſaccharo ſaturni, quod inflammationi reſiſtit, acrimoniam temperant & conſolidant.

d) *Interne* temperantia nitroſa locum habent.

e) Conveniunt revulſionis ſcopo *pediluvia*, & pro re nata *venæſectiones* in pede.

f) Aëris frigidi & lucis acceſſus excludatur. Hinc in obſcuro habitet ægrotans.

6) In humoris *vitrei* & *cryſtallini* effuſione vulneris conſolidatio reſpicitur, & *oculus vitreus*, *aureus* vel *argenteus* ordinarie commendatur.

7) *Burrhus* & *Kerkringius* reſtitutionem viſus promittunt, licet omnes humores effuſi ſint. Et præclari quidam Viri hodie obſervarunt, quod vulnus non adeo magnum in tunica tantum *albuginea* & *ſclerotica* aliquando iterum conſolidetur, oculus repleatur, & viſus recuperetur.

8) In *ſugillatione*, i. e., quando macula lata ſanguinea in oculi *albo* a gravi contuſione vel ictu exoritur, propter vaſculorum in tunica *adnata* ruptionem, & ſanguinis hinc ſtagnationem, conducunt *ſacculi* diſcutientes camphorati, vel *ſpiritus vini camphoratus*, leviter *crocatus*, linteis applicatus.

9) Vulnus ad muſculos oculorum & *ſcleroticam* membranam penetrans, non vacat periculo, ob conſenſum oculi cum *dura matre*. Hinc ad cavendam in tali caſu inflammationem & alia gravia ſymptomata, venæſectio revulſoria, eaque in plethorico ſubjecto largior, commendatur. 10)

10) Ceterum in *sclopetariis* oculorum vulneribus, si gravia sympto mata accedant, inquiratur, an non forte globulus plumbeus in ca vitate oculi adhuc hæreat.

13. *Vulnera aurium.*

1) Auris plane *dissecta* non potest consolidari.

2) Quæ autem *incisa* tantum est, admittit restitutionem.

3) Emplastra *glutinantia*, nisi admodum profundum sit vulnus, ple rumque satisfaciunt. His autem non sufficientibus, *sutura* qual cunque, vel commoda auris *deligatione* opus est.

4) Auri vulneratæ *fungus* immittitur vel *plumaceolus*, ne quid hete rogeneæ materiæ e vulnere in eandem illabatur.

5) De reliquo abstergentibus & balsamicis vulnus tractatur.

14. *Vulnera nasi.*

1) Nasus si prorsus abscissus sit, non coalescit. Hinc suo loco re linquitur id, quod *Blegny* de frusto nasi, plane discisso, per sutu ram restituto, refert.

2) Quando autem exigua adhuc pars cohæret, læsio per callu coalescit.

3) *Levia* nasi vulnera emplastris *glutinantibus* tractari possunt. Qu major autem est læsio, eo magis opus est sutura, quam cartilag neæ hæ partes admittunt.

4) Vulnus quando cavitatem nasi penetrat, *cannulæ*, cannabi obdu ctæ, naribus immittantur, ut excrescentia in iisdem carnosa im pediatur.

5) De reliquo uti aliud vulnus tractetur.

15. *Vulnera genarum seu buccarum.*

1) Gravior hæmorrhagia, ob majora & copiosa vasa hic metuenda solicite respiciatur & dextre tractetur.

2) Quando labia vulneris multum dehiscunt, vel in cavitatem plan buccæ læsio penetrat, emplastra *glutinantia* requiruntur, abstra hendo, quantum fieri potest, a *sutura*.

3) Musculus, *buccinator* dictus, quando læsus est, inquiratur, num sa vus adhuc sit *ductus Stenonianus*. Hoc enim læso, contumax gena fistula metuenda est.

4) Genarum motus aliquamdiu vitetur e. g. masticatio, loquela.

16. *Vul*

16. *Vulnera labiorum.*

1) *Levia* quando ſunt, emplaſtra *glutinantia*, ad labia contrahenda, ſufficiunt, impoſito empl. *ſtyptico Crollii.*

2) *Majora* autem pulveres ſimul *glutinantes* & *conſolidantes*, antea inſpergendos, expoſcunt, e. g. pulv. *ſarcocollæ, gum. Arabic. tragacanth.*

3) Non ſufficientibus emplaſtris glutinantibus, *ſutura* accedat, neceſſe eſt. *Conferatur ſutura labii leporini.*

4) *Motus* labiorum ad tempus vitetur & juſculis tantum æger nutriatur.

5) Faſcia, *incarnans* dicta, utiliter hic adhibetur.

17. *Vulnera linguæ.*

1) Hæc rarius ab extra, e. g. lapſu, puncturis, ſclopetis; frequentius autem ab ipſis dentibus ſub paroxyſmo epileptico infliguntur.

2) Ob perpetuum linguæ motum & humiditatem difficulter conſolidantur, præcipue ſi profunda vel transverſim inflicta ſint, aut pars quædam abſcindatur.

3) Lingua plane diſciſſa nequit conſolidari, pars enim ſublata mox emoritur.

4) Quando vulnus *leve eſt*, conſolidatur *eſſ. balſamica Stahlii*, item *oleo myrrhæ per deliquium*; *olee amygdal.* cum *ſaccharo canarienſi* remixtum, vel linimento quodam balſamico, aut decocto, diu in ore detento.

5) In *profunda* læſione *ſutura* in ſuperficie cutis, ad inflammationem præcipue cavendam, neceſſaria eſt. Nam emplaſtrum glutinans hic non habet locum.

6) Quando vero vulnus altius verſus fauces hæret, & *futuræ* perficiendæ aditum non concedit, ſola medicaminum applicatione contenti eſſe cogimur. Sic etiam ſclopetarium vulnus non admittit *ſuturam.*

7) *Purmanni fibula*, quam in talibus vulneribus efficaciter adhibuiſſe contendit, ulterius inquirenda & explicanda eſt.

8) Interne, ſi per vulnus fieri poſſit, lenia laxantia, derivandi ſcopo, conveniunt.

9) Linguæ motus quovis modo evitetur, & jusculis atque emulsivis æger nutriatur.

10) Conferatur notabile illud exemplum, quod habet *Hildanus* de vulnere linguæ, *cent.* I. *observ.* 28.

18. *Vulnera faucium.*

Hæc & reliqua ossis interni vulnera iisdem remediis balsamicis & travmaticis, quæ sub vulneribus linguæ indicata sunt, consolidantur.

19. *Vulnera menti.*

Hæc ejusdem cum *buccarum* vulneribus sunt tractationis.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Styptica*, terrestris & *vitriolicæ* indolis, minimum in vulneribus capitis habent locum.

2. Sic etiam *unguinosa pinguia* in tractatione vulnerum capitis præcipue fugienda sunt, ob inflammationem, quam obstruendo poros producunt.

3. *Cranii* læsiones non frivole unicus Chirurgus in se recipere debet, sed alius periti socio concursu. Insuper Medici auxilium pharmaceuticum necessarium est. Nam notissima est conspiratio reciproca inter caput violatum & primas vias; id quod e vomitu, læsionem capitis plerumque excipiente, eluceſcit.

4. Sanguis *congrumatus* vel materia *purulenta*, a læsione capitis producta, quando intra *duram* & *piam matrem* subsistit in loco declivi, & exiguis vasis prædito, incisio locum habet. Tales casus non raro eveniunt. *Vid. Marchette, Fallopius, Coterus.*

5. Gravia *symptomata*, quæ læsionem capitis circa diem septimum excipiunt, majoris sunt periculi, quam quæ statim sub initium oriuntur.

6. *Fissuram* linteo carpto tegere solent, ne, si materia sanioſa inter cranium & cutim subsistat, ad cerebrum penetret; id quod extra casum *fracturæ* vel *fissuræ* fieri non potest. Quando autem vulnera *cranii* & *meningum* ex incuria nimis cito consolidantur, materia serosa vel purulenta, exitu interrupto, tantam acrimoniam tractu temporis contrahit, ut *cerebrum*, imo ipsum *cranium* corrodat.

7. Dantur ſubjecta robuſta, in quibus *cranii fractura* adeo gravia ſymptomata non affert, præcipue ſi in oſſe *frontis* vel *occipitis* illa contingat.

8. Os *occipitis*, quia robuſtum & colli muſculis tectum eſt, graves injurias ſine notabili periculo perferre poteſt.

9. Os *frontis*, quia cavum eſt in parte inferiore, raro utraque illius lamina læditur. Hoc autem quando contingit, ob conſolidationem difficilem, ulcus ſordidum facile remanet, quod cum naribus ac oculis communicat; de qua re *Stalp. van der Wiele* mirifica quædam exempla refert.

10. Vaſa ſanguifera *duræ matris* turgida a gravi contuſione rumpi poſſunt, licet cranium illæſum maneat. Nam hæc membrana in quibusdam locis *bregmati* firmiter annexa eſt. Imo per violentam talem percuſſionem ipſum *cerebrum* concuti & mortem induci poſſe, præter alios, *Tulpius* teſtatur; quamquam cranium illæſum ſit, & nulla ſanguinis extravaſatio reperiatur.

11. *Lunæ* mutationi ſymptomatum exaſperationem in læſionibus capitis adſcribere, experientiæ non ſatis reſpondet.

12. In omnibus *faciei* vulneribus, quantum fieri poteſt, vitentur illa remedia, quæ illam majore cicatrice deturpare poſſunt, e. g. futuræ, fortiora adſtringentia, quæ poros anguſtando fibras reddunt rigidiores.

13. *Oculorum* læſionum tractatio tam manualis, quam præcipue pharmacevtica Chirurgis non promiſcue tradenda eſt. Judicium enim hic requiritur & ſumma circumſpectio, ne acria temere adhibeantur.

TABVLA LIV.
DE
VULNERIBUS COLLI ET THORACIS.

I. *Vulnera arteriæ aſperæ.*

1. *Signa* hujus læſionis ſunt
   1) Loquelæ privatio.
   2) Perceptio inſignis doloris verſus dorſum.
   3) Faucium ſanguine repletio.
   4) Sanguinis cum aſſidua tuſſi e larynge excretio.
   5) Flatuum per vulnus eruptio.
2. *Prognoſin* exhibet *tabula de lethalitate vulnerum.*
3. *Methodus* ſuperſtructa eſt *prognoſi*, nam
   1) Si œſophagus vel majora vaſa ad latera gutturis ſimul læſa ſint, fruſtra eſt omnis medicatio, quia enormis hæmorrhagia brevi tempore vitam delet. Idem ſentiendum, quando arteria plane diſciſſa eſt.
   2) Quando autem *annuli* tantum arteriæ aſperæ diſciſſæ ſunt, quod ſpiritus e vulnere emiſſus in exſpiratione docet, ejusdem cum *laryngotomia* vulnus eſt conſiderationis, & tractatur ſequente ratione.
      a) Sanguis extravaſatus, quando adeſt, eximitur.
      b) *Levis* vulneratio emplaſtro *glutinante, gravior* autem *ſutura* contrahitur.
      c) Ceterum more reliquorum vulnerum *balſamicis* læſio tractatur.
      d) In *ſclopetariis* vulneribus, ubi *ſutura* non habet locum, *digeſtiva* balſamicis præmittenda ſunt.
      e) Durante curatione convenit caput paululum antrorſum inclinare.

II. *Vulnera arteriæ carotidis & venæ jugularis.*

1. *Prognoſin* harum læſionum docet *tabula de lethalitate vulnerum.*
2. In *curatione* ſedatio hæmorrhagiæ univerſum abſolvit negotium, quam

quam dextra deligatio vel *compreſſio*, ſive manualis, ſive inſtrumentalis, per aliquot ſæpe dies continuanda, non mediocriter promovet.

3. Læſio *venæ jugularis externæ* libentius admittit ſanguinis maturam ſedationem. Sic etiam venæ jugularis *internæ levis* vulneratio dictis conaminibus nonnunquam auſcultat.

4. *Profundior* autem hujus venæ læſio vix unquam reſtituitur. Interea præſtat aliquid, quam nihil feciſſe, & quia canes vivere poſſunt, licet hæc vena ligetur, *ligatura*, *compreſſio* & reliquus ad ſanguinem ſedandum apparatus tam diu tentetur & applicetur, quam vulneratus reſpirat.

5. Læſio arteriæ *carotidis* licet momentaneam mortem non ſemper adferat, reſpuit tamen utplurimum hæmorrhagiæ ſedationem.

II. *Vulnera œſophagi.*

1. Hæc valde ſunt periculoſa, & quando gravia exiſtunt, plerumque funeſta, præcipue ſi transverſim inflicta reperiantur.

2. Hoc periculum augetur, dum vulnus non poteſt deligari, alimenta non poſſunt tranſire, potulenta in thoracem deſcendunt, & ſuffocationem efficere ſolent.

3. Quando autem inciſus tantum eſt œſophagus, emplaſtrum *glutinans* adhibeatur, & vulnus balſamicis tractetur.

4. Hoc caſu vulnus poſt cibos, parciſſime aſſumendos, ſemper repurgetur, ne corruptio illorum ſuccedat, & clyſteres *nutrientes* applicentur.

IV. *Vulnera nervorum.*

1. Hæc quando repentinam mortem non adferunt, tractentur balſamicis, nervorum ſyſtemati convenientibus. *Confer. cautel. 28. tab. de vulneribus generatim.*

2. Idem ſentiendum eſt de læſionibus *medullæ ſpinalis.*

V. *Vulnera muſculorum colli.*

1. Quando muſculus *maſtoideus* diſciſſus eſt, lædit flexionem. Quando autem *ſplenius* & *complexus*, item *rectus* & *obliquus* læſus eſt, impedit extenſionem.

2. A tractatione vulnerum *carnoſorum* non abludunt. Quoniam læſio transverſim facta magnum facit hiatum, dum fibræ ſe contrahunt, emplaſtro *glutinante* opus eſt. Nam *ſutura* hic non habet locum.

VI. *Vulnera thoracis levia.*

Quando ſuperficiem tantum thoracis vulnera tangunt, cavitatem autem ipſam non penetrant, eandem cum vulneribus vulgaribus exposcunt tractationem.

VII. *Vulnera ſterni.*

1. Non facile ipſum *os* ſterni, niſi in infantibus, ſed plerumque *cartilagines* illius læduntur.

2. Vulnera hæc quando *cor* vel *pulmones* ſimul penetrant, ejusdem cum læſionibus talibus ſunt peſſimæ prognoſeos.

3. Quæ *mediaſtinum* tantum attingunt, ſubinde quidem reſtituuntur facile autem ſanguis, quando intra *duplicaturam* hujus membranæ hæret, & tempeſtive non evacuatur, abit in corruptionem, cum vaſa ſanguifera, hanc regionem tranſeuntia, novum ſanguinem affundunt, & empyema completum efficiunt. In quo caſu empyematis operatio, quæ multiplici experientia probata eſt, commendatur.

4. In tali ſtatu *os ſterni* terebrare, ut materia educatur, commendant. Aſt licet ipſa natura hanc viam ſubinde monſtret, dum exitum ſibi interdum parare ſolet circa cartilaginem *enſiformem*, multis tamen difficultatibus hoc negotium premitur. Quemadmodum enim ſternum in parte inferiore prope cartilaginem enſiformem ad oſſeam ſubſtantiam raro accedit, ſed poroſa manet: ita ſanguifera utriusque generis vaſa recipit, quorum per terebrationem facta læſio effuſionem ſanguinis intra thoracis cavitatem parvi non habendam efficit. Tacemus majora vaſa ſub ſterno decurrentia, quæ læſa hæmorrhagiam nulla arte compeſcendam producerent.

5. Dignoſcitur autem talis purulenta materia e ſenſu ponderis alicujus in illo loco & difficili reſpiratione.

6. Ceterum vulnus tractatur, ut moris eſt.

VIII. *Vulnera thoracis cavitatem penetrantia.*

1. *Signa.*

1) *Aër* cum ſtrepitu per vulnus erumpens; exceptis illis, quibus pulmo *pleuræ* concretus eſt; quæ circumſtantia Medicorum renunciationem ſubinde fallit.

2) *Dyſpnœa* cum dolore diaphragmatis tenſivo, & aliis ſymptomatibus.

3) Rejectio *ſanguinis* e vulnere per tuſſim.
4) Exſtinctio vel ad minimum motus *candelæ*, vulneri admotæ, præcipue quando vulneratus profunde reſpirat.
5) *Aqua* tepida injecta non refluens.
6) Reliqua docet *inſpectio* vel *exploratio* ſive manualis, ſive inſtrumentalis.
7. *Sanguis*, non ſemper quidem, utplurimum tamen in cavitatem effunditur, quod cognoſcimus
a) Nullo vel parciſſimo tantum ſanguinis extrorſum proventu.
b) Reſpiratione difficillima.
c) Senſu ponderis alicujus in diaphragmate, ſub motu fluctuantis.
d) Unde ægerrime in oppoſito latere ſano ægri occumbunt, commodius autem in latere affecto.

Curatio.

1) Præcipuum horum vulnerum momentum eſt, ut ſanguis, ſi in thoracem effuſus ſit, ſucceſſive evacuetur; quod ſequente modo fieri poteſt.
a) *Suctione*, ſive ab ipſo Chirurgo, ſive ab alio perpetranda.
b) *Decubitu proclivi* in latus affectum, excitando tuſſim & graviorem profundam reſpirationem.
c) In ſuprema autem thoracis parte quando vulnus inflictum eſt, talis decubitus difficultate premitur. Hinc opus eſt in tali caſu *paracenteſi*; conſolidando mox vulnus ſuperius.
d) *Injectione* congrui *liquoris* ex herbis reſolventibus, abſtergentibus, balſamico-traumaticis, cum *vino* optimo & *melle roſato* parati. Hac enim ratione ſanguis coagulatus reſolvitur, vulnus mundificatur, & conſolidatio promovetur. Tam diu continuandum, donec nil ſanguinis magis appareat, & vulnus interea apertum ſervandum eſt *turunda*, filo prædita, vel *cannula*.

2) *Sclopetaria* thoracis vulnera, quando medelam adhuc admittunt (plerumque enim ſunt lethalia) *heterogenea*, ſi fieri poteſt, extrahantur, e. g. portio veſtimenti, vulneri intruſa, globulus in cavitate latitans.

3) Quando autem globulus nulla arte extrahi poteſt, vulnus ſine formidine conſolidetur. Tantum enim non eſſe periculum reli-

cti in corpore globuli, quantum vulgo putant, multorum exempla teſtantur.

4) De reliquo autem omnino cautela opus eſt, ne vulnera thoracis cavitatem penetrantia, præmature conſolidentur.

IX. *Vulnera pulmonum.*

1. *Signa.*

1) Sanguis floridus, ſpumeſcens, tuſſi rejectus, per os æque ac ipſum vulnus.

2) Inſignis difficultas reſpirandi.

2. *Methodus.*

1) Mors niſi ſtatim accedat, ſanguis, in thoracem effuſus, evacuetur; uti ſuperius jam indicatum eſt.

2) Poſtea vulnus decente modo ſemel per diem deligetur, & tanta quidem, qua fieri poteſt, celeritate, ut aëris injuriæ arceantur.

3) Imo utile erit, aërem ante emplaſtri applicationem, ſyringa vel ſuctione e vulnere ſemper extrahere, ſub hoc actu profundam inſpirationem ægroto injungere, atque plumaceolum eo momento imponere.

4) Quando autem portio læſa extra vulnus propendet, poſt ligaturam illa abſcindenda eſt. Conf. *Celſus lib. V. c. 26. Præſcinde, quid quid ex jecinore, liene aut pulmone extremo dependet.*

5) Pulmonem, hoc modo præſciſſum, in vulnere coaleſcente relinquendum eſſe, auctores commendant: Dicunt enim, ſanguinem e venis laceratis in cavitatem fluere, & corruptionem funeſtam ſubire poſſe.

6) Præterea aſſeverant, quod hac accretione liber pulmonum motus non impediatur.

7. *Hildanus Cent. II. obſ. 32.* refert, quod in vulnerato quodam portio pulmonis nigra & corrupta, e vulnere prominens, cauterio ſcindente abſciſſa, ſana pars repoſita, & vulnus feliciter ſanatum ſit.

8) Quæ ſuperius monuimus, quod vulnera, cavitatem penetrantia præmature non debeant conſolidari, hoc loco præcipue obſervanda ſunt. Quando enim ante ſanationem vulneris interni pulmonalis vulnus externum conſolidatur, facile ulcus phthiſicum cum febre hectica inducitur; vel materia, e vulnere ſtillans, in cavitate corruptionem ſubit, & niſi paracenteſis mature inſtituatur mortem accelerat.

9) Con-

9) Conferri etiam hic merentur, quæ *tabula medica de empyemate* indicavimus, quod ſcilicet multi auctores probati aſſerant, humores, in thorace ſtagnantes, per urinam poſſe evacuari, licet neque modus, neque viæ pateant. *Vid. Stalp. van der Wiele obſ. 35.*

10) Mentionem etiam faciunt auctores monſtroſi & totum fere corpus occupantis tumoris, qui pulmonum ac thoracis læſionibus aliquando ſuperveniat. *Riverius* furfure torrefacto & calide applicato eundem diſcutere allaboravit.

11) Remedia fortiora, ſpirituoſa, volatilia, item expectorantia & opiata in pectoris læſionibus præcipue nocent.

12) Diæta euchyla, humectans & demulcens commendatur.

Vulnera cordis.

1. Quando *conum* tantum cordis vel carnem muſculoſam penetrant, admittunt nonnunquam ſanationem, excepta fere ſemper læſione ſclopetaria.

2. Quidquid in tali periculo artis eſt, ſuperius de ſanguine educendo & vulnere tractando jam indicavimus.

TABULA LV.

DE

VULNERIBUS ABDOMINIS.

Vulnera abdominis ſuperficialia.

1. Quæ læſiones tegumenta tantum communia afficiunt, tractantur ut vulnera communia.

2. Quæ *muſculos* ſimul abdominis magna diſciſſione lædunt, maturam expoſcunt futuram, *gaſtroraphiam* dictam. Alias enim inteſtina facile prominent, præcipue quando *peritonæum* etiam læſum eſt. Et licet illæſum ſit, preſſioni tamen inteſtinorum reſiſtere non poteſt. In minore læſione faſcia *uniens* ſufficit.

3. Alvus clyſteribus aperta ſervatur.

4. Vulnus, quod transverſim factum eſt, & multos muſculorum tendines affecit, præcipue circa *lineam albam* & regionem pubis, ubi tendines concurrunt, maxima circumſpectione tractandum eſt, alias ſpaſmi, convulſiones, febres, exoriuntur. Tractatur autem balſamicis temperatis, pro re nata per *ſiphonem* injiciendis.

II. *Vulnera abdominis cavitatem penetrantia.*

1. Quod vulnus ſolam abdominis cavitatem, non autem ſimul viſcera in illa contenta penetravit, dignoſcitur
   1) Minore hæmorrhagia.
   2) Injectione liquoris tepidi, ſine mixtione bilis, chyli, urinæ vel fæcum refluentis.
2. Exploratio non tam ſecure inſtituitur ſpecillo ferreo, quam *candela cerea*, quæ ad mæandros occurrentes melius poteſt flecti.
3. Quando *inteſtina* ex abdomine diſciſſo prominent, foveantur quantocyus lacte calido vel vino optimo, cum nervinis herbis cocto, & deinde in ſitum naturalem modeſte reponantur.
4. *Omentum* e vulnere propendens eandem expoſcit tractationem. Cavendum a temerario illo auſu, portionem abſcindere velle; cujus rei *Foreſtus* hiſtoriam recenſet *in obſerv. chirurg. 7. lib. VI.* Quando autem pars vulnerata in corruptionem jam abiit, quod ob teneram ſtructuram facile fieri poteſt, tum corrupta pars, facta deligatione omnino removenda eſt. Sic *Palfynus* de *Marſchallo* teſtatur, quod portionem *corrupti* omenti abſumſerit.
5. Idem ſentiendum eſt de portione *hepatis* abſcindenda. Licet enim *Hildanus obſerv. 34. cent. II.* notabili plane exemplo confirmet, quod ſine vitæ periculo fieri hoc poſſit, eſt tamen temerarius auſus, quando extra ſtatum corruptionis jam factæ ſuſcipitur, & multo peior ſtatus quam ſi omenti portio abſcindatur.
6. Facta repoſitione ſive *inteſtinorum*, ſive *omenti*, ſive *hepatis*, *gaſtrorraphia* perficitur, & vulnus, ut moris eſt, tractatur. *Gaſtroraphia* autem quibus cautelis inſtituenda ſit, ſuo loco videatur.

III. *Vulnera umbilici.*

1. Hæc valde ſunt periculoſa. Nam non ſolum vaſa *arterioſa* & *venoſa* quando læſa ſunt, gravem hæmorrhagiam inducunt, ſed & vulnerata pars hæc tendinoſo-ligamentoſa, quia cum toto genere nervoſo connexionem habet, (præcipue cum *veſica* & *inteſtinis*, unde *diuretica* & *l*

& *laxantia* eidem imponere ſolemus) graviſſima efficit ſymptomata, vomitum, deliria, convulſiones. *Vid. Bartholin. hiſt. anat. cent. V.*

2. Hinc quando reſtauratio adhuc ſperanda eſt, primo *hæmorrhagiæ* ratio habeatur, & deinde vulnus ita tractetur, uti partes *exſangues* expoſcunt. *Vid. tab. de vulneribus generatim caut. 28. 29. 30.*

IV. *Vulnera omenti.*

1. Hæc reſtaurationem admittunt.
2. Vaſa autem ſanguinea quando diſciſſa ſunt, & æger majorem abdominis artificialem aperturam reſpuit, hæmorrhagia ob cauſam hanc *moralem* mortem accelerat.
3. Omentum extra abdominis vulnus propendens, quomodo tractandum ſit, ſuperius jam indicatum eſt.

V. *Vulnera hepatis.*

1. Copioſum ſanguinem ſub hypochondrio dextro fundunt, pallet ægrotus, tuſſit, febre facile corripitur.
2. Quæ ſuperficiem tantum lædunt, admittunt medelam, quæ ab aliis vulneribus, cavitatem penetrantibus, non recedit.
3. Vaſa autem venæ *portæ* vel *cavæ* lacerata, ob copioſam ſanguinis ad interiora effuſionem, mortem adferunt.

VI. *Vulnera veſicæ felleæ.*

In his curandis operam & oleum perdimus. Licet enim mortem repentinam non ſemper adferant, perpetuo tamen bilis effuſio lentam inducit corruptionem, quæ reſtaurationem præſcindit.

VII. *Vulnera lienis.*

1. Sanguis niger e ſiniſtro latere prorumpit, præcordia & ventriculus in eodem latere dolent & indureſcunt, ſitis vulneratum vexat.
2. Profundæ hujus viſceris læſiones non curantur, ob vaſa copioſiſſima, quibus inſtructum eſt.
3. Hinc aſſertum illud vulgare, *quod lien ſalva vita poſſit exſcindi*, de *canibus* quidem & aliis brutis facilius conceditur, in quibus hoc viſcus magis anterius verſus abdomen ſitum eſt, in hominibus autem, ob majorem ſenſibilitatem & difficiliorem ad illud aditum (ſub coſtis enim ſpuriis, diaphragmate & ventriculo poſitum eſt) nemo facile imitabitur unicum illud exemplum, quod de hac operatione *Bartholinus* hiſtor. 51. cent. IV. de *Italo* quodem refert. Tacemus magnam eſſe dif-

differentiam inter artificiosam providam exsectionem, & inter violentam vulnerationem.

VIII. *Vulnera pancreatis.*

Hæc utplurimum restaurantur. Nam de hoc viscere certius, quam de *liene* affirmant, quod salva vita possit exscindi.

IX. *Vulnera mesenterii.*

Hæc, nisi centrum attingant, in quo insignes nervorum rami concurrunt, spem etiam faciunt restitutionis.

X. *Vulnera renum.*

1. Renes vulnerati dolorem ad inguina diffundunt, urinam vel plane non, vel difficulter, vel cum sanguine excernunt.
2. *Superficialia* possunt consolidari, & quidem eadem methodo, qua vulnera, cavitatem penetrantia, tractanda sunt.

XI. *Vulnera vesicæ urinariæ & ureterum.*

1. Dolor ex inguine ad ilia adscendit, pubis regio inflatur, urina cruenta excernitur non solum via ordinaria, sed sæpius per vulnus. Supervenit quandoque singultus & vomitus.
2. In quibus casibus aliqua spes restitutionis supersit, *tabula de lethalitate vulnerum* docetur.

XII. *Vulnera ventriculi.*

1. *Signa.*
   a) Cibus & potus per vulnus excernuntur.
   b) Sanguis ἄνω & κάτω rejicitur.
   c) Singultus accedit.
   d) Dolor strictorius circa præcordia, bilisque vomitus.
   e) Convulsiones, sudores syncoptici, cum extremarum partium refrigeratione.
2. *Fundus* ventriculi & regio *duorum orificiorum* uti plerumque lethaliter vulnerantur, præcipue ob exquisitissimum sensum, a concursu nervorum dependentem, ita sanari posse vulnera, ad *latus* sive *medium* ventriculi inflicta, auctores fide digni passim testantur exemplis *cultrivororum*, in quibus cultri deglutiti partim exscisi sunt, partim per abscessum, a natura excitatum, feliciter prodierunt.

XIII. *Vulnera intestinorum.*

1. Hæc majoris sunt periculi, quam substantiæ ventriculi vulnera.
2. *Tenuium* intestinorum læsiones majoris sunt periculi, quam *crassorum.*

3. Pro-

3. Proſtant tamen exempla, quod labia vulnerum, tam *tenuium* quam *craſſorum* inteſtinorum, cum labiis vulnerum abdominis coaluerint, per quam aperturam vel excrementa, vel chyloſa materia perpetuo poſtea effluxerunt.
4. Inteſtinum plane diſciſſum ſtatum exhibet calamitoſum.
5. *Duodenum* quando læditur, *bilis* cum ſucco *chyloſo* in cavitatem abdominis effluit, & corruptionem partibus ibi contentis affricat.
6. *Jejunum* vulneratum eamdem calamitatem inducit. Nam copioſis vaſis ſanguineis non ſolum inſtructum eſt, verum etiam motu *periſtaltico* gaudet fortiore, unde contenta ſua tanto magis extra cavitatem ſuam protrudit.
7. *Ileum* læſum gravisſima ſymptomata inducit, ſpasmos nempe, inflammationes, convulſiones. Præ reliquis enim inteſtinis tunicas habet nerveas, minus fibroſas, quæ difficillime conſolidantur.
8. Vulnera *craſſorum* inteſtinorum excretione fæcum alvinarum dignoſcuntur. Hæc uti cerebrius quam *tenuium* inteſtinorum læſiones reſtaurantur, ita præcipue *colon*, quod reliqua crasſitie ſuperat, facilius conſolidatur, imo cum cute ſponte coaluiſſe, & fæces per talem canalem ejeciſſe, conſtat.
9. *Methodus ventriculi & inteſtinorum vulnerum.*
   1) In læſionibus *exiguis* ſufficit partem læſam prominentem reponere, & abſtinentiam a cibo & potu, ſive [illegible]iam, ſive moderatam, per aliquot dies commendare.
   2) De reliquo vulnus tractatur, uti læſiones cavitatem penetrantes.
   3) In gravioribus læſionibus *enteroraphia* opus eſt, ne chyloſa materia vel fæces in cavitatem labantur, atque corruptionem ibi ſubeant. Eſt quidem operatio periculoſisſima, feliciter tamen illam ſubinde ſucceſsiſſe, experientia confirmat. De ipſo operandi modo inferius dicetur.
   4) Inteſtinum *plane diſciſſum*, quia ſponte natura cum vulnere externo ſubinde concreſcere obſervatum eſt, expoſcit, ut extremitas illius *ſuperior* (ab *inferiore* probe diſcernenda) cum externa læſione paululum conſuatur. Fæces, quæ poſt concretionem per hunc locum excernuntur, tanti non ſunt fœtoris, quam quæ per ordinariam viam eliminantur; id quod moleſtiam, inde reſultantem, quodammodo ſublevat.

5) Extremitates inteſtini diſſecti, ſi jam in corruptionem abiiſſent, prævia vaſorum meſenterii deligatione auferantur.

XIV. *Vulnera uteri.*

1. Craſſa & fibroſa uteri ſubſtantia læſa admittit conſolidationem, quam promovet ſanguinis, e vulnere fluentis, commoda evacuatio per uteri cavitatem.
2. Vaſa majora hypogaſtrica exterius, vel circa *ovaria* ſerpentia, quando læduntur, res eſt conclamata.
3. Uterum, præcipue ad latera, ante fœtus inſtantem excluſionem rumpi aliquando obſervatum eſt, ita ut infans extra uterum plurimam partem reperiatur; qui ſtatus calamitoſus nullam admittit medelam.
4. Hiſtorias de utero, ſalva vita exſecto, ſuo quidem loco relinquimus; excreſcentiam autem, in vagina enatam, pro ipſo utero habitam aliquando fuiſſe, vero ſimile eſt.
5. Interea obſervatio *Ruyſchiana* de utero prægrandi ſchirrhoſo, extra pudenda propendente, fidem talibus hiſtoriis præbere videtur. Nulla enim adeo difficultas apparet, quo minus ſub dextra hæmorrhagia tractatione moles talis exſcindi poſſit.

XV. De vulneribus *articulorum* adjicimus curioſam illam pollicis vulnerati curationem, quam cito, tuto & iucunde abſolvit *Stahlius*. Vid. *diſſert. illius de chirurgia medica* p. 31, 35.

1. Abſterſo nempe cruore, dimidiam guttam *olei terebinthinæ* vulneri affricavit.
2. Deinde totum vulnus ceræ flavæ liquatæ immiſit.
3. Hanc operturam, deligatione qualicunque firmatam, per ſex dies ſervavit: admiſſa prioribus diebus, dum cera nonnihil a digito dehiſcit, ſemel vel bis quotidie, guttula olei ejusdem.

XVI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Contingit aliquando, ut inteſtina craſſa, excrementis referta, a gravi abdominis contuſione dehiſcant, unde fæces in cavitatem abdominis ſecedunt, atque corruptionem periculoſam efficiunt.
2. Idem etiam obſervare contingit de *veſicula fellea*, unde bilis in cavitatem profluit.
3. Non minus a gravi eiusmodi contuſione ſanguis circa *omentum* & *inteſtina* facile in ſtaſin inflammatoriam & corruptionem deducitur. Qui

au

autem in talibus circumſtantiis agendum ſit, *tabula de contuſionibus* dicetur.

4. *Enteroraphia*, uti vulgo perfecte & complete perficitur, a recentioribus rejicitur, ob ſymptomata, quæ adferre ſolet, dolorifica, inflammatoria, convulſiva, & præcipue ob eventum nihilominus ſæpiſſime funeſtum.

5. Hinc medium tantum vulneris locum acu perforandum, & filo vulneri externo attrahendum, filumque ipſum per emplaſtrum externe firmandum commendant. Obſervarunt enim, inteſtina *conſuta* non per ſe, ſed cum peritonæo, omento, vel alia parte concreſcere.

6. *Turundarum* uſus in vulneribus abdominis tam diu neceſſarius eſt, donec nihil amplius heterogeneæ materiæ profluat. Dilatatio autem vulneris anguſti per *turundas* minimum in abdomine habet locum.

7. *Filo* autem prædita ſit *turunda*, ne in cavitatem abdominis prolabatur, vel ſi hoc factum eſſet, ope illius extrahi poſſit. Et quoniam non nunquam duo, imo tria fila in uno vulnere occurrunt, e. g. in gravi læſione inteſtini alicujus & omenti, quodlibet peculiari ſigno diagnoſtico præditum ſit, ne confuſio & damnum exoriatur.

8. Poſt quartum diem modeſte tentetur, num fila, quæ læſionibus viſcerum e. g. hepati, item omento, inteſtinis, alligata ſunt, poſſint ſine violentia removeri, ſin ſecus, ulterius exſpectandum eſt.

9. In viſcerum læſionibus, ad quas aditus non datur, *externum* tantum vulnus legitime tractandum eſt, e. g. læſio inteſtini alicujus quando optima etiam inquiſitione & modeſta explicatione detegi non poteſt, vulneri externo turunda applicatur, & de reliquo, ut moris eſt, læſio tractatur.

TA-

TABULA LVI.

DE

CONTUSIONIBUS.

I. DIFFERENTIA.

1. Hæc læſionum ſpecies peculiari indiget conſideratione & tractatione, licet de illa ſub vulneribus nonnulla jam dicta ſint.

2. *Gradibus* differunt contuſiones.

1) Modo enim *cutis integra* manet, vaſcula autem ipſius minima & fibrillæ a violenta tali cauſa conteruntur & conquaſſantur. Vnde ſanguis ibidem ſtagnat, & cutem colore rubicundo, flavo, livido, vel etiam e viridi-cœruleo tingit; quæ levior contuſio ad *ſugillationes* ſeu *ecchymoſes* tendit. De his ſub tumoribus ſpeciatim jam actum eſt; non aliter autem a levioribus contuſionibus differunt, quam conſequens ab antecedente.

2) Modo *cutis* cum partibus *externis* ſubjacentibus dilaceratur, & ſic verum vulnus emergit.

3) Modo *oſſa* ſimul franguntur vel conteruntur; quæ contuſio compoſita vocatur.

4) Modo a gravitali contuſione læduntur etiam partes internæ, ſive *cum* ſive absque vulnere externo, e. g. *inteſtina*, excrementis repleta, rumpuntur, *veſica fellea* dilaceratur.

II. PROGNOSIS.

1. *Leviores* contuſiones periculo quidem ordinarie carent; quando autem in *muſculis temporalibus* contingunt, majoris ſunt momenti. Nam ſub *pericranii duplicatura* hi latitant, & propter *nervos* ac *tendines*, quibus præditi ſunt, gravia ſymptomata facile inducuntur, e. g. ſpaſmi, convulſiones, febres.

2. *Graviores* autem contuſiones, cum *vulneratione* & *dilaceratione* conjunctæ, majoris ſunt periculi, quam alia vulnera externa. Nam in partibus muſculoſis repentina illa toni relaxatio humorum ingreſſui, ſtaſi & putridæ corruptioni pandit portam; a partibus autem *ligamentoſis* & *nervoſis* contuſis ſpaſtico-convulſivi effectus, vel tumores refractarii, aiduræ, contracturæ, paralyſes proveniunt.

3. Qua

3. Quæ peſſima ſymptomata a *cranii* contuſionibus oriantur, ſuo loco dictum eſt.

4. Vehementes abdominis contuſiones ſanguinem circa omentum vel inteſtina non raro in ſtaſin, inflammationem & corruptionem deducunt, vel ipſis viſceribus abdominalibus læſionem, utplurimum lethalem, inferunt. Nam humores, in illis contenti, cavitatem ingrediuntur, ibique calamitoſam ſubeunt corruptionem.

5. A contuſione *compoſita*, id eſt cum fractura oſſis combinata, compoſita etiam ſymptomata exſpectanda ſunt; de quibus ſub *fracturis* dicemus. Præcipue, quando *vaſcula medullæ* oſſium læſa ſanguinem ſuum in cavitatem illorum effundunt, *caries* inde producitur, quæ, quia aliam, ob denegatum acceſſum, non admittit medelam, membri amputationem efflagitat.

6. Ceterum quo *durior* & *denſior* eſt pars contuſa, eo melius ſuccedit *diſcuſſio*, v. g. contuſio in *fronte* aut *vertice*, licet inſignis emineat tumor, facile tamen curatur, ob robur partis, quæ affluxui humorum propria virtute renititur. Contra, ſi circa partes molliores, e. g. in facie, contuſiones contingant, fiunt facile ſuppurationes; vel, ſi leviores fuerint *ſugillationes*, in aliis corporis partibus plerumque fiunt ſtaſes & ſuffuſiones *eryſipelatodes*.

III. *METHODUS MEDENDI CUM CAUTELIS.*

1. In *leviore* contuſione *interna* medicamina non æque neceſſaria ſunt, *externe* autem conveniunt

1) *Rad.* irid. Florentin. bryon. ſigill. Salom. caryophyllat.

2) *Herb.* hyſſop. ſcord. chærefol. veronic. marrub. alb. capill. ven.

3) *Sem.* carvi, anis. fœnicul.

4) Hisce ſpeciebus *repellens* aliquod, e. g. rad. biſtort. vel ſymphyt. addatur, & ex iisdem *ſacculi*, *epithemata* vel *cataplaſmata* parentur.

5) Quando levibus hisce contuſionibus *inflammationes* accedunt, uti interdum contingit, *camphorata* prædictis ſpeciebus addantur.

6) Sic etiam in *ambitu* affectæ partis convenit *defenſiva* applicare, ne major affluxus, tumor & ſtaſis cumuletur, e. g. emplaſtr. diaphoret. *Myuſichti*, ſaturninum, de minio, ſpermat. ranar. Hæc emplaſtra cum ſufficiente camphoræ quantitate ſunt remiſcenda.

2. In *graviore* contuſione ante omnia reſpiciatur

1) *Diſcuſſio* ſanguinis; quæ, quo maturius & citius tentatur, eo fac lius ſperanda eſt. Laudantur in hunc finem

a) *Interne.*

α) *Decoctum arnicæ*; quod remedium admiranda ſane efficaci in talibus caſibus ſe commendat. Hinc optandum eſſe ut plures de virtute & uſu hujus herbæ obſervationes publ ci uſus fierent, uti jam ſpecimina quædam prodierunt. Te ſtor, quod ſæpius cum effectu conſpicuo a me propina ta ſit.

β) Reliqua remedia, quæ ad ſanguinis coagulati discuſſione commendari ſolent, ſunt e. g. ocul. cancr. citrat. fangu hirci, ſap. Venet. item radices reſolventes, ſæpius jam no minatæ; quæ omnia, præmiſſis & ſubjunctis laxantibus, uſu ſuum præſtant.

b) *Externe.*

α) In plethoricis conducunt *venæſectiones.*

β) De reliquo locum habent *ſacculi* vel *cataplaſmata*, de qu bus jam diximus.

γ) Conjunctis in *peripheria* remediis *defenſivis.*

2) Quando autem diſcuſſio non poteſt obtineri, tum *evacuatio* inſt tuenda eſt, quæ duplici modo contingit.

a) Vel enim ſanguis *ſincerus* ante inflammationem & ſuppuratio nem matura *inciſione* evacuatur, quod in tumore admodu molli, ubi ſanguis in notabili quantitate ſub parte contuſa ha ret, & nulla diſcuſſio ſperanda, intrepide ſuſcipiendum eſ Conf. *tabul.* de *tumoribus inflammatoriis.* Sequente autem me thodo incedatur.

α) Facta, ut moris eſt, inciſione, ſanguis coagulatus expr matur.

β) Deinde pars affecta decocto quodam balſamico & vulne rario eluatur & abſtergatur. Laudantur in hunc finem v num tepefactum, urina recens emiſſa, decoct. ſcordii, cha refol. ſalv. hyſſop. fanicul. alchimil. hed. terreſtr. auricu muris cum pauca myrrhæ portione. Speciatim *decoctu tabaci* hoc loco, tanquam egregium abſtergens & conſol dans, commendatur.

b) Ve

b) Vel si hoc in *profundis* contusionibus fieri non possit, post *suppurationem* illius eliminatur. Quomodo autem maturatio promovenda, abscessus aperiendus, mundificandus & consolidandus sit, videatur *tabula de abscessu*, item tabula *medica XXXVIII.*

3s Contusio gravior *sclopetaria*, e. g. wenn ein Bein oder Gelenck gantz zerschmettert wäre, maturam illius artus expoſcit amputationem. Quando autem post longos demum frustraneos conatus & cruciatus operationem hanc suscipere volumus, longe majori vitæ periculo æger exponitur.

4. In *minore* autem pedis contusione pars læsa utplurimum potest servari, modo incisio, si ad heterogenea extrahenda necessaria sit, non negligatur.

TABULA LVII.

DE VULNERIBUS SCLOPETARIIS.

PROGNOSIS.

1. Vulnera *sclopetaria* præ aliis communibus ad corruptionem *sphacelosam* prona sunt, ob vehementem partium contusionem, nimiam fibrarum relaxationem, & exiguam sæpe, imo plane nullam hæmorrhagiam. Unde negotium inflammationis tam feliciter succedere non potest.

2. Hæc vehemens contusio est causa, cur levia subinde vulnera sclopetaria, in capite præcipue, fiant funesta, e. g. die so genandte Streif-Schüsse. Facile enim per impulsum talem vehementem vasis sanguinis in cavitatem effusio & corruptio periculosa contingit. Sic etiam *crānii fissuram* a tali impulsu produci posse constat.

3. Quando *fractura ossis* cum talibus vulneribus conjuncta est, gravius adhuc periculum imminet, ob vehementem partium dilacerationem.

II. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In hisce vulneribus *restitutio toni* præcipue respicienda est, ut corruptio *gangrænodeo-sphacelosa* impediatur.
2. *Essentia balsamica Stahlii* utrique scopo satisfacit. Tonum enim restaurat & corruptelam vulneris avertit.
3. *Nitrum* in tali casu ardorem mitigat & corruptionibus putridis potentius, quam *sal commune*, resistit.
4. Reliqua tractatio cum curatione vulnerum ordinaria coincidit. Absersione enim, mundificatione & debita consolidatione universum negotium absolvitur.

III. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vulnera sclopetaria hoc habent peculiare, ut, licet recentia sint, ubique tamen *digestiva* exposcant, ad partium contusarum separationem. In corruptione majore cum *unguento digestivo* paululum essentiæ balsamicæ *Stahlii* misceatur.
2. Debite in hisce læsionibus attendendum est, ne *festuca*, ab ossibus abrasa, vulneri inhæreat, atque hac ratione gravissimis doloribus & apostematibus ansa præbeatur.
3. In tali casu maturius iterum pertundendum est vulnus, ut pus, e tumore & tactu cognoscendum, exire possit.
4. Incisio instituatur cultello *myrtiformi* latiore, ut vulnus probe possit mundificari, alias *carnificina* in hoc loco exoritur.
5. Vulgus in vulneribus sclopetariis ad attrahendum empyrevma applicat acriuscula, e. g. cepas leniter coctas, fimum columbinum &c. sed inutiliter. *Escharæ* enim illa, quam talia vulnera in superficie plerumque exhibent, non ab actuali globuli ardore, uti quidem antiqui putabant, sed a vehemente partium læsarum concussione dependet.
6. Vulnera, quæ integram partem penetrant (die durch und durch gehen) instar *setaceorum* a Chirurgis tractari solent, nempe acu magna & obtusa linteum, unguento digestivo illitum applicant. Alias laudabilem suppurationem non exhibent.
7. Ad corruptionem carnis *putredinosam* e vulnere auferendam nitentur, quæ tabula de vulneribus generatim caut 14. dicta sunt; præcipue evitentur *aeria* in partibus *ligamentosis*. In profunda corruptione *scarificatio* ad vivam usque carnem instituitur. Hac enim ratio-

tione humores acres corrupti exitum, medicamina autem meliorem ingreſſum nanciſcuntur.

8. *Arteria brachialis* vel *cruralis* quando ſclopeto laſa eſt, artus illius maturam expoſcit amputationem. Alias enim vulneratus vel hæmorrhagia deletur, vel pars læſa, ob nutrimenti ſufficientis defectum, abit in corruptionem, atque hinc feram ſui amputationem efflagitat.

9. De *globulis* extrahendis inferius dicemus.

TABVLA LVIII.

DE

VULNERIBUS VENENATIS.

SIGNA.

1. Affluxus humorum inſolitus.
2. Tumores & ſtaſes admodum ſuſpectæ.
3. Color lividus.
4. Dolores ſpaſtici exquiſitiſſimi, imo motus convulſivi.
5. Cardialgiæ anxiæ.
6. Commotiones febriles.
7. Lipothymicæ affectiones.
8. Summæ animi anguſtiæ & inquietudines.
9. Læſio facultatis ratiocinii, die ſeptimo vel nono accedens, cum *hydrophobia* & *mania*.
10. Præceps ſæpe funeſtus eventus.
11. Hæc autem ſigna *conjunctim* ſumenda ſunt, nam in aliis vulneribus gravioribus vel corruptis multa etiam ex illis ſeſe manifeſtant. *Conferatur etiam tabula medica de hydrophobia.*

CAUSÆ.

Venenum cum corpore communicatur

1. Per *inſtrumenta* venenata; uti moris eſt Indis, non æque Europæis, qui ad minimum hoc ſcelus abſcondunt. Num globuli, ex *anti-*

monio fusi, ad instrumenta venenata pertineant, auctores dissentiunt.

2. Per *morsus* animalium *rabidorum*.
3. Per *morsus* & *ictus* aliorum animalium *venenosorum*, e. g. serpentum viperarum, scorpionum.

III. *PROGNOSIS.*

1. Vulnera venenata uti gravissima symptomata, ita & maxima pra omnibus *externis* vulneribus, involvunt pericula. Nisi enim tempestiva & conveniens medicatio accedat, eventus plerumque est lethalis.
2. Hoc autem periculum non semper a sola gravitate læsionis æstimandum est, dantur enim *exigua* vulnera venenosa, quæ sunt *maxim* malignitatis, e. g. *ictus* animalium venenatorum exiguorum.
3. Læsio partium *sensibilium* quando simul adest, præcipue cum dilacera tione conjuncta, facilius *gangrænam* & *sphacelum* inducit.
4. *Plethorica* subjecti constitutio, animi sensibilitas & corporis teneritudo, uti in aliis morbis multas difficultates objiciunt, ita etiam vulnerum venenatorum pericula augent.
5. In morsu animalium *rabidorum*, si vulnus negligatur, per totam vitam recrudescentes noxas periodicas involvit, imo nota sunt exempla ubi vulneris simplicem curationem postea epilepsia secuta est. Hinc vulnera animalium venenatorum non possunt simpliciter ut vulnera tractari.

IV. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Hæmorrhagia nimis cito non sistatur.
2. Vulnus aqua *salsa* abluatur, & decocto quodam vinoso, e. g. radvincetox. valerian. gentian. rubr. scorzoner. aristoloch. rot. herb scord. centaur. min. rut. betonic. calide abstergatur.
3. Ad virus cito *extrahendum* commendantur
   1) *Scarificationes* profundæ.
   2) Exsuctio per *cucurbitulam*.
4. Ad virus autem *exscindendum* laudatur *cauterium actuale* latum & tolerabiliter profundum, quod efficacius est, quam exsuctio & scarification; licet & hæc cauterio possint & soleant præmitti.
5. In peripheria conveniunt *camphorata*, leniter *crocata*, vel alia, qu discutiendo & roborando affluxum arcent, atque ita miasmatis i

hu

humores dissipationem impediunt, e. g. *cataplasmata* discutientia & nervina.

6. Præterea licet sola vulneris *absterſio* sufficiat, *balsamica* tamen *Stahlii essentia* intra vulnus utiliter applicatur. *Conf. cautelæ.*

7. Usus medicamentorum *internorum* cum externis mature conjungatur & aliquamdiu continuetur.

8. *Specifica*, quæ in hunc finem laudantur, videantur *tabula medica de hydrophobia*. His addimus, quod in morsibus serpentum & viperarum specifice conducat *caro*, item *cor* vel *hepar viperarum*, dos. drachm. semis ad drachm. j. Plura videantur sub *cautelis*.

9. Cum hisce conjungantur *alexipharmaca temperata*, e. g. essent. alexiph. *Stahlii*; item *præcipitantia* acido saturata cum *diaphoreticis fixis*. His accedat lene regimen diaphoreticum.

10. Natura trepidans analepticis, *emulsivis* & *gelatinosis* excitetur.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Omnis cunctatio in vulneribus *venenatis* evitetur, periculum enim est in mora. Hinc *ustio*, quæ in vulneribus venenatis, non adeo profundis, nec in locis admodum nervosis aut tendinosis, perquam utilis est, mature suscipiatur.

2. Abstinendum a remediis alexipharmacis *calidis*, sanguinem commoventibus, *volatilibus*, *balsamicis exoticis* acribus. Hæc enim quando sub prætextu miasmatis maligni, e massa humorum proscribendi, propinantur, notabile damnum inferunt *vid. caut. 12.*

3. Præstat autem hic & ubique considerare, quod *venena non sint theoriæ & methodi medicæ*, sed quod in *specificis* optimum auxilium quærendum sit.

4. Absint interne & externe adstringentia, refrigerantia, incrassantia, exsiccantia, emollientia, pinguia.

5. *Septica* & alia acria, stimulando & copiosum affluxum provocando, vulnus magis corrumpunt. Hinc cepæ, allium, sinapi, & reliqua acriuscula ad læsionem non æque conducunt.

6. Contemnenda tamen non est in recentissimo ictu insertio partis læsæ in *aquam frigidam*, sive *marinam*, sive *salsam*. *Cortex viridis sambuci* & *folia* illius, recenter concerpta & applicata, etiam laudantur.

7. *Theriaca* licet interne, & ad abluendum vulnus, externe laudetur, fide dignam tamen efficaciam non præstat.

8. Idem

8. Idem de *oleo nucis moſchatæ* cenſendum eſt.
9. Sic etiam *buſonum* virtus laudata, in hoc quidem paſſu, adhuc du bia eſt.
10. Ad ictum *ſcorpionum* vel *veſparum* oleum *ſcorpionum* & *aranearum* præſentiſſimum eſt remedium. Alii ſcorpionem vivum contuſum applicare commendant. In levibus talibus puncturis a frictione & ſcalptione partis affectæ abſtinendum. Nam in teneris corporibus *gangrænam* & ſphacelum ſupervenisſe, multiplici obſervatione de prehenſum eſt.
11. In morſu *ſerpentum* & ſimilium animalium proficuum eſt *oleum ſervi dum*, vulneri inſtillatum, quod, quia tarde fit, vulneratis aliquam refrigerationem adfert.
12. Majore cura tractandi ſunt morſus animalium *rabidorum*. In his enim alexipharmaca magis requiruntur, e. g. eſſent. pimp. alb. va lerian. ſcord. vincetox. ſcorzon. hyperic.; imo in talibus caſibus eſſentia *leviter camphorata* (quæ in aliis vulneribus nocet) non impro batur. Interim Medici discretioni relinquitur, quam diu *campho ram* continuare conveniat.
13. Vulnera talia *e profundo* mundificanda ſunt, ut omnis labor ſubnaſcens matura abſceſſione, abſumtione, exciſione exſtirpetur. Fa cile enim nigricantem lividum inducunt colorem.
14. *Scarificatio* cum *cucurbitula* præcipuum habet locum, quando vulnus commode non poteſt *uri*. Conducit autem, ut tantum ſanguis ex ca partem affectam educatur.
15. Si vulnera poſt conſolidationem ſonticum malum incurrant, præſtat *reſecare* illa, ut, ſi quid ibidem collectum reperiatur, abſtergatur. Vel *profunda ſcarificatione* talia loca incidantur, & *cucurbitulis* aut *hirudinibus* exſuctio ſanguinis promoveatur. Vulnera talia ob ma *jorem* ſecuritatem per plures hebdomadas aperta ſervare conve nit.
16. Cavendum, ne ferrea inſtrumenta, vel lintea, quæ virulentis vulneribus adhibita ſunt, pro aliis uſibus in corpore ſano prius uſurpentur, quam ſi ſufficienter mundificata ſint.
17. Reſtat incommodum aliquod in vulneribus, per *laceration*em den tium animalium rabidorum, vel iratorum obtuſorum inflictis, quo *veſtigia* illorum relinquantur. In tali caſu eſſentiæ balſamicæ præ ſentiſſimam opem præbent, mundificant, partis tonum, laceration

rel

relaxatum, reſtituunt, & ſarcoſin promovent. Inprimis morſum *ſimiarum* periculoſiſſimum eſſe auctores tradunt.

18. *Paracelſi unguentum*, quod in vulneribus venenatis bene ſe commendat, paratur e ſuccino, vaſe tecto ſuper igne carbonum modico ſenſim liquefacto; cui terebinthinæ ſucceſſive tantum miſcetur, quantum ad juſtam conſiſtentiam requiritur. Quoties autem momentum terebinthinæ affunditur, toties ab igne paululum vas removendum, & materiis ſubagitatis igni iterum admovendum eſt.

19. Ceterum mentio adhuc facienda eſt *lapidis* illius, quem in quibusdam *Indiæ ſerpentibus* inveniri & venenum extrahere perhibent; id quod ulteriori experientiæ relinquendum eſt.

TABULA LIX.

DE

HÆMORRHAGIA VULNERUM.

DEFINITIO.

Hæmorrhagia eſt communiſſimum ſymptoma, vulneratis partibus ſuperveniens, & pro læſionis diverſitate impetu profuſionis modo majore modo minore ſeſe manifeſtans.

I. *DIFFERENTIA.*

1. Hæmorrhagiæ chirurgico-medicæ duplicis ſunt conditionis.
   1) Altera, quæ immediate *e vaſis* profluit, in quibus caſibus multum intereſt perveſtigare, an vaſa ſint diſciſſa, vel tantum inciſa.
   2) Altera, quæ *e poris* carnoſarum partium, atque ita mediate e vaſis ſubtilibus procedit.
2. Utraque differentiam adhuc habet communem.
   1) Quatenus in *mere paſſivo* effluxu conſiſtit, quod in vulnere *recente* contingit.
   2) Quatenus ab *activo pulſu* & congeſtione preſſoria ſanguinis ad vulnus ſuſtentatur, quod in *progreſſu* demum hæmorrhagiæ obſervare licet. Præcipue in vulneribus, per contuſionem inflictis, ubi

pars fibris ſuis circa aperturam valde relaxata fuit, unde in vicinia flacciditas & marcor remanet.

3. Hæmorrhagiæ vulnerum differunt gradu & conditione læſionis, atque ſubjectorum diverſitate.
   1) Vaſa ſanguifera capacia quando læſa ſunt, plus ſanguinis funditur, quam in carnoſarum partium læſionibus.
   2) Vulnerati plethorici, ſenſibiles, hæmorrhagiis naturalibus adſueti, majores hæmorrhagias experiuntur, quam minus tales.
4. Ad hæmorrhagias medico-chirurgicas merito etiam referuntur illæ, quæ fungorum, carnis luxuriantis, & aliorum epigeneſium ſectiones vel corroſiones excipiunt.

III. *PROGNOSIS.*

1. Hæmorrhagia *gravior*, ſibi relicta, brevi tempore vires exhaurit. *Nimis mature* autem cohibita, longe graviora ſymptomata & pericula producit, quam quæ aliquali exceſſu contingit. Majores enim non ſolum dolores ſpaſtici, & hinc inquietudines, agrypniæ, inducuntur, verum etiam altius in ipſo corporis ſyſtemate ſuccedunt febres inflammatoriæ periculoſæ. *Conf. num. 4.*
2. Quæ hæmorrhagia *e vaſis*, & quidem capacioribus, immediate procedit, longe periculoſior eſt illa, quæ per *poros* partium contingit. Repentinam enim mortem inducere valet.
3. Interea tamen hoc habet commodi, ut tumor inflammatorius non ita facile accedat. Utplurimum enim ſanguinis portio, niſi plane excedens, ſufficiens tamen evacuatur.
4. Illa vero hæmorrhagia, quæ per partium vulneratarum *poros* provenit, hoc præcipue habet incommodi, ut, facta intempeſtiva per adſtringentia cohibitione, ſanguis in partem illam ſucceſſive irrumpens, refluxum autem ita expedite non nanciſcens, inflammationes graviores ad ſui maturationem requirat; quæ, cum in parte ſciſſa, adeoque ad motum fibrillarum inepta, difficillime ſuccedat, facile vel ſphacelum, vel peſſimi moris ulcerationem inducit.
5. Maxime omnium præmatura ſanguinis cohibitio periculoſa eſt, quando ſpecialis activa congeſtio ad partem læſam accedere obſervatur; id quod cum primis in plethoricis contingit. Natura enim aperta veluti porta utitur, & ab onerante ſanguinis quantitate hac via ſeſe liberat. Hinc etiam obſervare licet, quod, quo ſæpius in uno ſubje-

jecto vulnera contingunt, eo vehementiores ſoleant eſſe hæmorrhagiæ; quæ proinde tanto majore periculo præmature cohibentur.

6. Hæmorrhagia in vulneribus, quæ juxta longitudinem fibrarum currunt, facilius ſiſtitur, quam quæ transverſim inflicta ſunt.

7. Hæmorrhagiæ *arteriarum*, ob perpetuum ſanguinis appulſum, longe difficilius ſiſtuntur, quam *venarum*.

8. Quando *arteria* tantum *inciſa* eſt, hæmorrhagia non facile ſiſtitur. Unde, ut reſultans per muſculum comprimatur, diſſecare eandem præſtat, quam aliis methodis ægrum in majorem vitæ periculum conjicere. Nulla enim vulnera *arteriarum* conſololidationem admittunt, quam quæ cum inciſione ſuperioris cutis fiunt, uti in *arteriotomia*, in qua *arteria* cum particula ſuperiacentis cutis per *ſcalpellum* vulnerata, compreſſione intra 2 - 3 dies iterum coaleſcit. *Confer. cautel. 10.*

9. *Venarum capacium*, graviter vulneratarum, hæmorrhagiæ magnum quoque periculum inferunt. Sine præjudicio enim partium reliquarum commode non poſſunt tractari. Interea tamen ſpes eſt in *ſiſtentibus*, & ſæpe ſolis *compreſſionibus*, quia non adeo *impetuoſe* fluxus ſuccedit.

10. Hæmorrhagia *ſecunda*, id eſt, quæ ſub ſtatu ægrotantis plethorico, & facta in prima deligatione nimis repentina ſuppreſſione, ſæpe recrudeſcit, majoris eſt conſiderationis, quam *prima*.

11. Quæ hæmorrhagiæ *oſſium fracturam* ſequuntur, uti interdum contingit, modum utplurimum excedunt, partem affectam enervant, vel tumores periculoſos producunt.

IV. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Hæc licet *tabula medica III.* paucis jam tradita ſit, fuſius tamen hoc loco eandem evolvemus.

2. Eſt autem ſanguinem cohibendi methodus generatim triplex.

1) *Obturatio exitus*, quando nempe vulneri aliquid imponitur, apprimitur & opponitur, ut ſanguis non poſſit amplius effluere.

a) Sic in *amputatione* membrorum artificiali *veſica bubula*, immiſis ſpeciebus ſubadſtringentibus & ſanguinem coagulantibus, vulneratæ parti inducitur, & circumcirca ligatur.

b) In levioribus vulneribus, & ſi nihil aliud ad manus ſit, imponi ſolet fungus Chirurgorum, *crepitus lupi* dictus.

c) Vulgus pultacea quadam substantia exitum agglutinare intendit, e. g. *farinam in molis* dispersam, (Staub Mehl) item *farinam semi ustulatam*, qualis in infima parte panis pisti hærere solet, vulneri affatim imprimunt; quod re vera in casu necessitatis usum habet non contemnendum.

d) *Scriniarii* & alii opifices, qui gluten semper habent paratum, eodem exitum conglutinant. Majorem autem in pluribus casibus hæmorrhagias compescendi efficaciam exhibet, quando e resina scriniaria, gummi Arabico, tragacantho & radice consolid. maj. ana unc. ij. opii ad cinerem usti scrup. IV-V, pulvis paratur, & vel solus, vel cum linteo aut cum fungis, quibus Chirurgi vulgo utuntur, applicatur.

2) *Coagulatio*, quæ methodus *humores* inspissandos respicit, & hinc in illa hæmorrhagia, quæ immediate e *vasis* procedit, præcipuum locum habet.

a) In hoc genere & efficacissimus & securissimus est *spiritus vini rectificatissimus*, qui *serosam* sanguinis portionem intra pauca momenta ita coagulat, ut etiam arteriis cuticulam veluti inducat. Vulneri *plumaceolo* vix per dimidiam horam imponitur, quo exiguo tempore pars affecta strictura densa & *splenii*s impositis comprimitur. In *amputatione* membrorum vesicæ alligandæ immittitur.

b) Ceterum e recentiorum observatione in usu sunt *acida*, e quorum censu acidum *vitrioli* aut *sulphuris* præcipue commendatur. Mitius enim, quam acidum *salis communis* vel *nitri*, operatur.

c) Sic v. g. spiritus *vitrioli*, vel *sulphuris per campanam*, vel *oleum vitrioli*, *alumini* pulverisato vel aliis pulveribus *stypticis* inspersum, sanguinem notabiliter inspissant.

d) Potenter etiam sanguinem sistit remedium, quod sequente modo paratur. *Retorta alumine* semi-repleta quando successive incaluit, undiquaque carbonibus accensis tegitur. Provenit inde aliquid spirituosi acidi, & si major ignis gradus accedat, ascendit una, propter ebullitionem alumini consuetam, *magma* quoddam *aluminosum*, valde stypticum.

e) Notandum autem est, quod *acida* talia non solum sanguinem coagulent, verum etiam partes vulneratas graviter afficiant.

Hinc

Hinc præſente inflammatione præſtat ab iisdem abſtinere, quia inflammationis augmentum inde metuendum eſt. Minime autem a *ſpiritu vini* rectificatisſimo.

f) Denique ſanguinem etiam in oſtiis partium præſentisſime coagulat *uſtio* ſeu *cauteriſatio*, quæ ferro candente perficitur. *Vid. cautelas.*

3) *Adſtrictio.* Hæc methodus *viæ*, uti antecedens *humores*, reſpicit. Unde in conſtringendis fibris præcipuum, exiguum autem in vaſorum, præcipue majorum, læſionibus uſum præſtat. Sed quibus circumſpectionibus adhibenda ſit, ſub *cautelis* dicemus.

a) Sunt vero notisſima *adſtringentia* pulvis gallarum, diverſi cortices, e. g. malorum granatorum, rad. tormentill. biſtort. flor. balauſt. ſemina variorum generum lapathorum, e. g. lapathi cruenti, oxylapathi, hippolapathi &c. quæ ſi cum ſpiritu vini rectificatisſimo imbuantur, efficaciam exhibent meliorem.

b) Præcipue *radix pſeudo - acori* ſeu *iridis paluſtris*, flore flavo, recens, ſi ad manus ſit, potenter adſtringit. *Conf. tab. med. III. cautelæ.*

c) *Deligatio interceptoria*, dextre inſtituta, & cum adſtringentibus conjuncta, multum quoque juvat. Stringitur nempe æger a vulnere verſus ſanam partem faſciis longis. Sed prudentia opus eſt, ne, dum nimium hac ratione ſanguinis affluxum impedire volumus, neceſſarium ſimul humorum tranſitum intercipiamus. Unde vulneris depravatio ſpecialis, vulgo erſtickter Schade, exoritur. *Conf. cautel.*

d) Huc etiam pertinent varia inſtrumenta *compreſſoria*, quæ tabula II. videantur. Speciatim decantatum illud, quod Galli *tournequet* appellant. In his omnibus cognitio anatomica neceſſariam circumſpectionem circa vaſorum compreſſionem docere poteſt.

3. Præter autem primarium hæmorrhagiæ nimiæ ſiſtendæ reſpectum conſideranda etiam ſunt *damna*, quæ per nimiam profuſionem ſanguinis jam inducta ſunt. *Vid. cautelæ.*

4. Hinc conducit ægrum recreare

1) *Interne* analepticis, alimentoſis, emulſivis, gelatinoſis, moderate aromatiſatis, & potu non plane tenui, vino generoſo per ſaccha-

rum edulcorato, vel Malvatico, Hiſpanico, medice dato.

2) *Externe* autem ipſam partem læſam paulo calidioribus medicamen tis roborantibus, diſcutientibus, nervino balſamicis tractare co venit, ut enervationi occurratur. Alias chronicæ illæ debilitat partis remanent, daß ſie die Veränderung des Wetters fühle

5. *Motus febriles* quando cohibitas hæmorrhagias excipiunt, tractant ut artis eſt, conjunctis externe diſcutientibus & roborantibus.

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Cautela de ſanguine, præcipue in plethoricis, iratis, inebriatis, v alia illius commotione, *præmature* non ſiſtendo, licet diu jam ab a ctoribus inculcata ſit, non raro tamen artifices contra eandem pe cant, eoque ipſo totum curationis negotium difficilius & periculoſi reddunt. Nam major partis inflammatio & febris vulneraria certiſ mo eventu exſpectanda ſunt.

2. Hinc *Paracelſi* de hac re admonitio: man ſolle das Blut laufen la ſen, bis auf ſeine Statt, non rejicienda, recte autem explicanda e Paradoxum quidem videbatur hoc aſſertum Medicis ſcholaſtico c ticis, qui ita explicabant, ac ſi hæmorrhagia tam diu toleranda eſſe usque dum ſponte ſubſiſteret. Secundum judicioſum autem diſc men nihil aliud hac cautela reſpicitur, quam ſanguinis ſufficiens notabilis depletio.

3. Hæc explicatio, quod legitima ſit, experientia toto die teſtatu Si enim neque ſufficiens emiſſio ſanguinis, mox in principio adf entis, contingit, neque ingruentibus jam inde noxis medicatio n tura chirurgica per *venæſectionem*, & pharmaceutica per *diſcuſſio internas* adhibeatur, fluxus cohibitus vel impetuoſius recurrit, m xime quando e *vaſis* læſis immeditae hæmorrhagia ortum habu vel ſi non perrumpat, inflammatoria intumeſcentia partis affectæ cu fibrillaribus ſpaſmodicis doloribus exoritur; id quod præcipue ev nit, quando e *poroſis* partibus fuit effluxus.

4. *Quanta* autem ſanguinis portio, ante quam ad illius cohibitione accedamus, toleranda ſit, eſt res altioris conſiderationis, & a Me co, pro conſtitutione vulnerati plus minus plethorica, diverſita temperamenti & ſanitatis, judicioſe decernenda eſt. Non ſolu autem *quantitas* effluentis ſanguinis, verum etiam *motus* illius co ſiderandus eſt. Inclinat enim natura ad plethoræ depletionem,

hi

hinc præmaturam cohibitionem moleſte ferens motibus contrariis hujus ventilationis defectum compenſare proclivis eſt.

5. Exinde reſultat etiam, quam utile, imo ſubinde neceſſarium ſit, *venæſectionem* inſtituere in majoribus vulneribus, ubi ſanguinis fluxus cum impetu cohibitus fuit.

6. Præcipue *venæſectionem* nonnulli auctores tam religioſe *febribus vulnerariis* dicarunt, ut, illa prætermiſſa, neque Medicum neque Chirurgum officium ſuum feciſſe, autument.

7. *Hæmorrhagia ſecunda*, quæ repentinam in prima deligatione ſanguinis cohibitionem nonnunquam excipit, ſatis etiam confirmat, quod *venæſectio* in partibus oppoſitis inſtitui debuiſſet, imo pro re nata adhuc fieri debeat.

8. Modo conſideretur, an effluxus ab inſigni arteria, ſimul læſa, pendeat; quo caſu *venæſectio* nullo modo locum habet, ſed reſpiciendum tantum ad arteriæ *compreſſionem* & contenti ſanguinis talem coagulationem, quæ nihil adeo heterogenei in ſanguinem infert. Præſtat hoc *vini ſpiritus rectificatiſſimus*. *Conf. methodus coagulatoria.*

9. In *moderatis* hæmorrhagiis *moderata* etiam *methodus* ſanguinem cohibendi commendatur. Unde non temere, & niſi in caſu neceſſitatis adhibenda ſunt tum *directe adſtringentia*, tum *acida auſtera*.

10. In *ſimplice & leviore arteriæ* læſione, quæ per ſcalpellum infligitur, hæmorrhagia ſiſtitur forti & diuturna *compreſſione*; quæ autem in notabili vulnere conjuncto locum non invenit. *Medicamenta*, ob vim erumpentis ſanguinis inania ſunt, ne quidem ſimpliciter excepto illo remedio, quod hodie innoteſcere incipit, quamquam ab omni bona ſpe non excludendum ſit.

11. Itaque ſi *arteria grandiuscula* vulnerata ſit, quæ ob dictam vulneris rationem compreſſionem ſui firmiorem, per plures dies neceſſariam, non permittit, confugiatur ad unicum illud remedium, & ſi hoc non ſatisfaciat, abſoluta neceſſitate penitus diſcindenda eſt, ſubjuncta decente ligatura.

12. Et licet vel maxime pars læſa ſenſu & motu ſufficiente hac ratione privetur, præſtat tamen hoc unicum fere arteriæ remedium adhibere, quam ægrum in majus vitæ periculum conjicere.

13. *Uſtio* ſeu *cauteriſatio actualis*, multo magis *potentialis*, grandiorum vaſorum, abſolutiſſime vero *arteriarum*, peſſimo conſilio inſtituitur.

Cor-

Corrumpit enim portionem tunicæ vasis, quæ uti vix unquam resarcitur, ita minime omnium in membraneceis canalibus, humores, motu impulsos continentibus. Hinc quando in hæmorrhagiis vulnerum instituitur, a corrupta tunicæ portione majus redditur foramen, vulnus magis dilatatur, novaque hæmorrhagia, decidente eschara, accedit, & nulla spes est, ut pars talis adusta restauretur. Unde æger in gravius vitæ periculum conjicitur. Meretur legi *Marc. Aurelius Severinus de efficaci medicina lib. 1. sub titulo arteriologias*, ubi notatu digna habet de *arteriotomia*.

14. In aliis autem partibus *ustio actualis* antiquissimum & bonum est remedium ad sanguinis fluxum cohibendum.

15. *Ligaturæ* vasorum satis quidem sunt efficaces, omnia tamen præstare non possunt. Ligari autem possunt tam *arteriæ*, quam *venæ*, si majusculæ sint. Simplex ligatio non sufficit, vnde firmitatis causa arteria vel vena in medio prius pertunditur. *Aquapendens*, *Hildanus* & *Scultetus* suadent, ut vasa insignia forcipe apprehendantur, extrahantur, & ligentur. Sed difficilis est operatio.

16. *Adstringentium* usus omni modo in hæmorrhagia compescenda sit circumspectus. Nimium enim quando adhibentur adstringentia, majorem tumorem & vehementiorem inflammationem inducunt, si non in ipso loco vulnerato, tamen in vicinia, ubi ob debitum transitum per talia adstringentia interceptum, maior exoritur restagnatio humorum, inflammatio, imo suppuratio. Quem corruptum statum vulgo palliant hac formula: der Schade apostemiret sich.

17. *Vasa*, leviter capacia, non contrahunt sese ab *adstringentibus* applicatis, lenis enim adstrictio, quam talia remedia partibus inferunt, *vasa* comprimendis non sufficit, & quando vulneratus leviter se movet hæmorrhagia recrudescit.

18. *Adstringentia* non conducunt in hæmorrhagiis, quæ e concretionibus *fungosis*, *verrucosis* &c. proveniunt. Nam spongiosæ tales partes motum tonicum non admittunt. Et si omnino hoc facerent, strictu-ræ tamen tales hæmorrhagiam auctuaræ essent.

19. *Camphorata* hic iterum commendari merentur, ut peripheriæ læsionis sub quacunque forma applicata nimiam inflammationem impediant.

20. *Em*

20. *Emplaſtra acria*, *tenacia*, quæ vulgo ad cavendam affectæ partis debilitatem applicantur, quovis modo fugienda ſunt. Affluxum humorum augent.

21. *Sympathetica* & *amuletica* remedia minus locum habent in gravioribus hæmorrhagiis paſſivis, præcipue e vaſis ſanguiferis immediate provenientibus. Notabilem etiam de reliquo non faciunt effectum, niſi in ſenſibilibus & credulis.

22. *Pulvis ſympatheticus Dygbæi* interdum alicujus eſt efficaciæ.

23. *Perſicaria* obſcurioris experientiæ eſt in amuleticorum ſympatheticorum cenſu.

24. *Lignum fraxini* efficaciam præſtat in vulneribus recentibus, non adeo amplis, modo firmius & repetite in uſum trahatur. Hæmorrhagias autem, e *maguis vaſis* provenientes, illo cohibere velle, fruſtraneum eſt.

25. Lapis *hæmatites* utilis eſt in levioribus poroſarum partium vulneribus, & quidem impetu fluxionis jam ſeneſcente. Idem judicium eſt de *jaſpide rubeſcente*.

26. *Bufo exſiccatus* vel amuletice geſtatur, vel combuſtus pulveribus ſtypticis miſcetur.

27. *Sanguis*, ex illæſa vulnerati parte eductus, ſiccatus & propinatus, non ſemper experientiæ reſpondet.

28. *Crocus metallorum* reliqua adſtringentia ita antecellit, ut etiam in majoribus vulneribus fluxum compeſcat. Sed ob efficaciam virulentam in recentioribus & quidem magnis vulneribus graviſſimas turbas procreat, unde inflammationes, convulſiones, ſphaceliſmi ſequuntur.

29. *Crocus martis adſtringens* utilis quidem eſt, ſed miſceri debet cum vegetabilibus. Omnia enim *metallica* ſunt *ſeptica*, & oſſa reddunt cariosa.

TABULA LX.

DE

SYNOVIA.

I. DEFINITIO.

Synovia, sensu pathologico sumta, est liquoris lymphatico serosi per vulneratam partem notabilis excretio, irritantibus causis in vulnere abluendis & arcendis destinata. Germanice vocatur das Glied-Wasser.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Synovia* a *Paracelso* nomen accepit, & interdum *physiologice*, interdum *pathologice* ab illo sumitur.
2. *Physiologico* sensu designat hoc nomine liquorem lymphatico serosum, qui cum motu sanguinis progressivo in omnes corporis partes continuo distribuitur, speciatim autem per partes *exsangues*, e. g. nervos, tendines, ligamenta, influxum & perfluxum suum habet, ut hisce partibus tam nutrimentum, quam irrigationem adferat.
3. *Pathologico-chirurgico* sensu, quem hic pro scopo habemus, designat *fluxum*, seu potius *effluxum* hujus liquoris lymphatico-serosi per partem aliquam vulneratam, *articulationi* proximam. Unde nomen Glied-Wasser accepit.

III. *SIGNA.*

1. *Synoviæ* fluxus contingit tantum in tendinosarum & ligamentosarum partium vulneribus, ruptionibus & lacerationibus. Maxime ubi *tendines* & *ligamenta* concurrunt, rarius in *cubitu*, frequentius in *carpo* & *metacarpo*, in *dorso*, *genubus*, item in vulneribus, ligamentum intimius cum *acetabulo* lædentibus.
2. Non statim autem primo die, quo *nervea* vel *tendinosa* quædam læsio facta est, hic fluxus contingit, sed quarto vel quinto demum.
3. Neque vero unquam sit sine prægresso & conjuncto insigni dolore, tensione, duritie vel tumore partis affectæ. Labia vulneris constringuntur, caro luxurians, spongiosa & livideſcens apparet.
4. Ex omnibus hujus carnis spongiosæ poris provenit liquor primum magis tenuis, limpidus, progrediente autem tempore magis spissus, ge-

gelatinoſus, aut quaſi ſubmucidus, albumini ovi fere ſimilis. In ſubjectis ſenſibilibus motus febriles, licet ſine exquiſito typo, accedunt.

5. Quando ſymptomata in vulnere exaſperantur, e. g. inflammatio, febris vulneraria, cephalalgia pertinax, tum *ſynoviæ* fluxus magna quantitate procedit, ita ut plures unciæ intra breve tempus excernantur.

6. Denique ſuccedit tabeſcentia & aridura artuum, ad minimum illius partis, cui talia ſymptomata acceſſerunt.

7. Quo copioſius fluxus procedit, eo major virium proſtratio inducitur.

IV. *CAVSÆ.*

1. Hic fluxus a cauſa *paſſiva* vulgo derivatur, nempe a diſſectis vaſis lymphaticis. Ad hoc illuſtrandum comparant illum auctores cum aqua illa, quam ſecta betula ſtillat.

2. Falſiſſimum autem hoc eſſe, ex eo illuceſcit, quod ſynovia non omnibus promiſcue vulneribus accedat, ſed tendinoſarum & nervoſarum tantum læſionibus.

3. Deinde etiam pateſcit ex illo, quod non primo ſtatim die vulnerationis fluxus ſuperveniat; quod tamen fieri deberet, ſi paſſivus effluxus eſſet; ſed quarto, quinto vel ſexto die.

4. Unde pro *activa* congeſtione, irritantibus in vulnere cauſis deſtinata, hunc *ſynoviæ* fluxum declaramus.

5. Nempe natura per appulſum humorum lymphatico-ſeroſorum parti affectæ dolenti ſuccurrere, & cauſas ſtimulantes eluere pro viribus ſuis allaborat; & quidem motu tonico intenſo, qui tandem fit cauſa aridurae.

6. Cauſæ autem *irritantes* a perverſa tractatione chirurgica dependent. Unde *Paracelſus*, licet hunc fluxum e fundamentis ſuis ſatis dijudicare non potuerit, juſtiſſime tamen illius provocationem & exaſperationem imperitiæ Chirurgorum, & perverſæ illorum methodo, non autem neceſſitati vulnerum, imputat. Nempe quando cum inconvenientibus remediis pinguibus, ſepticis, acribus, pure humidis, incraſſantibus, & ſimilibus, partem magis lædentibus, quam juvantibus error committitur. Unde naturæ incumbit, per humorum appulſum parti dolenti ſuccurrere.

7. Turpe itaque eſt, ſi ignorantes Chirurgi ſine conditione in recente vulnere *ſynoviam*, tanquam certo exſpectandam, ſupponant, & ex hoc falſo ſuppoſito vulneris reſtaurationem tanto difficiliorem accuſent.

8. Juvat quidem & promovet talia accidentia, ſi *tendo* non plane diſſectus, ſed ex parte tantum, transverſim & oblique vulneratus ſit.

9. Sic etiam frigoris ad partem affectam admiſſio, præcipue reliquo corpore calente, majorem ſenſibilitatem, & hinc fluxus provocationem quadantenus promovet.

10. Ultimo loco poteſt recenſeri cacochymia ægroti ſalino-acris, licet revera inter hactenus dictas cauſas leviſſimam conſtituat.

V. *PROGNOSIS.*

1. Quando *ſynovia* copioſe & diu manat, licet vulnus reſtituatur, remanet tamen in illa parte debilitas inſignis, imo non raro ſuccedit partis aridura, vel notabilis ſenſibilitas. Nimium tamen exaggeratum videtur, quando de fluxu hoc promiſcue præſagiunt, quod per totam vitam virium proſtrationem relinquat.

2. Solet etiam e *ſynoviæ* fluxu interdum exoriri in parte læſa gravis ardor & ſalſa corruptio. Nam uti *ſynovia* in vulneribus coactionem puris impedit, ita etiam per ſe inepta eſt ad ſuppurationem, ob defectum affluxus ſufficientis ſanguinis, partibus exſanguibus familiarem. Unde mundificatio & reſtauratio vulneris impeditur.

3. Hinc quando *ſynoviæ* extravaſatio in vulneribus occluſis contingit, tumor, inflammatio, febris & dolores prævaleſcunt, corruptio ſphaceloſa metuenda eſt. Nulla enim ſpes eſt neque diſcuſſionis, neque ſuppurationis.

4. Quo magis cacochymicum eſt ſubjectum, eo magis pertinax hic fluxus ſe gerit. Nam natura apertam hanc portam arripit, & omnem, quam poteſt, impuritatem hac via eliminare intendit. Hoc eſt, quod Paracelſus & alii ex ore illius vocant Leibes-Flüſſe.

VI. *METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Methodus in eo conſiſtit, ut tumor ſeu congeſtio humorum circa partem affectam, quam cito fieri poteſt, reſolvatur & diſcutiatur, adeoque tenuioris materiæ via intercipiatur, & ſenſus ſpaſticus fibrillarum,

larum, affluxum proritans, demulceatur. Sic, ſublatis hac ratione cauſis, effectus ceſſabit.

2. Præſtant hoc certiſſime balſamica, non quidem vulgata illa gummatoſa vel pinguia olea deſtillata, ſed eſſentiæ e ſuccino, myrrha, mumia, gummi elemi, balſamo Peruviano, foliis majoranæ, lavendulæ, floribus hyperici, præparatæ. Hæc enim ſtagnantem materiam leniter discutiunt, vulnus mundificant, & tonum ſucceſſive reſtaurant.

3. Talis eſſentia balſamica, mundificans, discutiens & roborans, parti affectæ immediate applicetur, & ſub initium aliquid *ſpiritus* terebinthinæ miſceatur.

4. Progrediente autem tempore, præcipue ſi ſuppuratio inſignis accedat, *ſpiritus terebinthinæ* ſucceſſive omittatur, & major quantitas *eſſentiæ ſuccini* adhibeatur. Unde potentior deſiccatio partis & neceſſaria illius roboratio obtinetur.

5. Supra vulnus immediate ponatur *emplaſtrum Oppodeldoch.*

6. Circa peripheriam autem vulneris applicentur *emplaſtra nervina*, e. g. *de betonica.* Et quia hoc facile ſicceſcit, malaxetur cum gummi elemi, in vino vel aceto ſoluto. Conducunt etiam *ſacculi nervini*, vino calido imbuti.

7. Huic emplaſtro defenſivo aliquid *camphoræ* addatur, tanto magis, ſi *muſculoſæ* partes ſimul affectæ tumores inflammatorios ſuſceperint.

8. Quo caſu etiam emplaſtrum de *ſpermate ranarum camphoratum* alternando cum emplaſtro *de betonica* adhiberi poteſt.

9. Abſente autem tumore inflammatorio abſint etiam quæcunque e *ſpermate ranarum* confecta.

10. In cacochymico individuali vitio humores corrigantur per ſanguinem depurantia appropriata; e. g. impuritates ſeroſæ per *phlegmagoga* & *anticatarrhalia.* Modo ratio habeatur febris, hac enim præſente *eſſentia alexipharmaca Stahlii* conducit, abſente autem illa *eſſentia ſuccini* locum habet.

11. In plethoricis *venæſectio* inſtituatur.

12. *Spaſmi*, qui in *convulſiones* interdum excedunt, antiſpaſmodicis congruis & aliis, privative agentibus, tractentur.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Synovia* eſt quidem grave vulnerum ſymptoma, ſed uti revera pendet a circumſtantiis tumoris ac dolorum, & hinc humorum affluxuum, ita ſi dolor & affluxus per camphorata, in ambitu ſeu ad latera applicata, in parte vero affecta per balſamica, aliquantum acriora, ſive temperate nervina & roborantia, mitigentur, talis fluxus vel non contingit, vel ſi jam adſit, feliciter iterum compeſcitur.

2. Quoniam autem horum vulnerum conſolidatio lente progreditur, etiam in *carnoſis* partibus ſubvenire, & eandem promovere neceſſe eſt per balſamica ſuperius indicata, ne ob tardiorem conſolidationem nova ſalſa corruptio oriatur.

3. *Adſtringentia*, ad fluxum *ſynoviæ* cohibendum, incongrue adhibentur. Nam tenuiſſimos humores reprimunt, unde grumoſa ſanguinis pars in poris reſidet, & ſtaſis inflammatoria in graviſſimam ruit corruptionem. Hoc damnum haud dubie jam *Hippocrates* obſervavit, *unde* nulla artificia ad ſiſtendam *ſynoviam* Chirurgis dare voluit, ſed generale illud axioma commendat: non ſunt vulneraria remedia, quæ ſynoviæ fluxum tantum ſiſtunt.

4. Huc etiam pertinet alterum illud *Paracelſi* aſſertum, man müſſe das Glied-Waſſer nicht ſtillen, ſondern bis auf ſein pondus verlaufen laſſen; cujus elogii genuinus ſenſus eſt, quod ſynovia per poſitiva adſtringentia non debeat ſiſti, ne gangræna & ſphacelus accedat.

5. Nec locum habent ſtricte ſic dicta *refrigerantia*. Remanet enim tumor œdematoſus laxus, per quem nihilominus ſeroſæ ſubſtantiæ via plane patet, & pertinax ulceratio loco abſceſſus inde naſcitur.

6. Porro nocent in hoc affectu emollientia, unguinoſa, & quæcunque humores fortiter commovent.

7. Antiquis ſynoviam rarum fuiſſe affectum, ex eo ſatis eluceſcit, quod ſolus *Celſius* in tranſitu quaſi illius mentionem faciat. Medicamentis temperatis & diætæ illorum ſimplici plurimum id tribuendum videtur.

8. *Ceratum de mumia* (quod ex hac & terebinthina quantum ſatis incorporationem paratur) egregie demulcet ſpaſmos fibrillarum, ul-

ulterior affluxus ſequatur. Exinde potiſſimum paratur emplaſtrum illud, a Paracelſo in hoc fluxu laudatum, nempe recip. cerat. de mumia unc. IV. ol. ſpic. drachm. j. teſtar. oſtr. oſſ. ſep. ana drach. iij. f. l. a. empl.

9. In ulceribus *profundis*, ubi *ligamenta* junctiurarum vel *tendines* muſculorum ſimul eroſa ſunt, optima etiam balſamica & vulneraria non ſufficiunt.

10. Laudant autem in talibus caſibus *aquam gryſeam*, ſequente modo præparatam:

Recip. mercur. viv. aquæ fort. ana unc. j. f. ſolutio, quæ frigori expoſita inſtar glaciei coagulaſcit.

Separatim paratur ſequens decoctum.

Recip. rad. & herb. chelidon. maj. herb. ariſtoloch. long. rut. ſolan. roſar. alb. ana man. j. Concis. contus. coq. in f. q. aq. ſimpl. Coletur.

Rec. Colaturæ unc. IV. affunde ſolutionem mercurialem, & gryſeum acquirit colorem.

11. Vulgares hujus aquæ præparationes magis nocent quam proſunt, e. g. *Purmannus* præſcribit duplam portionem aquæ fortis, unde nimium acris redditur hæc aqua. Item *Mynſichtus* commendat *lapidem medicamentoſum*, qui ſiniſtrum in vulneribus edit effectum. Sic etiam errant, qui tutiam, lapidem calaminarem vel alia miſcent. Nam hæc omnia bonum præſcindunt effectum.

12. *Specifica* nonnulla in hoc affectu ab auctoribus quidem laudantur, ſed ulteriori experientiæ ſubjicienda ſunt, e. g. *usnea cranii humani*, *ſanguis menſtruus*, primum erumpens, *album græcum* a ſcrup. ij. ad drachm. j. quotidie uſurpandum, *cerumen aurium*.

TABU-

TABVLA LXI.
DE
LETHALITATE VULNERUM.

I. *DEFINITIO.*

Vulnerum lethalitas, uſitato ſenſu, eſt dextra æſtimatio, dijudicatio & ſententia læſionum violentarum, inquiſitioni & inſpectioni læſæ partis, vel pro re nata ſectioni cadaveris ſuperſtructa, & uſui medico-forenſi deſtinata.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Licet de periculo vulnerum præcedentibus tabulis nonnulla jam dicta ſint, opus tamen eſt, ut hoc loco fuſius de hac re dicatur.
2. Ingens difficultas quia ſententiam de vulneribus premit, eandem ſublevare Medici variis differentiis & diſtinctionibus allaborant.
3. Hinc illa diſpeſcunt in *tuta*, *periculoſa*, quæ medio loco ſe habent & *lethalia*.
4. *Lethalia* iterum dividunt
   1) In *abſolute*, *ſimpliciter*, *per ſe* & *ex neceſſitate lethalia*, quæ nulla arte, licet dexterrima, poſſunt ſuperari. Dicuntur etiam *generice lethalia*, qui omnibus indiſcretim mortem inferunt.
   2) In *ſumme periculoſa*, quæ utplurimum ſunt lethalia, ſeu quorum curatio plerumque male, raro autem feliciter ſuccedit.
   3) In *lethalia per accidens* ſeu *ſpecifice lethalia*, quæ propter certas individuales circumſtantias mortem adferunt.
      a) Huc referre ſolent diſtinctionem, quam habent, de lethalibus *ſibi relictis*, id eſt, tempeſtivo auxilio deſtitutis, ubi profuſio ſanguinis, vulnerato vaſe ſanguifero capaci, ante mortem infert, quam Chirurgus, qui ſanguinem ſiſtere potuiſſet, accedat.
      b) Item quando *Medicus* officio ſuo dextre non fungitur, e. g. ſymptomata inflammationum, febrium, deliriorum, convulſionum, non occupat.

c) V

c) Vel quando *Chirurgus* hæmorrhagiam ſive citius, ſive tardius ſiſtit, heterogenea non removet, ſanguinem extravaſatum, vel ob inſtrumentorum defectum, vel ob ignorantiam encheireſeos non educit, vel alia inconveniente ratione vulnus tractat.

d) Denique quando ipſi *vulnerati* negligenter ſe gerunt, contra diætam notabiliter peccant, iræ, veneri, baccho, ſe exponunt.

e) Quo etiam ſpectat lethalitas ſic dicta *moralis*, quando vulnerati ulteriorem vulneris aperturam reculant.

4) Vulgari ſenſu vulnera illa audiuut lethalia, quæ repentinam mortem inferunt.

5) *Hippocrates* & alii antiqui *periculoſa* vulnera promiſcue *lethalia* appellant.

5. A vulneribus *lethalibus* diſtinguenda ſunt vulnera *inſanabilia*, quæ per multum tempus in vita relinquunt vulneratum, e. g. quando vulnus pulmonum in ulcus degenerat, quod diu per congruas injectiones a funeſto exitu defendi poteſt. Item quando vulnus inteſtinorum in fiſtulam degenerat, per quam fæces alvinæ per multos annos excernuntur.

II. *PROGNOSIS.*

A. *Generalis.*

1. Quo nobilius viſcus, quo majoribus vel pluribus vaſis atque nervis præditum eſt, eo plus periculi involvit; niſi in peripheriam magis quam ipſum viſceris centrum penetraverit.

2. Vulnera *abſolute lethalia* judicanda ſunt, quæ *hæmorrhagias* incompeſcibiles inducunt. Talia ſunt vulnera *arteriarum* & *venarum majorum*, præcipue in partibus internis, ubi artis auxilium excluditur, e. g. vulnera *arteriæ magnæ*, *carotidum*, *iliacæ*, *cæliacæ*, *meſentericæ*, *renalis*; vulnera *trunci venæ cavæ & portæ*. Item *venarum jugularium internarum*. *Externarum* autem læſiones prudente & feſtinante curatione poſſunt ſanari.

3. *Abſolute* etiam *lethalia* ſunt *profunda* vulnera *cerebri*, *cordis*, *ventriculi*, *pulmonum*, *hepatis*, *lienis*, *pancreatis*, *meſenterii*, *uteri*, *medullæ oblongatæ*, *principii medullæ ſpinalis*. In quibus vero caſibus exceptio locum habeat, infra dicetur.

4. *Insanabilia*, seu quæ non repentinam sed successivam lethalitatem inferunt, sunt: vulnera *fundi ventriculi*, *intestinorum tenuium majora*, *vesiculæ felleæ*, *ductus cholidochi*, *diaphragmatis*, præcipue membranosæ & nerveæ illius partis, *œsophagi gravior* læsio. De quibus omnibus speciatim mox dicemus.

5. Reliqua vulnera, quæ in partibus *externis* fiunt, nisi admodum sint insignia, absolutam lethalitatem non inferunt, sed *per accidens* tantum fieri possunt lethalia. *Conf. differentiam num. 3.*

6. Vulnera partibus tantum *carnosis* inflicta, non admodum ampla vel profunda, facillime omnium sanantur, præcipue in corporibus sanis.

7. Vulnera autem in partibus *exsanguibus*, membranaceis, tendinosis, nerveis & glandulosis majorem in consolidatione difficultatem involvunt, & quando incongrue tractantur, facillime omnium gravia symptomata accedunt.

8. Quo *densiores* sunt partes *exsangues*, eo magis læsiones illarum a restitutione sunt alienæ, e. g. *tendinum* discissiones.

9. Vulnera *nervorum*.

1) Hæc gravissima & periculosa symptomata inducere solent, e. g. spasmos, convulsiones, inflammationes, febres, deliria.

2) Quando tales *nervi* læduntur, qui ad officia vitalia absolute sunt necessaria, adferunt utplurimum mortem repentinam.

3) Nonnunquam nervorum læsiones bonam quidem spem ostendunt, præter omnem tamen exspectationem accedunt convulsiones, & universum negotium reddunt periculosum.

10. Vulnera *tendinum*.

1) Hæc non *per se*, sed *per accidens* fiunt lethalia, *sphacelo* nempe accedente.

2) Discissiones tendinum non coalescunt, quidquid promittant auctores. Sic etiam coalitus eorum per *futuram* vix unquam obtinetur propter sensum exquisitum, gravia symptomata provocantem.

11. *Vasa sanguifera* tantum *incisa* plus periculi adferunt, quam prorsus *discissa*. Fibræ enim portionis læsæ contrahuntur, & ita vulneris apertura major redditur, ut sanguis ægerrime sistatur.

12. Ea-

12. Eadem ratio eſt *tendinum* & *nervorum*. Quando enim partes tales tantum *inciſæ* ſunt, ſæpiſſime accedunt convulſiones. Unde e duobus malis minus interdum eligendum, & reliqua portio etiam diſcindenda eſt.

13. Vulnera *glandularum*, præcipue *exteriorum*, abſolute non ſunt lethalia.

14. Vulnera *vaſorum lymphaticorum* non repentinam, ſed ſucceſſivam lethalitatem involvunt.

15. Vulnera *venenata*, id eſt, quæ inſtrumentis venenatis & morſibus animalium venenatorum infliguntur, graviſſima ſymptomata inducunt, & quoniam ob venenorum diverſas qualitates *antidota* non ſemper conſtant, lethalibus vulgo accenſentur, præcipue quando nervi lacerati ſunt & *hydrophobia* jam inducta eſt.

16. Non minoris periculi ſunt vulnera *contuſa*, quæ a ſclopetis & aliis igniariis machinis infliguntur. Globuli enim rotundi continuum vix ſolvunt, niſi cum contuſione & plurium fibrarum atque tubulorum vehemente dilaceratione.

17. Vulnera *punctim* facta propter irritationem & ſenſum graviora ſunt, *cæſim* inflictis.

18. *Febris inflammatoria intenſa* cum animi perturbationibus & convulſionibus quando vulneribus gravioribus accedit, magnum periculum minatur, præcipue ſi vulneratus ſub initium bene ſe habuerit, & citra cauſam manifeſtam jam ruat in deterius.

19. *Pus laudabile* quando in vulnere legitimo tempore apparet & continuat, eſt ſignum ſalutare. Contrarium eſt in *ſynoviæ* excretione.

20. Abſentiam *tumoris* in magnis vulneribus veteres pro malo ſigno habebant, ſed hodie in contrarium ſentiunt auctores.

21. Vulnera, quorum *labia valde diſtant* (uti in rotundis vulneribus videmus) difficilius ſanantur, quam quorum labia promptius jungi poſſunt.

22. In quibus vulneribus *oſſis* ſimul contritio vel fractura adeſt, illa difficilius, quam vulnera ſimplicia, ſanantur.

B. *Specialis.*

1. *Capitis* vulnera præ reliquis peculiare quid habere, uti Chirurgis ſatis notum eſt, ita jam *Hippocrates* monuit, quod nullum capitis vulnus leviter conſiderari debeat. Docet ſane experientia, vulnera

cutem vix penetrasse visa, præter omnem exspectationem mortem repentinam adtulisse. Hinc minima hic maximi sunt habenda, præcipue quæ fiunt in *futuris*.

2. Sic *superficialia* capitis vulnera *per se* quidem non sunt lethalia, *per accidens* tamen fieri possunt, quando nempe frivole habentur & tractantur. Gravem hæmorrhagiam cutis capitis vulnerata efficere solet, præcipue circa tempora & aures.

3. *Cranii* & *pericranii* vulnera absolute non sunt lethalia, nisi monstri quid alant, aut ingens cerebri commotio subsit, per accidens autem non ita raro fieri solent. Et quando *interior lamina*, post gravem contusionem, majoribus festucis cerebrum vulnerat, quæ ne trepanatione quidem, nedum aliis subsidiis auferri possunt, vulnus absolute lethale judicatur.

4. *Fissura cranii* in cavitates *ossis ethmoidei*, ad radicem nasi penetrans, exitum sortitur plerumque periculosum.

5. *Contrafissura* seu *resonitus* non sine ratione ab *Hippocrate* appellatur *infortunium*. Satis enim *infortunati* sunt tales ægri, quibus neque oculus neque manus Chirurgi auxilio esse potest; quidquid alii, speciatim *Celsus*, pro detegenda illa proferant. Vulnus, quod exteriorem tantum lamellam *ossis frontis* penetrat, non est lethale, imo ne absolute quidem, quando interior simul lamella læsa est; licet *ulcus sordidum* facile remaneat. Quando autem fractura tanta est, ut os *cribriforme* pertingat, absolute lethalis est. Nam *medulla oblongata* & *nervi optici* in consensum trahuntur.

6. *Meningum* vulnera per se non sunt lethalia. Casu enim extravasati sanguinis, vel purulentæ materiæ, a Chirurgis studio incidantur. Quando autem partibus subjacentibus injuria simul illata est, e. g. cerebrum vehementer concussum, vasa sanguifera disrupta, tum ob incompescibilem hæmorrhagiam mors infertur.

7. Omnia capitis *profunda* vulnera, præcipue *basin* cerebri penetrantia, radices nervorum & vasa sanguifera lædentia, absolute sunt lethalia, e. g.

1) Vulnera *cerebri*, *cerebelli*, *medullæ oblongatæ* & *spinalis* in principio.

2) Inprimis quando plura vasa sanguinea dissecta sunt, & vulnera *corticalem* & *medullarem* substantiam penetrant; in quibus casibus sopor, oblivio, paralysis, deliria, convulsiones accedunt.

3) Præ

3) Præ omnibus vulnera *cerebri ſclopetaria* lethalitatem ſuam repentino exitu confirmant.

4) Auctores hinc inde quidem referunt, quod gravisſima capitis vulnera, in quibus portio de cerebri ſubſtantia perdita, ipſæque membranæ diſciſſæ fuerint, lethalitatem non adtulerint (e. g. *And. a cruce* reſtitutum memorat adoleſcentis vulnus, quod ventriculos cerebri penetraverat) ſed ab his mirificis reſtitutionibus ad læſiones reliquas non eſt concludendum.

5) In quibus capitis profundis læſionibus *trepanatio* non poteſt adhiberi, vel quæ adhibita ſanguinem extravaſatum, qui altius ad cerebrum receſſit, rectius non educit, abſolute ſunt lethalia.

8. *Temporum* vulnera lata ac profunda nunquam periculo carent, ob multa *vaſa*, inſignes *nervos* & *pericranium*, quod muſculum *crotaphitem* tegit. Unde ſpaſmi & convulſiones maxillæ inferioris facile ſuperveniunt. De mitioribus muſculi *temporalis* vulneribus mitius eſto judicium. Aſſeverant enim nonnulli auctores, quod læſiones in hoc muſculo ſatis profundæ ſubinde reſtitutæ ſint.

9. Vulnera *organorum ſenſoriorum externorum* abſolute non ſunt lethalia, niſi grandior nervus, vel vas ſanguiferum, præcipue arterioſum, ſimul læſum fuerit, e. g. vulnus, quod per orbitam oculi in ipſam cerebri ſubſtantiam profundius penetrat, eſt abſolute lethale. Nam retro oſſa hæc tenerrima medullæ oblongatæ pars anterior jacet, quæ nervos opticos & anteriores proceſſus continet.

10. *Colli* vulnera, præcipue in parte anteriore, periculo ſunt plenisſima. Muſculi enim & *nervi recurrentes* non tantum, ſed & *venæ jugulares*, *arteriæ carotides* & *arteria aſpera* hac ratione lædi poſſunt. Hinc profundiora colli vulnera cum venarum *internarum jugularium* & *carotidum* diſſectione abſolute ſunt lethalia. Sanguis enim ad pulmones defluens ſcenam brevi tempore claudit.

11. T*horacis* vulnera grandia ab auctoribus lethalia judicantur, ſi muſculi tales diſciſi, qui ad reſpirationem abſolute neceſſarii ſunt. Licet enim vaſa ſanguifera non æque læſa ſint, vulneratus tamen ob denegatam reſpirationem, prius ſuffocatur, quam auxilium adferri ipſi poteſt.

12. Vulnera *ſclopetaria*, *thoracem* penetrantia, curatu difficillima & plerumque lethalia ſunt. Nam vehemens talis ictus oſſium fracturam,

gravem contuſionem, enormem hæmorrhagiam, animi deliquium, convulſiones inducit.

13. Vulnera *ſterni*, ſive penetraverint cartilagines illius, ſive ipſa oſſa (quod in infantibus contingere ſolet) in *mediaſtinum* usque, non quidem abſolute ſunt lethalia, omni tamen periculo minime carent. Licet enim *mediaſtinum* exigua vaſa & furculos tantum aliquot nervorum habeat, extravaſatio tamen materiæ purulentæ intra duplicaturam hujus membranæ multum difficultatis adfert. Quando autem vas ſanguiferum capax ſimul cum *mediaſtino* læſum eſt, vulnus lethale pronunciatur.

14. *Pulmonum* vulnera, quæ ſubſtantiam tantum *veſicularem* & minora vaſa penetrant, abſolute non ſunt lethalia, imo non adeo periculoſa niſi quod *phthiſis* facile ſuccedat. Quando autem *trunci majores* ſanguiferi in *pulmonibus* læduntur, vulnus lethale judicatur.

15. Vulnera *arteriæ aſperæ*, ſi majora ad latera gutturis vaſa ſimul læſa ſint, ob enormem hæmorrhagiam abſolute lethalia habentur. Neque minus, ſi *oeſophagus* ſimul ſauciatus, & tam in antica quam poſtica parte perforatus ſit; id quod potus aſſumtus, per vulneris rimam ex parte profluens, manifeſtat.

16. Si tantum *annuli arteriæ aſperæ* læſi ſint (quod ſpiritus, ſub exſpiratione e vulnere emiſſus, docet) vulnus abſolute non eſt lethale, teſtante *laryngotomia*.

17. *Cordis* vulnera, ad *ventriculos* vel *auriculos* penetrantia, abſolute ſunt lethalia, ob incompeſcibilem hæmorrhagiam. Paulo mitius iudicandum eſt de vulneribus, quæ *conum* tantum cordis, vel carnem muſculoſam penetrant. Tales enim vulneratos quandoque convaluiſſe, teſtantur auctores; licet periculo pleniſſima ſint; cum primis, quando pars *ſclopeto* dilacerata eſt.

18. Vulnus *ſolius pericardii* ad abſolute lethalia non referendum eſt.

19. *Diaphragmatis* vulnera *majora* in ſubſtantia tam carnea, quam tendinoſa, periculo ſunt pleniſſima. Non æque vulnera *minora*, quæ muſculoſam tantum partem penetrant.

20. Vulnera, *abdominis* cavitatem non penetrantia, minus quidem ſunt lethalia; quando autem transverſim facta multos *tendines* (præcipue circa *lineam albam* & regionem *pubis*, ubi *tendinum* concurſus eſt) læſerunt, magnam involvunt difficultatem.

21. Quan

21. Quando *inteſtina* ex abdomine vulnerato diu propendent, *ſphacelus* metuendus eſt. Idem timendum eſt, ſi *hepatis* portio promineat vel *omenti*.

22. Vehemens *abdominis* contuſio, licet externis partibus insignem læſionem non inferat, internis tamen, præcipue *inteſtinis*, grave damnum inducere poteſt. Sanguis enim, qui per talem concuſſionem in ſtaſin deductus eſt, inflammationem & corruptionem facile incurrere ſolet. Contingit etiam nonnunquam, ut *veſicula fellea* vel *inteſtina craſſia*, fæcibus referta, a tali contuſione rumpantur, abſolutamque lethalitatem inferant.

23. *Peritonæum*, cum muſculis abdominis vulneratum, poteſt curari, ſi ſufficiens adſit apertura.

24. *Omenti* vulnera non ſunt abſolute lethalia. Quando autem vaſa ſanguinea læſa ſunt, & vulneratus ſufficientem abdominis aperturam, quæ ad hæmorrhagiam ſiſtendam neceſſaria eſt, reformidat, repugnantia *morali* mors inducitur. Ceterum, quod *omenti* portio, per vulnus abdominis diu prominens, ſphacelum inferre poſſit, ſuperius jam dictum eſt.

25. Vulnera *umbilici* ſunt periculoſa, & ſecundum quosdam abſolute lethalia, ob eximium ſenſum & connexionem, quam hæc pars *nervoſo-tendinoſa* cum univerſo ſyſtemate *nervorum* habet, præcipue cum *veſica* & *inteſtinis*, teſtantibus laxantibus & diureticis, huic regioni applicatis. Lethalitas etiam innititur vaſis umbilicalibus tam *arterioſis* quam *venoſis* diſciſis.

26. *Hepatis* vulnera lata & magna, vaſa majora penetrantia, abſolute ſunt lethalia. Exigua autem in ſuperficie, ubi conſpicui rami non reperiuntur, abſolute quidem non ſunt lethalia, ob vaſorum tamen in hoc viſcere copiam periculoſa ſymptomata metuenda ſunt. Non obſtante obſervatione 34. *Hildani* cent. II. quod portio hepatis poſſit abſcindi.

27. *Veſiculæ felleæ* vulnera magna ſunt lethalia, non repentinam, ſed lentam mortem inducunt, conſolidatio enim, ob continuum humoris affluxum, non habet locum.

28. *Ductus cholidochus* vulneratus ejusdem cum veſica fellea eſt prognoſeos. Obſervarunt auctores, quod hepatis vulnus, in quo ductus ſimul bilioſi læſi fuerint, cum muſculis abdominis coaluerit, & per fiſtulam inde exortam, bilis per multos annos effluxerit.

29. *Lie-*

29. *Lienis* vulnera profunda ſunt lethalia, propter copioſiſſima vaſa. Licet enim de innoxia hujus viſceris in hominibus æque ac in canibus exciſione auctores quidam fidem facere velint, res tamen in dubium apud homines merito vocatur. Nam in his aliter quam in brutis conſtructum eſt viſcus, & alium etiam ſitum habet. *Conf. tabula de vulneribus abdominis, ſpeciatim lienis.*

30. Vulnera *renum* ſuperficialia non ſunt abſolute lethalia, bene vero quæ vaſa ſanguifera penetrant, & ubi ſanguis, in cavitatem abdominis effuſus, non poteſt educi.

31. *Ureteres* utrinque diſſecti abſolutam lethalitatem inferunt. Hac enim ratione urina in abdominis cavitatem continuo effunditur. Minus lethale eſt, ſi unicus tantum *ureter* vulneratus ſit.

32. *Veſicæ urinariæ* vulnera, ex quibus urina in cavitatem abdominis effunditur, ſunt lethalia. Quodſi vero læſio magis externa fuerit, ut urina extra corpus fluere poſſit, aliquando & fundus & collum admittit conſolidationem.

33. *Meſenterii* vulnera, quæ *vaſa lactea, ſanguinea majora* in *meſeræo* & *meſocolo* atque *nervos* diſcindunt, lethalibus adnumerantur. Quæ vero ſolam membranoſam ſubſtantiam aut glandulas quasdam lædunt, illa minoris ſunt periculi.

34. *Ciſternæ* læſio, quia artis auxilium reſpuit, lethalibus accenſetur.

35. *Ductus* autem *thoracici* vulnera non repentinam, ſed ſucceſſivam lethalitatem involvere, multæ auctorum obſervationes de continuo ſtillicidio chyli per vulnera thoracis ſatis confirmant. Vid. M. N. C. dec. II. ann. VI. obſerv. 209. p. 417.

36. Vulnera *vaſorum lymphaticorum* ejusdem cum ductu thoracico ſunt prognoſeos.

37. *Pancreatis* vulnera aliter non ſunt lethalia, quam ſi tota illius ſubſtantia aut vaſa ſanguifera diſciſſa fuerint. Sola enim hujus viſceris læſio actus vitales non tollit, quin potius ſalva vita exſcindi illud poſſe multi ſtatuant. Nonnulli autem ex ſtructura illius anatomica illud negant: conſiderantes, quod arteria ejus, ſatis capax, ſit ramus arteriæ ſplenicæ, ac vaſa eius venoſa in ſplenicam venam ſanguinem revehant. Quare hæmorrhagiam hic cohibendam tanto minus credunt, quanto difficilior ſit vaſorum ligatura in partibus internis.

38. *Gulæ* ac *oeſophagi* vulnera majora, præcipue transverſim facta & deglutitionem impedientia, plerumque ſunt lethalia. Ars enim non ha-

habet acceſſum, aſſumta deſcendunt in thoracem, connexio majorum nervorum gravia ſymptomata infert, & tandem ſuffocatione pereunt vulnerati. Talem hic canalis obtinet ſitum, ut citra adjacentium partium, e. g. *medullæ ſpinalis*, arteriæ *carotidis*, venæ *jugularis* læſionem vix ſauciari poſſit. *Superficiaria* autem vulneratio minus periculoſa eſt, nam fibrarum carnearum textura paucis diebus conſolidatur, & licet per aliquot dies nihil deglutire poſſit vulneratus, inde tamen non moritur.

39. *Ventriculus* quando perforatus eſt, ita ut alimenta in cavitatem abdominis effundantur; vel regio quædam *orificiorum* læſa eſt, in qua nervorum concurrentium vulneratio exquiſitiſſimum ſenſum infert; vel *vaſa ſanguifera* capacia diſciſſa ſunt, vulnus lethale pronunciandum eſt. Si vero latus tantum ventriculi læſum ſit, multæ hiſtoriæ illius vulneris reſtitutionem affirmant exemplis *cultrivororum*, in quibus cultri partim exſciſſi, partim per abſceſſum, a natura excitatum, feliciter educti ſunt.

40. *Inteſtinorum* vulnera ejusdem ſunt prognoſeos. Gravia enim & transverſim cum vaſorum majorum diſciſſione inflicta, ſunt lethalia. Quæ vero ſuperficiem tantum attingunt, minoris ſunt periculi. Præcipua difficultatis cauſa eſt, quod hæc vulnera non facile poſſint conſui, & licet ad illa conſuenda per aperturam magnam janua aperiatur, eſt tamen res periculo pleniſſima. De autocratica reſtitutione vid. *Harderus obſ. 67.*

41. *Duodenum* quando perforatum, præcipue circa *ductus cholidochi* inſertionem, & materia *bilioſo-chyloſa* in cavitatem abdominis effunditur, res eſt conclamata.

42. *Jejunum* quando læditur, eiusdem eſt periculi. Nam vaſis ſanguineis abundat, & per motum periſtalticum, quem præ reliquis habet fortiorem, contenta ſua cito exturbat.

43. *Ileum* læſum periculo etiam pleniſſimum eſt. Præ reliquis enim tunicas habet nerveas, quarum ſenſibilitas non ſolum ſpaſmos & convulſiones efficit, ſed & conſolidatio illarum eſt negotium difficillimum.

44. *Craſſorum inteſtinorum* vulnera minoris periculi, quam *tenuium*, a multis Medicis eam ob cauſam habentur, quod fœcum tantum ſint receptacula. Sed quando hæ in cavitatem abdominis effunduntur, æque periculoſus ſtatus inducitur. Interea tamen non negandum

eſt, quod *colon*, magna apertura vulneratum, ſpem aliquam reſtitutionis exhibeat, quia ora vulneris craſſiora facilius conſui poſſunt, & experientia teſtatur de autocratico huius inteſtini cum cute coalitu, ita ut per totam deinde vitam ex hoc fliſtuloſo canali excrementa dejecta ſint. Sic etiam *recti* vulnera circa muſculum *ſphincterem* ſunt mitiora.

45. *Uteri* vulnera, ſive in ipſo fundo, ſive in vagina facta, eadem conditione ſunt lethalia, quam ſuperius de plurimis aliis partibus, e. g. de *hepate*, *liene*, *pancreate*, *meſenterio*, *omento*, *ventriculo &c.* nominavimus, nempe quando vaſa ſanguinea capacia læſa ſunt. Nam exinde incompeſcibilis hæmorrhagia redundat. His accedit *ruptura uteri*, quæ in partu aliquando contingit, & quidem plerumque circa latera. In hiſce circumſtantiis infans extra uterum maximam partem prominet, & ſtatus ſemper eſt funeſtus. Cetc·um ſubſtantia uteri, quia valde fibroſa & craſſa eſt, facilius conſolidationem admittit, quam ſi nervea plane & membranacea eſſet; quamquam ipſæ leviores læſiones ab omni periculo non liberæ ſint.

46. *Foetus* quando cum utero ſimul vulneratus eſt, duplicem hoc vulnus lethalitatem utplurimum involvit; & quo maturior eſt embryo, eo periculoſior judicatur ſtatus.

47. *Artuum* vulnera, nempe *manuum* & *pedum*, ſimpliciter quidem non ſunt lethalia, non omni tamen carent periculo, præcipue quando *ſclopetariis* globulis inflicta, *tendines* muſculorum valde dilacerati, & oſſium extremitates valde contritæ ſunt. In talibus enim circumſtantiis *gangræna* & *ſphacelus* accedunt, & niſi matura membri amputatio corruptionem infringat, vulneratus pereat neceſſe eſt. Speciatim *manuum* & *digitorum* vulnera & contuſiones, ob multos *tendines*, *nervos* ac *ligamenta*, ſenſum exquiſitiſſimum & gravia hinc ſymptomata facile inducunt.

IV. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Res conſideratu dignisſima eſt, quod natura in partibus minus neceſſariis *graviſſimas* læſiones longe facilius ferat, quam *minimas* in partibus neceſſariis & perpetui uſus. In his enim caſibus extremæ plerumque conſternationes, trepidationes & confuſiones exoriuntur.

2. Hæc ſimplex obſervatio veriorem pathologiam exhibet, quam ſi *gravia* talia *leviorum* læſionum ſymptomata ex puris materialibus & mechanicis cauſis deriventur, quod ſcilicet halitusputredinoſi, ob

ſpe-

ſpecialem figuræ & motus ſui contrarietatem, contrarientur figuræ & motui ſpirituum. Unde e parte putreſcente halitus, in maſſam ſanguineam illati, ſpiritibus obvii facti, hos ita turbent.

3. Dixit jam *Hippocrates: Moriuntur homines ab omnis generis vulneribus, quamvis gravia eſſe non videantur.* Et conſtat quotidiana experientia, quod levia ſubinde vulnera fiant occaſio mortis; quæ res & Medicos & Iudices non leviter angit.

4. Sic etiam multa proſtant ſtupenda plane exempla, in quibus graviſſima vulnera non fuerunt lethalia, e. g. *Petrus Yvens* cultros cum vagina, chalybem excoriatorium, pedem lebetis ferrei, diverſis vicibus deglutivit, quæ, perforato ſucceſſive ventriculo, per hypochondria & lumbarem regionem, formato abſceſſu eruperunt, & æger paucis diebus convaluit. *Vid. Blegnyzodiac. Gallic. ann. 1. menſ. maj. obſ. 2.* Referunt etiam A. N. C. dec. II. ann. V. obſ. 1. exemplum, notatu dignisſimum, *ventriculi* per decem annos aperti. Item in M. N. C. dec. I. ann. III. obſ. 283. exemplum legitur, quod gladius, per oculum adactus, mucrone retro per cervicem, ſalva vita, egreſſus ſit.

5. Hinc ſi unquam, ſecundum *Hippocratem*, certe in dijudicatione & renunciatione vulnerum, judicium difficile eſt. Et quoniam ſanguinem humanum concernit, ſumma ubique requiritur circumſpectio, ut nihil dicatur, quod ſufficiente judicii maturitate non ſit elaboratum.

6. Unde ab illis, qui de hac re judicium ferre tenentur, non ſolum exactisſima corporis humani cognitio requiritur, verum etiam animus Deo & proximo fidelis, atque ab omnibus reſpectibus boni, honeſti, commodi, ignominiæ &c. liberatus. Verbo: ſapientia, non terreſtris, ſed divina plures nodos, qui ſententiam de vulneribus reddendam implicant, ſolvet, quam innumeræ illæ diſtinctiones, quibus litem dirimere intendunt, e. g. num vulneratus ex vulnere, an ex ſymptomatibus mortuus ſit, quot difficultates & lites inter Medicos æque ac Iure conſultos generavit? Cum tamen in *foro divino* hæc diſtinctio exigui ſit momenti. Nam ſi a vulnere ſymptomata, & a ſymptomate mors, quis excuſabit homicidam?

7. Et quemadmodum auctores in caſibus *vere dubiis* mitiorem ſententiam, coram judicio ferendam, omni iure commendant, ita ex altera parte ſollicite cavendum eſt, ne largitionibus obcœcati viam veritatis deſeramus, atque ita juſtum Dei judicium ipſi incurramus.

TABULA LXII.
DE
FRACTURIS GENERATIM.

I. *DEFINITIO.*

Fractura est solutio continui in ossibus, a causis violentis externis communissime originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

Fracturæ differunt,

1. Ratione *modi*; quo respectu

1) Aliæ sunt *longitudinales*, quæ secundum longitudinem tantum fieri creduntur. De his sub *fissura cranii* jam dictum est. Germanice vocantur Spalt-Kleck Schlitz- oder Schieß-Brüche, ob rimam, quam secundum longitudinem contrahunt.

2) Aliæ sunt *transversales*, quæ per transversum fiunt, & tam nomine, quam eventu, usitatiores sunt.

3) Aliæ sunt *obliquæ*, quæ secundum longitudinem & latitudinem contingunt; germanice Schief-Brüche.

4) Aliæ sunt *comminutæ*, quando os in plura fragmenta comminuitur e. g. quando currus pedem transit. Hæc comminutio, quam græco vocabulo σύνδρισμὰ appellant, reliquas species gravitate superat. Si contusiones tantum fiant in periosteo, id quod utplurimum evenit, vocant germ. geschöllert.

2. Ratione *partium* fractarum; quo intuitu fracturæ contingunt in cranio, naso, maxilla inferiore, clavicula, sterno, scapula, costis, osse sacro, femore, rotula, tibia, pedibus, cubitu, manibus. De hisce fracturarum speciebus infra agemus.

3. Ratione *symptomatum*; quo respectu

1) Aliæ sunt *simplices*, in quibus os intra partes substratas, sine mollium partium vulneratione, diffractum est, & exigua tantum, eaque ordinaria, symptomata occurrunt.

2) Aliæ *compositæ*, quando in una eademque parte duo vel tria ossa fracta sunt, & graviora symptomata accedunt.

3) Aliæ

3) Aliæ *complicatæ*, quando talia ſymptomata complicata ſunt, quæ novi morbi ſpeciem exhibent, e. g. vulnera, apoſtemata.

III. *SIGNA.*

1. *Fiſſuræ* difficilioris ſunt diagnoſeos, nec etiam facile aliis oſſibus eveniunt, quam craſſis, præcipue oſſi cranii, ſcapulæ, femoris. Dictum eſt de fiſſuræ detectione *tabula de vulneribus capitis*; quibus ſequentem methodum adiicimus.

1) Pili, quando adſunt, abraduntur.

2) Imponitur fruſtulum limi ſeu luti (cuius craſſities dimidium circiter digitum refert) linteo involutum.

3) Quando ſiccatum eſt, aufertur, & tunc conſpicitur reliqua tota ſuperficies ſicca, *fiſſura* autem *lineam*, per exhalationem *madidam*, oſtendit.

2. Reliquarum fracturarum aliæ ſatis commode dignoſcuntur, e. g.

1) Quando vulnus complicatum eſt, fractura mox in ſenſus incurrit.

2) Quando deformitas, eminentia & tumor videntur.

3) Quando ſuperior membri pars firmiter tenetur, & inferior movetur.

4) Quando unum os ſuper alterum a muſculis trahitur, tunc membrum fractum brevius obſervatur, & ita læſio facile dignoſcitur.

5) Quando oſſis duo extrema ſuper ſe invicem moventur, & ita ſtrepitus percipitur.

6) Quando multæ inæqualitates & agitationes, poſt gravem contuſionem, tactu digitorum obſervantur, *comminutio* detegitur.

3. Aliæ non niſi judicio colliguntur, e. g.

1) Quando ſuperior pars oſſis femoris fracta eſt, ob craſſos muſculos ſenſibilia ſigna per tactum excluduntur.

2) Et licet multi dolores & præcipue impotentia motus adſint, ſigna tamen ſunt *æquivoca*. Nam in *luxationibus* eadem occurrunt. Præterea ægri, fracto oſſe, membrum ob metum doloris ſæpe movere recuſant, quamvis interdum poſſint.

IV. *CAUSAE.*

1. Hæ omnes ſunt *externæ*. Quamvis enim cauſæ *internæ* oſſa poſſint reddere fragilia e. g. quæ lue venerea arroſa ſunt, actu tamen non franguntur, donec cauſæ externæ accedant.

2. Sunt vero cauſæ tales externæ

1) Lapſus ab alto.

2) Delapſus corporis duri in membrum aliquod.
3) Ictus gravis.
4) Globulus e ſclopeto emiſſus.
5) Inſtrumentum contundens applicatum.
6) Omne id, quod frangendi & contundendi efficaciam habet.

V. *PROGNOSIS.*

1. Nulla fractura *per ſe* eſt lethalis, fieri autem poteſt & ſolet per ac cidens.
2. Os fractum, quando legitime repoſitum eſt, & in ſitu illo decent conſervatur, ipſius naturæ energia reſtauratur, vel illius activita ab internis & externis medicamentis tantum promovetur.
3. Conſolidatio vix ante quadrageſimum diem rite contingit. In *tene ra* autem ætate, vel fractis *teneris* oſſibus, e. g. *claviculæ*, reſtituti viginti interdum diebus obtinetur; quemadmodum in *ſenibus*; ve fractis *craſſis* oſſibus, e. g. *femoris*, ſexaginta vel plures dies ad con ſolidationem requiruntur.
4. Citius curatur fractura *recens*, quam in qua repoſitio diutius negle cta eſt.
5. *Simplex* fractura longe facilioris eſt tractationis, quam *compoſit* ubi bis vel ter in uno membro os fractum, & *complicata* ſeu cum *vu nere* conjuncta. Sic etiam quando fractura contingit in tali membro quod *duobus* oſſibus præditum eſt, *unum* autem ex illis tantum fra gitur, læſio illa facilius curatur.
6. Os fractum quando *ordinarium* ſuum *ſitum* adhuc obtinet, cujusqu extremitates ſibi invicem adhuc ſunt continuæ atque æquales, fac lius curatur, quam quod e loco ſuo dimotum eſt.
7. Fractura *transverſalis* quovis reſpectu benignior eſt, quam *obliqua* *comminuta*, in qua os fractum in multas partes conteritur, & æqual naturalis membri forma raro obtinetur.
8. Fracturæ, quæ circa oſſis *capita* & *juncturas* contingunt, deterioris ſu conditionis, quam quæ medio illius loco producuntur. Et *capit lum* quando læſum eſt, repoſitio difficulter ſuccedit.
9. Quando *tendinoſæ* & *ligamentoſæ* partes læduntur (quod in fractur circa juncturas evenientibus non raro contingit) gravia facile ſym ptomata producuntur.

10. Fr

10. Fracturæ, quibus causæ *internæ* occasionem dederunt, longe pejoris sunt indolis, quam minus tales. Hinc in lue venerea tertii gradus fracturæ sunt periculosæ, & non, nisi sublato morbo gallico, consolidantur.

11. Quando fracturæ in tali parte contingunt, ubi repositio & deligatio ad vota fieri non potest, graviores illæ censendæ sunt.

12. Fractura, quæ *nobiles* partes habet vicinas, vel vasa capacia sanguifera, periculosior est, quam minus talis. Hinc læsio *cranii* & *sterni* præ aliis gravior esse observatur.

13. *Festucæ*, tanto magis autem *extremitates* ossium fractorum, quando partes vicinas, præcipue autem vasa sanguifera & nervos, pungunt & penetrant, periculosa symptomata producunt.

14. Fracturæ *gravidarum* difficillime consolidantur, post partum autem æque feliciter ac in aliis negotium succedit. *Vid. Hildani observat. 87. cent. V.*

15. *Fissurarum* periculosam conditionem testantur omnes auctores, qui tales *longitudinales* fracturas admittunt. Præcipue autem metuunt sanguinis stasin, & hinc vel sphacelum, vel, pro partium adjacentium conditione, ulcerosam atque carriosam corruptelam.

16. Os, quod semel fractum & iterum consolidatum fuit, quando de novo patitur fracturam, hæc non in pristino loco, nisi quidem nuperrime consolidatio præcesserit, sed in alio contingit.

17. Fracturæ, licet optime curatæ sint, relinquunt tamen non raro hoc incommodum, ut ægri, præcipue senio confecti, sub tempestatis mutatione, *congestiones rhevmaticas* circa illam regionem experiantur, sie haben gleichsam einen Calender in demselbigen Gliede; imo post diuturnos tales spasmos membri *aridura* nonnunquam succedere observatur.

METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.

Curatio fracturarum absolvitur *tribus* momentis.

1. *Repositione*, qua extremitates ossis fracti in situm suum naturalem reducuntur. Ad hanc pertinent
   1) *Extensio* & *contraextensio*.
   2) *Coaptatio* seu *conformatio*; de quibus sub *cautelis* plura dicemus.

2. *Conservatione*, qua partes repositæ in situ naturali retinentur. Obtinetur hæc

1) Per

1) Per apparatum *deligationis*.

2) Per debitum ſitum totius corporis, ſpeciatim partis fractæ. Specialia ſub *cautelis* dicentur.

3. *Congrua ſymptomatum tractatione.* Præcipua autem ſymptomata, quæ fracturæ interdum ſuperveniunt, ſunt ſequentia:

1) *Dolores* & *pruritus* moleſti. Unde *affluxus* humorum ad locum male affectum, producitur, cui proinde etiam occurrendum eſt.

2) *Inflammatio*, vel plane *gangræna* & *ſphacelus*.

3) *Luxatio* complicata.

4) *Vulnus* complicatum.

5) *Hæmorrhagia*.

6) *Anchyloſis*, *contractura* & *aridura*.

7) *Deformitas* membri fractura curati.

De ſingulis ſub *cautelis* ſeorſim agemus.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Extenſio* in illis fracturis non eſt neceſſaria, in quibus oſſa fracta ſitum naturalem adhuc ſervant, vel paululum tantum mutarunt. Sic etiam non neceſſaria eſt, neque locum habet, quando membrum aliquod duobus conſtat oſſibus, & unum tantum fractum eſt. Suſpiciunt in hisce circumſtantiis *conformatio* & *conſervatio*.

2) Quando *magna inflammatio* adeſt, *extenſio* prius non ſuſcipiatur, quam hoc ſymptoma congrue remotum fuerit. *Levis* autem inflammatio *extenſionem* non differt.

3. Sic etiam *extenſio* differtur, quando immanes *dolores* affligunt. Ille autem dolor, qui a fragmentis oſſium pungentibus originem habet, non inhibet hanc operationem.

4. Difficilior eſt *repoſitio* & *conformatio* in robuſtis & carnoſis ſubjectis quam in macilentis. In illis enim tactu percipi non poteſt, num membrum fractum recuperaverit ſitum naturalem. Hæc difficultas major eſt, quando fractura in tali membro contingit, quod vaſtis muſculis munitur.

5. *Extenſio* inſtituenda eſt cum reſpectu ad ægroti ætatem & oſſium magnitudinem.

6. Notitia anatomica, præcipue *oſteologiæ* & *myologiæ*, ad hanc operationem requiritur.

7. *Extenſio* maxime neceſſaria eſt in fracturis *obliquis*, & ubi extremitates multum a ſe invicem ſeceſſerunt.

8. Sufficientem eſſe *extenſionem* cognoſcitur, ſi *cavitas* quædam circa locum affectum conſpiciatur.

9. Neceſſitas *extenſionis* hoc innititur fundamento: muſculi perpetuo tono ſeu motu tenſivo affecti ſunt, cui oſſis durioris ſubſtantia veluti contranititur. Quando autem os frangitur, ſponte quaſi reſilit muſculus, & hoc tono membrum contrahitur. Itaque opus eſt, ut extendatur.

10. Ad *extenſionem* præſtandam variæ machinæ ab antiquis ſunt excogitatæ, e. g. lorum *Hildani*, machina tractoria *Vitruvii*, *ſcamnum Hippocratis*; ſed pauci occurrunt caſus, in quibus inſtrumenta talia ſunt neceſſaria. Plerumque enim ſolis manibus vel laqueis extenſiones ſufficientes poſſunt obtineri.

11. *Coaptatio* ſeu *conformatio* ſuſcipi non debet, niſi præceſſerit ſufficiens *extenſio* & *contraextenſio*.

12. Vis reponens & configurans debet eſſe proportionata duritiei oſſis.

13. *Conformatio* ordinarie etiam fit manibus, quibus proportionate & pro circumſtantiarum ratione, modo introrſum, modo extrorſum, modo ἄνω, modo κάτω impulſum facit Chirurgus, ut oſſium extremitates ſe invicem excipiant.

14. In *comminutione* etiam poſt proportionatam, ſi opus ſit, membri læſi extenſionem, fragmenta adaptantur per decentem & ad mediocrem membri æqualitatem factam complanationem. Sed hæc coaptatio multas habet difficultates. Hinc ſitus tantum naturalis reſpiciendus, & reliquum aſſerculis commendandum eſt, ut deformitas membri, quo fieri poteſt modo, caveatur.

15. *Coaptationem* membri juſtam eſſe teſtantur
1) Comparatio cum membro ſano, v. g. ſi pollex pedis cum genu in linea recta reperiatur.
2) Æqualitas ſuperficiei reſtituta.
3) Majoris doloris ceſſatio.

16. Facta debita membri extenſione & coaptatione, *conſervatio* in ſitu naturali obtinetur per *deligationis* apparatum, qui ſequentia complectitur.

1) Emplaſtrum *catagmaticum* ſubadſtringens, quod parti affectæ imponitur.

2) Emplaſtrum *defenſivum* nervino-discutiens camphoratum, quod eminus applicatur, ut affluxus humorum, ſtaſis & corruptio præcludatur, & multa ſymptomata avertantur. Rejiciunt hodie multi Chirurgi talia emplaſtra in fracturis, & quidem recte, ſi *conſolidantem* tantummodo ſcopum, quem vulgo ſolum reſpiciunt, conſideremus. Quoniam autem tam *catagmaticum* quam *diſcutiens* emplaſtrum *affluxui* repellendo præcipue deſtinatur, quovis modo commendare illud convenit.

3) *Splenia*, quæ compreſſioni partis & inæqualitatis explanationi inſerviunt. *Conferatur tabula IV.*

4) *Faſcias* cum *ferulis*, quæ membro fracto debent eſſe accommodatæ. *Conferatur itidem tabula IV.* Poſt unam vel alteram faſciam minorem applicatam, ferulæ apponuntur, & faſcia multo longiore deſcendendo & aſcendendo firmantur.

5) Regio autem fracta ſub deligatione ſemper tenenda eſt.

6) *Deligationem*, quæ neque *minus* neque *nimis* arcta eſſe debet. Caſu enim priore intentio non obtinetur, poſteriore autem varia ſymptomata inducuntur, nempe tumor inſignis, inflammatio, ſtaſis &c.

7) Signa *juſtæ deligationis* ſunt bona tolerantia, tumor mollis & calor moderatus. *Conferatur tabula IV. de apparatu deligationis.* Præſentibus feſtucis deligatio tanto majorem requirit circumſpectionem.

8) *Situm* corporis juſtum, qui etiam contribuit ad membrum repoſitum in loco naturali conſervandum. Reſpicit ille

a) *Totum corpus*, quod excepto capite paululum elevato, linea recta decumbere debet, ne ſenſim delabatur.

b) *Partem affectam*, de cujus ſitu ſequente ſpeciali tabula agetur.

9) *Solutionem* faſciarum, quæ pro conditione fracturarum & ſymptomatum modo citius, modo tardius fieri debet. Fractura *ſimplex* per tres vel quatuor ordinarie dies primam tolerat deligationem. Quando autem vulnus complicatum eſt, neceſſitas poſtulat, ut apparatus deligationis ſæpius reiteretur. In tali caſu *faſciam 18 capitum* commendant, quam *tabula tertia* deſcripſimus. Huju

enim

enim beneficio aditus patet ad vulnus, ita ut non opus sit, in qualibet deligatione totum membrum, quod læsum est, denudare.

17. Aberratio & insciția repositionis, wenn das Bein nicht recht wieder eingerichtet wird, non solum malam figuram, sed & impedimentum motus in illo membro post se trahit. Unde interdum necessarium est in tali casu, ut os consolidatum *de novo frangatur* atque bene reponatur, quo naturali situi & motui respondeat. Alias enim nodi in osse oriuntur calloſi, atque ita deformitas parti inducitur. Sed ad novam talem fracturam multum roboris, tam animi, quam corporis, in ægro requiritur.

18. *Consolidationis* negotium uti naturæ primario incumbit, ita subvenitur eidem per talia remedia interna, quæ sunt subtilis terrestris consistentiæ, & ita materiam copiosiorem ad reparationem ossis naturæ suppeditant. Commendantur hoc nomine

1) *Osteocolla*, quæ tanquam concretum salino-mucidum calli productionem præ reliquis promovet, & tempore consolidationis non sine evidente levamine omnium symptomatum adhibetur. *Conf. Hildanus cent. III. obs. 90. 91.*

2) *Medulla saxorum*, Stein-Marck, alibi vocant *lac lunæ*. Est concretum montanum limosæ & cretaceæ substantiæ.

3) *Oculi cancri*, *testæ ovorum*, *conchæ*, imo ipsa *ossa* & *cornua* philosophice, ut dicunt, præparata.

De his callum promoventibus remediis notandum, quod ante septimum diem propinari non debeant.

19. Quidquid autem agatur, ordo tamen & successus naturæ non mutatur, sed justum tempus requiritur, ut justa ac firma ossis consistentia restituatur. Prima enim cartilaginis textura mollis est ac tenera, cui proinde sub initium non fidendum.

20. Ad *symptomatum* considerationem accedimus & primo loco *dolorum* mitigationem respicimus.

1) Oriuntur sæpius dolores a fragmentis, quæ præcipue periosteum pungunt; in quo casu justa fracturæ repositio optimam fert mitigationem.

2) Quando autem nimis arcta deligatione excidatur, hæc relaxanda est. Ceterum *camphora* cum leniter *paregoricis* hic excellit.

3) Ad ſenſibilitatem & debilitatem, a diuturnis doloribus prægreſſis reſiduam, ſolent Chirurgi applicare *animalia viva diſſecta*, adhuc calida, e. g. catulos, gallinas, columbas.

4) Sed licet his non omnis efficacia deneganda ſit, meliorem tamen virtutem habent ſpiritus *camphoratus*, ſpiritus *formicarum* & ſpiritus *ſerpilli abſtractitius*.

5) Speciatim ſpiritus *ſerpilli*, quando ter vel quater novæ herbæ affuſus & abſtractus eſt, tantam habet efficaciam nervinam, ut aquam Hungaricam longo intervallo poſt ſe relinquat.

6) Præſente dolore *pungente* ſpiritus vini *camphoratus* reliquis duobus ſpiritibus addatur. In ſola autem partis *debilitate* ſpiritus *formicarum* & *ſerpilli* applicentur.

21. *Inflammatio* ſi a nimis ſtricta deligatione originem ducat, relaxatio fiat neceſſe eſt. Expedit autem; præcipue in ſtatu plethorico, ut vena ſecetur, ne ſtaſis inflammatoria augeatur, ſed hac ratione præoccupetur. Ceterum tractatur inflammatio, uti ſuo loco indicatum eſt.

22. Ubi magna eſt ſanguinis ſtagnantis ſuffuſio, groſſe Beulen, daß es gantz ſchwartz ausſiehet, *gangræna* & *ſphaceli* periculum imminet. In tali caſu, niſi potentiſſimis ſuffuſionem discutientibus remediis citiſſime ſuccurratur, neceſſe eſt, ut pars ſecetur, & ſanguis ſtagnans eximatur. Conferantur tabulæ de *gangræna* & *ſphacelo*.

23. *Luxatio* quando cum fractura complicata eſt, illa, ſi reliquæ circumſtantiæ concedant, prius reponenda. *Conf. tabula de luxat. generatim.*

24. Fracturæ cum *comminutione* ſeu *contuſione*, ubi partes ſuperſtratæ ſimul vulneratæ ſunt, difficultatem in curatione habent majorem. Niſi enim fortioribus discutientibus nervinis & camphoratis ſub initium ſuccurratur, gravia ſymptomata accedunt, nempe inflammatio, gangræna, ſphacelus aut ulceratio. Sequente autem ordine res peragitur.

1) Facta, ſi opus ſit, extenſione fragmenta, quantum fieri poteſt, ad membri æqualitatem reponuntur.

2) Tota fracturæ peripheria ſpiritu vini *camphorato* inungitur.

3) De-

3) Deinde emplaſtrum *catagmaticum* fracturæ applicatur.

4) Huic *facculi* fragrantes in vino cocti, expreſſi & paululum tantum madidi, imponuntur.

5) Poſtea *ſplentiis* inæqualitates explentur, & pro commodiore ſitu ſervando ferulæ apponuntur.

6) Denique hæc omnia faſcia, quæ duo de viginti habet capita, firmantur. Conf. tabula *tertia*.

7) Ceterum ipſi vulneri & oſſi fracto egregie convenit *eſſentia balſamica*, e majore quantitate ſuccini, pauciore myrrhæ & momento purioris olei terebinthinæ parata.

8) Abſtinendum in contuſionibus & fracturis ab *unguinoſis*, non minus a ſpirituoſis calidis, præſertim in principio, alias membri atrophia, monente jam dudum *Paracelſo*, ſubſequitur.

9) Quando contuſio exigua eſt, ſola *cataplaſmata* ſufficiunt. Parantur illa e ſpiſſioribus reſinis, adſtringentibus & mucilagine ſymphyti majoris. Tale cataplasma provocat tonum fibrarum, & repellit humores nimium affluentes. Alias huic ſcopo ſatis etiam facit emplaſtrum *catagmaticum*, item *ceratum ſantali*, nec non *unguentum ſantalinum*.

10) *Simplex* autem *fractura* nullam aliam habet indicationem, quam nimii affluxus repreſſionem in ipſa parte læſa, & in peripheria diſcuſſionem; id quod, deficientibus aliis, vinum calidum vel recens urina præſtat.

11) *Borellus* in contuſionibus, oſſa ſimul ſtringentibus, laudat uſum ſympatheticum & amuleticum *ligni corylini*, menſe martio ſub ingreſſu ſolis in arietem cæſi. Commemorat, quod hujus ligni contactu, affrictu & preſſione graviſſimæ etiam læſiones partium oſſearum & muſculoſarum ſuperſtratarum mitigatæ & reſtitutæ fuerint.

12) Huc quoque trahi poteſt *lignum fraxinum*, circa ſolſtitium æſtivum cæſum.

13) *Symphyto majori* & *ſophiæ Chirurgorum* multum in his caſibus tribuunt, ſed nihil poſitivi de infallibili efficacia horum ſimplicium poteſt dici. Satis tamen commode adhibentur, quando vehemens dolor & febris abeſt. Emplaſtra catagmatica ordinarie herbæ illæ ingrediuntur.

14) *Fragmenta* ossis, quando cum ligamento aut periosteo adhuc cohærent, & carnem non pungunt, solent aliquando cum osse suo iterum coalescere.

15) Quando autem ab osse suo festuca quædam ossea multum distat, divulsa hæret, aut penitus secreta est, & pungendo partibus mollibus molestiam creat, instrumentali chirurgia opus est. Videlicet portio illa ossis a carnosa parte cultro separanda, & a reliquo osse per forcipem absumenda. Alias, si spontaneam abscesionem, intra 12-24 dies vix sperandam, exspectare vellemus, multum interea periculi induceretur. Quo citius portio talis, cujus consolidatio non speranda absumitur, eo melius consulitur ægrotis.

16) Abscessuri ossis signa sunt effluxus saniei copiosior, quam vulnus requirit, & laxa atque spongiosa labiorum constitutio, justum vulneris coalitum respuens.

17) De hisce complicatis vulneribus adhuc monendum, quod, si æger vehementem ardorem persentiscat, licet consolidatio fere facta, vulnus cultro ad os usque incidendum & materia nigricans quæ ossi incumbit, abradenda sit, continuando, donec os sanum appareat. Tunc vulneri imponitur *radix aristolochiæ*, & in peripheria *emplastrum defensivum*.

25. *Hæmorrhagiæ* symptoma quomodo tractandum sit, suo loco videatur.

26. *Contractura* & *aridura*, quando accedunt, tractantur uti tabula peculiari indicavimus.

27. Cum contractura cognationem habet *anchylosis*, quando articulatio seu junctura immobilis facta est. Contingit hoc symptoma in fracturis illis, quæ articulis sunt propiores, ubi succus nutritius in cavitatem instillat. Hic affectus, si plane formatus sit, est incurabilis; recens autem motu, frictionibus & medicamentis discutientibus interdum profligatur.

28. Periculum, quod *fissuræ* seu *fracturæ longitudinales* creant, est exsudatio, stasis & corruptio humiditatis. In cranio vasorum subtilissimorum facile contingit ruptura; in aliis partibus major stasis ulcerationem excitat, quæ per alia loca exitum quærit. Unde, nisi fissura denudetur, & caries abradendo vel urendo ad vividam usque ossis

por-

portionem repurgetur, reſtitutio non habet locum. *Conf. tabula de vulneribus capitis.*

29. Ultimo loco placet mentionem facere, quod interdum plane inſolitum quid ratione fracturarum contingat. Sic v. g. in A. N. C. talis caſus occurrit, ubi dormienti cuidam tanquam per ſomnium ejusmodi ſenſus obtigit, ac ſi magno ictu & plaga vehemente in crure, non longe a genubus, afficeretur. Evigilans ſenſit etiam re vera dolorem ibidem vehementiſſimum. Cum autem externe nihil, quod præter naturam eſſet, appareret, adhibita ſunt remedia discutientia & mitigantia, ſed ſine effectu. Tandem ſub immani dolore exſpirabat, & ſectio poſt mortem crura, cultro quaſi diſſecta, oſtendebat. Ejusmodi caſum *Petermannus* expertus eſt. *Vid. deliciæ medicæ & chirurgicæ.*

TABVLA LXIII.

DE

FRACTURIS SPECIATIM.

I. FRACTURA NASI.

1. *Differentia.*

1) Cranii fracturas exhibuimus tabula de vulneribus capitis. Hinc mox ad fracturam naſi accedimus, quæ plerumque eſt *complicata* ſeu cum *vulnere* conjuncta; rarius *ſimplex* reperitur.

2) Modo os unum, modo duo oſſa fracta ſunt.

3) Oſſa fracta ordinarie *introrſum*, raro admodum *extrorſum* adiguntur.

2. *Signa.*

Tactu & viſu hæc fractura facile poteſt cognoſci.

3. *Prognoſis.*

1) Fractura naſi facile admittit repoſitionem, ſi mature illa ſuſcipiatur. Quando autem ſero tentatur, majorem involvit difficultatem, ſitus enim pervertitur.

2. Cal-

2) Callus cito creſcit, intra enim 10-14 dies ſit coalitus.
3) Quoniam autem vulnus cum hac fractura ſæpius complicatum eſt, deformitas naſi vix poteſt evitari.
4) Quo major eſt læſio, eo facilius caries, ozæna, polypus, accedunt.
5) Præterea oſſa fracta plerumque pungunt membranas ſubjectas & facile lædunt vaſa.

4. *Curatio.*

1) *Repoſitio.*

a) Hæc magnam non habet difficultatem, ſive introrſum, ſive extrorſum oſſa pulſa ſint.

b) Videlicet nari, cujus os fractum eſt, immittitur *ſpecillum* bombace munitum, in regione autem externa digitus apponitur, & leni ubique preſſione os, ſive extrorſum ſive introrſum, reponitur.

c) Duo oſſa quando fracta ſunt, poſt unius repoſitionem, alterius eodem modo ſuſcipitur.

2) *Conſervatio.*

a) Immittitur *cannula* quædam, ſive plumbea, ſive alia, quæ ligamentis pileo nocturno (Schlaf-Mütze) annectitur. Duo oſſa fracta duas requirunt cannulas.

b) Hac ratione oſſa in ſitu naturali conſervantur, præcipue quando ad interiora fuerunt pulſa, & nares non poſſunt concreſcere.

c) In hoc caſu, nempe quando *introrſum* oſſa fracta pulſa fuerunt, vix opus eſt ulteriore deligatione, ſi modo cannulæ firmatæ ſint.

d) Quando autem *extrorſum* oſſa adacta fuerunt, deligatio magis neceſſaria eſt.

e) Solent adhibere *ferulas* e charta paratas (von Pappe) & *faſciam* illam, quæ *accipiter* vocatur. *Conf. tab. III. p. 34.* Foramine prædita eſt, ut materiæ purulentæ exitus præbeatur, & æger tanto facilius poſſit reſpirare.

II. *FRACTURA MAXILLÆ INFERIORIS.*

1. *Differentia.*

1) Maxilla inferior frangitur

a) Vel in *longum.*

b) Ve

b) Vel in *transversum*, quæ ultima tamen fractura rarior est, & quando contingit, partes multum secedere non possunt.

2) Fractura hæc plerumque cum *vulnere* complicata, rarius autem *simplex* est.

3) Modo in *uno* latere, modo in *utroque* evenit.

2. *Signa.*

1) Facile exploratur hæc fractura per digiti intra os immissionem. Dentes enim quando inæquales & extra ordinem naturalem protrusi tanguntur, certa est maxillæ fractura.

2) Certissimum etiam fracturæ signum est, quando partes maxillæ fractæ aliæ super alias ascendunt, & magnam deformitatem seu inæqualitatem, sub sensus cadentem, in facie producunt.

3) Non minus, si reperiatur inæqualitas, quando digitus secundum basin maxillæ *exterius* ducitur.

3. *Causæ.*

Magna violentia externa requiritur ad maxillam frangendam. Mobilitas enim duorum ipsius articulorum ictus vehementiam multum obtundit & enervat.

4. *Prognosis.*

1) Mature succurrendum est, alias, præter linguæ & laryngis incommoda, convulsiones & periculum suffocationis imminent.

2) Callus intra tres circiter hebdomadas solet formari.

5. *Curatio.*

1) Ad repositionem obtinendam digiti manus unius ori immittantur.

2) His *exterius* digiti alterius manus opponantur, & utrinque moderata pressio instituatur, donec dentes in naturali ordine dispositi conspiciantur. Quando autem dentes nimium vacillantes sunt, argenteo filamento vicinis dentibus possunt alligari, donec iterum firmitatem suam recuperauerint.

3) Facta repositione charta crassior (von Pappe) apponitur, & deligatio fascia, *capistrum simplex* dicta, absolvitur. Quando autem maxilla utrinque fracta est, *capistrum duplex* adhibetur.

4) A loquela æger abstineat, jusculà tantum bibat, (quia masticatio nocet) dorso vel lateri sano incumbat.

II. *FRACTURA CLAVICULÆ.*

1. *Differentia.*

1) Contingit fractura claviculæ utplurimum in ſui medio, interdum autem juxta extremitates.

2) Seceſſus partium fit

a) Vel ſecundum *latitudinem*, quia muſculi partem fractam alii ad hunc, alii ad alterum locum trahunt. Quæ pars *ſterno* prior eſt, ad ſuperiora paululum trahitur; quæ vero *ſcapulæ* ad inferiora magis. Trahunt enim *maſtoideus* & *ſterno-hyoideus*.

b) Vel ſecundum *longitudinem*. Hic ſeceſſus dependet unice a oſſe brachii, fracta enim clavicula, brachium ad pectus inclinat cum ordinarie magis retrorſum pendeat.

3) Alii diſtinguunt fracturam claviculæ

a) in *transverſam*, quando clavicula recta linea transverſim fran gitur, &

b) in *obliquam*, quando os oblique a ſe invicem ſecedit. Qu diſtinctio uſum practicum ſuppeditat. In transverſa enim fractura *ſpicæ ſtellatæ* ſeu *cruciatæ* circumductiones ita fiunt, u brachium antrorſum verſus ſternum ducatur; in obliqua au tem retrorſum verſus ſcapulam brachium ducendum eſt.

2. *Signa*.

1) Clavicula quia muſculis non tegitur, fractura illius viſu & tact facile cognoſcitur. Magna enim deformitas in illo loco ap paret.

2) Brachium attolli non poteſt; præter ea, uti modo dictum, ad pectu notabiliter inclinat.

3. *Cauſæ*.

Fractura claviculæ ob ſequentes rationes ſæpius contingit.

1) Os admodum tenue eſt.

2) Situs illius transverſalis ictum perpendicularem facile recipit.

3) Utrisque extremitatibus annectitur & immittitur aliis partibus, medio autem liberum eſt.

4) Ceterum, quia muſculis non eſt tectum, violentiis externis tant minus reſiſtere poteſt.

5) Contingere etiam poteſt fractura claviculæ, quando vis exter applicatur parti ſuperiori *humeri*.

4. *Progn*

4. *Prognoſis.*

1) Facilis eſt hujus fracturæ repoſitio, quia extenſio & conformatio levi encheireſi obtinentur.

2) Difficilis autem eſt conſervatio in ſitu naturali; præcipue quia deligationem commodam non omnes perſpectam habent, & pondus brachii extremitatem, quæ ſibi connexa eſt, ad inferiora facile trahit. Quicunque autem operator faſciam *cruciatam*, de qua ſub *differentia* iam diximus, dextre applicare novit, ille hanc difficultatem haud difficulter ſuperare poteſt.

3) Ob haſce difficultates clavicula non ita raro inæqualitatem poſt ſui coalitum oſtendit.

4) Quando vaſa vel nervi per feſtucas læduntur, gravia ſymptomata accedunt.

5. *Curatio.*

1) Æger in humilem ſellam collocatur.

2) Unus e miniſtris genu ſuum inter duas *omoplatas* ponit.

3) Idem miniſter duo extrema omoplatarum & humerorum manibus fortiter prehendit, eaque æqualiter retro trahit, truncum autem corporis genu ſuo ad anteriores partes pellit. Et ſic extenſioni & contraextenſioni ſatis fit.

4) Chirurgus, qui ægroti faciem aſpicit, juſto extenſionis tempore coaptat digitis ſuis extrema fractæ claviculæ.

5) Alter miniſter extrema coaptata firmiter tenet.

6) Chirurgus deligationem ſpleniis, ſupra & infra os ponendis, ferulis chartaceis tegendis, atque faſcia firmandis abſolvit.

7) Clavicula quando in medio ſui, vel prope *os ſterni*, fracta eſt, inſervit faſcia illa, quæ *capitalis* vocatur. Quando autem fractura prope *ſcapulam* contigit, *ſpica ſimplex* adhibenda eſt.

8) Pilam vel linteamina convoluta ſub alam ponunt, ne brachium adeo ad inferiora tendat.

9) Præter ea inſtrumentum illud ferreum, quod litteram Tau forma ſua refert, tergo applicare ſolent, ut brachium eo magis retrahi & partes coaptatæ in ſuo ſitu conſervari poſſint. In fractura autem *transverſali* retractio brachii non valet.

10) Feſtucæ quando repoſitioni impedimento ſunt, & inciſionem expoſcunt, caute illa inſtituenda eſt, ob vaſa capacia, nempe arteriam & venam ſubclaviam, quæ ſub *claviculam* excurrunt.

IV. *FRACTURA SCAPULÆ.*

1. *Differentia.*

Frangitur ſcapula

1) Vel prope *commiſſuram* ſuam cum brachio.
2) Vel in *acromio.*
3) Vel in reliqua ſui parte.

2. *Signa.*

1) Inæqualitas, quæ viſu & tactu comprehenditur.
2) Quando *ſpina* fracta eſt, cavitas quædam, dolor punctorius & ſtupor in brachio obſervatur.
3) *Introrſum* fit fractura, excepto *acromio* fracto.

3. *Prognoſis.*

1) Fractura prope *commiſſuram* difficulter curatur.
2) Fractum *acromium* repoſitionem quidem facile admittit, difficile autem coaleſcit, & ob leves cauſas e ſitu ſuo naturali dimovetur.
3) *Collum ſcapulæ* fractum dira ſymptomata invitat, quando partes nerveæ, ligamentoſæ & vaſa ſanguifera, quæ in illa regione reperiuntur, ſimul læduntur.
4) Fractura in reliquis ſcapulæ partibus omnium facillime coaleſcit.

4. *Curatio.*

1) *Acromii* fractura ſolis Chirurgi digitis reponitur.
2) Ceterum brachium antrorſum & deorſum extenditur, ut repoſitio obtineatur.
3) *Fragmenta*, quæ non ſunt ſeparata, relinquuntur. Quæ vero ſeparata ſunt & pungunt, eximuntur, præcipue per forcipem.
4) Repoſitis oſſibus *emplaſtrum glutinans* imponitur.
5) *Splenia* cum *ferulis chartaceis* adhibentur, & *faſcia ſtellari* firmantur.

V. *FRACTURA STERNI.*

1. *Differentia.*

1) *Sternum* quando lapſu vel alia violenta percuſſione læditur, patitur ſive *fracturam*, ſive tantum *depreſſionem.*
2) Hæc læſio unice fit *introrſum.*
3) Eſt vel *ſimplex*, vel cum *vulnere* complicata.

2. *Signa.*

1) Inæqualitas præter naturam in hac regione conſpicitur.

2) Ster-

2) Sternum, quando digito paululum premitur, cedit, & quidem interdum cum ſtrepitu quodam, quem extremitates fracturæ collidendo edunt.

3) Tuſſis, dyſpnœa dolorifica, & interdum hæmoptyſis concurrunt.

3. *Prognoſis.*

Periculoſa eſt hæc fractura, facile enim vaſa ſanguifera læduntur, & ſanguis, ſive intra *duplicaturam mediaſtini*, ſive intra ipſam thoracis cavitatem effuſus, abit in corruptionem, niſi tempeſtive ſuccurratur.

4. *Curatio.*

1) E regione fracturæ pulvinar quoddam duriuſculum ægro decumbenti ſupponitur. Si nihil aliud ad manus ſit, panis, tanquam corpus durum, uſui eſſe poteſt.

2) Miniſter humeros deprimit.

3) Chirurgus autem coſtas utrimque comprimit.

4) Æger interea aërem retinet, & ſic oſſa fracta ſæpius in ſitum naturalem reponuntur.

5) Deligatio fit ſpleniis & faſcia *ſcapulari*; ob difficultatem autem reſpirandi non adeo arcta eſſe debet.

6) Quando repoſitio dictis encheireſibus non poteſt obtineri, inciſio & oſſis modeſta *terebratio* vulgo quidem commendatur, qua vero difficultate prematur, tabula LIV. *de vulneribus ſterni* indicavimus.

7) Sin autem ſanguis intra mediaſtinum vel ipſam thoracis cavitatem effuſus eſſet, priore caſu *trepanatio* in inferiore ſterni parte, poſteriore autem *paracenteſis* commendari ſolet.

8) Reliqua, quæ ad vulneris hujus tractationem neceſſaria ſunt, indicavimus tabula LIV. de vulneribus thoracis.

VI. *FRACTURA COSTARUM.*

1. *Differentia.*

1) Fracturæ coſtarum fiunt

a) Aliæ *introrſum*, nempe quando per ictum violentum media pars arcus coſtarum percutitur, ut illarum fracta extrema ad interiores partes deprimantur.

b) Aliæ *extrorſum*, quæ contraria ratione contingunt, nempe quando coſtæ extremum aliud in aliud propellitur, ictibus

omnino inter se oppositis, ita ut extrema fracta ad exteriores partes cedere cogantur.

c) Aliæ situm retinent naturalem, & hæ sunt benignissimæ.

a) Fracturæ costarum aliæ sunt *simplices*, aliæ cum *vulnere* complicatæ.

3) Porro aliæ cum exiguis, aliæ autem cum gravibus & periculosis symptomatibus sunt conjunctæ.

2. *Signa.*

1) Inæqualitas, sive in profundum sive in altum conspicitur, excepto casu, ubi extrema fracta situm naturalem retinent.

2) Strepitus seu crepitatio ossium fractorum tactum nonnunquam excipiunt.

3) Communia symptomata sunt dolores, sputum sanguinis, respirandi difficultas, minor quidem in fracturis extrorsum factis, major autem in iis, quæ introrsum factæ sunt.

4) Graviora symptomata, quæ interdum accedunt, sub *prognosi* recensebimus.

3. *Prognosis.*

1) Hæc innititur diversis fracturarum conditionibus & symptomatibus, quæ illis superveniunt.

2) Quando extrema fracta locum retinent naturalem, læsio illa sæpe non observatur, & sponte sua coalescit.

3) Quando extrema fracturæ *introrsum* propulsa sunt, majus periculum imminet, quam si *extrorsum* respiciant.

4) Quæ fracturæ cum enormi *contusione* & secessu extremorum profundiore junctæ sunt, satis periculosæ, imo non ita raro lethales fiunt.

5) Fragmenta enim quando musculos, pleuram, nervos intercostales pungunt, & vasa sanguifera, nervos illos concomitantia, referant non potest non status induci calamitosus. Accedunt nempe febres inflammatoriæ, abscessus, ulcera fistulosa & carriosa.

6) Nonnunquam aër per vulneris angustiam penetrat, & sub cute per omnes fere corporis regiones tumorem constituit, quem *emphysema*, germ. eine Wind-Geschwulst, appellant. Sed hic tumor non ita difficulter potest profligari.

4. *Curatio.*

1) Illa fractura, cujus fragmenta a se invicem *non discedunt*, & quæ absque contusione est, curatur sola applicatione emplastri catagma-

tic

tici, ferularum atque fasciarum, & quidem intra 20. circiterdies.

2. Quæ *extrorsum* prominet, sola compressione per manum in sedem naturalem reponitur, & spleniis, quæ extremis fractis imponuntur, atque fascia *scapulari* firmantur, in sede illa conservatur.

3) Quando autem extrema fracta *introrsum* adacta sunt, spiritus cohibitione ad extra iterum coguntur; quod negotium manus chirurgi simul promovent.

4) Ipsa autem regio fracturæ nullo modo est comprimenda, sed latera tantum sunt urgenda, ne ossium squammæ pungant carnem & inducant acerbos dolores.

5) Sin autem repositio hac ratione non succedat, emplastrum tenaciter adhærescens applicatur, & cum violentia aliquoties avellitur, donec depressio reducta fuerit. Irritis autem his omnibus, *incisio* necessaria est.

6) In hac fractura, quæ fit ad partes *interiores*, *splenia* costarum extremis, sterno & spinæ dorsi adnexis, applicanda sunt, ut fracta extrema tanto magis *extrorsum* & in sede naturali contineantur. Valida autem & stricta debet esse hæc deligatio; modo ipsam fracturæ regionem ita non premat.

7) *Fragmenta* quando *pleuram* pungunt vel penetrant, & gravia illa symptomata, quæ sub *prognosi* indicavimus, producunt, costæ per *incisionem* denudandæ, & festucæ illæ manu sive simplice, sive commodo quodam instrumento armata, eximendæ sunt.

8) *Vasa sanguifera*, sub costis excurrentia, quando læduntur, & sanguinem in thoracis cavitatem effundunt, affectus tractandus est, uti vulnera, quæ thoracis cavitatem penetrant. *Vid tab. de vulneribus thoracis.* Absente autem apertura, *incisio* sub costa fracta instituitur, vas læsum digito diu comprimitur, vel si aditus digito non concederetur, *elevatorii* compressione sanguis sistitur.

9) Quando per hanc eandem aperturam sanguis, qui in cavitatem effusus est, simul potest evacuari, non opus est *trepanatione*; sin secus, hæc instituenda quidem commendatur, quo vero felici eventu, mente vix assequi possumus. *Conf. quæ supra de sterni trepanatione dicta sunt.*

10) *Emphysema* exposcit vulneris anguſti dilatationem, & blandam tumoris versus aperturam detrectationem.

11) Ceterum vulnus vel contusio tractatur, uti suo locum dictum est.

III.

III. *FRACTURA VERTEBRARUM.*

1. *Differentia.*

Fractura vertebrarum contingit

1) Vel quoad *apophyſes* tantum, ſeu proceſſus ſpinatos.

2) Vel *profundius*, ita ut ipſa *medulla ſpinalis* lædatur.

2. *Signa.*

1) Cavitas in loco fracturæ.

2) Dolor punctorius in illo loco poſt cauſam violentam externam.

3) Motus & ſenſus partium vel totalis vel partialis defectus.

4) Proceſſus *ſpinatus* quando fractus eſt, tactu facile cognoſcitur, inſuper æger inclinatus ad terram, majorem dolorem perſentiſcit.

3. *Prognoſis.*

1) Fractura *proceſſus* cujusdam *ſpinati* magnum non adfert periculum.

2) Quando autem læſio ad *medullam* usque *ſpinalem* penetrat, affectus paralytici in partibus tam externis quam ipſis viſceribus oriuntur; imo ipſa mors plerumque ſuccedere ſolet.

3) Quo magis vertebræ *ſuperiores* franguntur, eo majus eſt periculum.

4) Involuntaria fæcum alvinarum excretio malum eſt ſignum.

5) Licet autem *ſæpius*, non *ſemper* tamen eſt lethalis ejusmodi profunda fractura, uti videre eſt *ephem*, N. C. *cent. I. II. obſ. I.*

4. *Curatio.*

1) *Apophyſes* fractæ reponuntur in in ſitum naturalem vel ſolis digitis, vel inſtrumento quodam huic operationi adaptato. Deinde *ſplenia* in utroque proceſſuum latere & *ferulæ chartaceæ* imponuntur, quæ per faſciam *ſcapularem* firmantur.

2) *Profundior* fractura ad læſionem usque *medullæ ſpinalis* auxilium artis utplurimum reſpuit. Commendant auctores *inciſionem*, ut partes *dimotæ* poſſint reponi, vel *ſeparatæ* prorſus eximi. *Deligatio* cum priore convenit, & vulnus tractatur, uti moris eſt.

VIII. *FRACTURA OSSIS SACRI.*

1. *Differentia.*

1) Sæpius frangitur *proceſſus*, quam corpus ipſum.

2) Fractura hæc utplurimum fit *introrſum*.

2. *Curatio.*

1) *Proceſſus* fractus digitis reponitur.

2) *Corpus* ipſum repoſitionem difficulter admittit; niſi digitus, oleo inunctus, inteſtino recto intrudatur, & ita oſſis depreſſio elevetur.

3) De-

3) *Deligatio* fit per emplaſtrum *catagmaticum*, ſplenia & faſciam, quæ T*au* vocatur.

4) Ceterum auctores commendant, ut æger per aliquot hebdomadas decumbat, & quando nonnunquam ſurgere cogitur, ſellæ inſideat perforatæ ſeu foramine præditæ.

IX. *FRACTVRA OSSIS COCCYGIS.*

1. *Prognoſis.*

Fractura & receſſus huius oſſis non ſunt magni momenti; inteſtini tamen recti prolapſum inducere ſolent.

2. *Curatio.*

1) Manibus facile reſtituitur & coaptatur.

2) Æger per totum curationis tempus in lecto debet manere, in ſella perforata ſedere, ut curatio eo facilius abſolvatur.

X. *FRACTVRA OSSIS HVMERI.*

1. *Differentia.*

1) Frangitur os humeri modo in ſuperiore, modo in media, modo in inferiore ſui parte.

2) Fracta extrema interdum retinent ſitum ſuum naturalem, interdum & ſæpius e loco ſuo ſecedunt.

2. *Signa.*

Hæc cum ſignis fracturarum generalioribus conveniunt.

3. *Curatio.*

1) Pro humero fracto reſtituendo brachium ante omnia ad pectus ducatur.

2) *Extenſio* & *contraextenſio* decente modo peragatur, ſive manibus, ſive in ſubjectis robuſtioribus machinis fiat.

3) Notandum autem tam reponendo, quam deligando, quod in illa figura, qua pars extendebatur, manere quoque debeat, hoc eſt, cubitus cum humero *angulum rectum* faciat, ita etiam ligetur atque detineatur, ne ſitus leviſſima mutatione oſſa a ſe invicem denuo recedant, ita tamen, ut in ſequentibus deligationibus brachium moderate ſemper extendatur.

4) Hinc non ſine ratione deligatio faſcia illa, quæ duo de viginti habet capita, peragitur.

5) Ceterum coaleſcit hæc fractura utplurimum intra 40. dies.

XI. *FRACTURA CUBITI.*

1. *Differentia.*

1) Interdum frangitur os *utrumque* nempe *radius* & *ulna*, & sic secundum longitudinem seceſſus facilius contingit.

2) Interdum *alterutrum* os rumpitur, quo caſu nullus fere eſt seceſſus, quia ab altero ſano ſuſtinetur; vel muſculo *quadrato* & ligamento illo, quod hæc oſſa intercedit, verſus illæſum os trahitur. *Conf. ſigna.*

2. *Signa.*

1) Quando *utrumque* os fractum eſt

a) *Cubitus* ubique vacillat, inprimis ſi in ſuperiore parte firmiter illum teneas & in inferiore agites.

b) Deformitas major obſervatur.

2) Quando *ulna* tantum fracta eſt, tum

a) Facile tactu patet, quia muſculis multum non eſt cooperta.

b) Pars ſuperior in ſitu ſuo ſolet manere, inferior autem ad *radium* ſecedere; cujus rei cauſam ſub *differentia* indicavimus: nempe forte ligamentum hæc oſſa intercedit, & multi muſculi parti inferiori inſeruntur, qui hunc seceſſum promovent, præcipue muſculus *quadratus.*

3) *Radii* fractura cognoſcitur

a) Quando chirurgus utrumque os in parte ſuperiore firmiter tenet, & altera manu partem inferiorem *pronam* flectere & *ſupinare* conatur.

b) *Prona* flexio ſi contingat, eſt *radius.*

3. *Prognoſis.*

1) Facilior eſt repoſitio, ubi *radius* fractus eſt.

2) Difficilior exiſtit fractura *ulnæ.*

3) Difficillime reſtitutio fit, quando *utraque* oſſa fracta ſunt.

4) Coalitus fit ordinarie intra 30, dies.

4. *Curatio.*

1) *Extenſio* & *contraextenſio.*

a) Quando *utrumque* os fractum eſt, maior extenſio, quæ *recta* eſſe debet, requiritur.

b) Si *alterutrum* fractum ſit, e. g. *ulna*, tum fit extenſio, dum cubitus verſus *radium* aliquatenus movetur; ubi *radius* contrario modo verſus *ulnam* inclinandus eſt, quod dum fit, peragitur

quæ-

quæcumque extenſio, magna enim opus non eſt, ob exiguam ſeceſſionem.

2) *Conſeruatio.*

a) Hæc obtinetur per convenientem deligationem, in qua re multum variant artifices.

b) Ordinarie *linteum* aliquod, liquore conueniente madidum, circa locum fracturæ volvitur.

c) Deinde *duo ſplenia*, quæ cubiti fere longitudinem habere debent, utrique lateri applicantur, quibus *duæ ferulæ* chartaceæ ejusdem magnitudinis, imponuntur.

d) Poſtea *faſcia* quadam *circulari* locus fracturæ ter circumvolvitur, & aſcendendo ſupra cubitum firmatur.

e) Altera faſcia circulari a loco fracturæ fit deſcenſus ad pollicem usque, & hæc in *carpo* terminat.

f) Denique *canalem* quendam, ſive ligneum ſive chartaceum, ligamentis vel facia alligant, & *mitella*, gallice *une echarpe*, brachium, quod incurvatum corpori admovetur, ſuſpendunt.

g) Ceterum, ad *anchyloſin* cavendam, poſt tertiam circiter deligationem initium fiat, ut cubitus modeſte moveatur & extendatur.

XII. *FRACTURA CARPI.*

1. *Prognoſis.*

1) *Carpus*, licet non niſi contundendo frangatur, difficillime tamen reſtituitur.

2) Manus ordinarie motu privatur vel ulcus fiſtuloſum & carioſum inducitur; quo poſteriore caſu nonnunquam membri amputatio neceſſaria eſt.

2. *Curatio.*

1) Licet negotium ſit intricatum, tentatur tamen, facta extenſione, complanatio.

2) Deinde decente deligatione pars repoſita conſervatur.

XIII. *FRACTURA METACARPI.*

1. *Prognoſis.*

Hæc fractura minore paululum premitur difficultate, quam læſio *carpi*, tactu enim oſſicula poſſunt explorari.

2. *Curatio.*

1) Manus ægroti menſæ vel ſcamno imponitur,

2) Facta extenſione manus Chirurgi facit impulſum, cui menſa vel ſcamnum renititur.

3) Partes repoſitæ per deligationem conſervantur.

XIV. *FRACTVRÆ DIGITI.*

1. *Differentia.*

1) Nonnunquam unicum tantum digiti oſſiculum fractum eſt.

2) Nonnunquam plura in uno digito læſa ſunt oſſicula.

3) Nonnunquam plures digiti fracti ſunt.

2. *Curatio.*

1) *Repoſitio* peragitur levi extenſione & coaptatione.

2) Si plura oſſa fracta vel plures digiti læſi ſint, repoſitio eſt eadem, ſed ſucceſſiva.

3) Conſervatio obtinetur per decentem deligationem; obſervando, quod, ſi plures digiti vulnerati & fracti, illi per faſciam diſterminandi & ſegregandi ſint, ne coalitus illorum contingat. *Faſciam vide tabula tertia.*

XV. *FRACTVRA FEMORIS.*

1. *Differentia.*

1) Os femoris frangitur

a) Vel in duabus extremitatibus.

b) Vel in media ſui parte.

c) Vel in *collo* ſuo.

2) Omnes hæ fracturæ contingunt

a) Sive in *tranſverſum.*

b) Sive in *obliquum.*

c) Sive in *longum.* Conf. num. 9. ſub *curatione.*

3) Raro contingit, ut fractura hujus oſſis plura fragmenta exhibeat, quia multis & validis muſculis, ictum obtundentibus, tegitur.

4) *Colli fractura* non debet confundi cum *luxatione* hujus oſſis, qui error communis, hodie detectus, multa hactenus damna induxit. *Conf. Ruyſchii theſaur. anatom.* VIII. *tab.* 3.

2. *Signa.*

1) Fracturæ hæ, excepta fractura *colli*, communia habent fracturarum ſigna.

2) Fractura autem *colli* dignoſcitur

a) Doloribus, qui poſt violentam cauſam in illa regione ſentiuntur.

b) Flac-

b) Flacciditate, vacillatione, ſtrepitu oſſium in ſuperiore femoris parte.

3. *Prognoſis.*

1) Fractura oſſis *femoris* generatim non minimam involvit difficultatem. Eſt enim os robuſtiſſimum & multis muſculis tectum. Unde tam repoſitio quam conſervatio multum ſæpe laborem faceſſant.

2) Fractura illius *compoſita* ſeu *duplex*, quæ tamen raro contingit, duplex adfert periculum, præcipue claudicationis.

3) Graviſſima omnium eſt fractura *colli*, quæ raro ſine claudicatione reſtituitur. *Conf. Hildan.* cent. V. obſervat. 86. Licet enim repoſitio decenter facta ſit, conſervatio tamen eſt res difficillima. Inſtrumenta, huic conſervationi inſervientia, adhuc deſiderantur, quia *Hildani* machina, dicto loco commendata, ſufficere non videtur.

4) Præcipua hujus difficultatis cauſa eſt *ſitus obliquus*, quem collum femoris habet. Unde os repoſitum per robur muſculorum tanto facilius a capite hujus oſſis retrahendo ſemovetur.

3. *Curatio.*

1) Fracturæ femoris tractatio prorſus convenit cum iis, quæ de fracturis generatim præcedente tabula diximus; obſervando tantum, quod ob oſſis magnitudinem & robur muſculorum majores vires ad extendendum, quam in aliis fracturis, requirantur.

2) Hinc, ſi manus extenſioni neceſſariæ non ſufficiant, ad *machinas tractorias* confugiendum eſt, e quibus machina *Vitruvii* maximam facit extenſionem.

3) Sub extenſione Chirurgus ita amplectatur femur, ut capitibus prominentibus pollices viriliter admoveat, & his fracturam in locum naturalem cogat.

4) Ab omni extenſione prius non deſiſtendum eſt, quam deligatio facta fuerit, quæ faſcia *aſciali*, german. Buch-Band, abſolvitur.

5) Facta deligatione membro fracto applicatur inſtrumentum illud, quod Galli *des fanons*, Germani autem eine Stroh-Lade appellant.

6) Tertio die examinandum, an extrema adhuc coaptata ſint; id

quod patet e brevitate pedis, in quo fractura eſt, Sin ſecu omnia debent repeti.

7) Fractura *obliqua* ſtrictiorem requirit deligationem, quam *trans verſa*.

8) Conqueruntur ægri in fractura femoris de *dolore calcanei*, qui preſſione *tendinis Achillei* provenit. Quomodo huic ſymptomat ſuccurrendum ſit, eleganter oſtendit *Mons. Petit* l'art de gueri les maladies des os pag 92.

9) *Fiſſuræ* oſſis femoris difficillime judicantur, & plus ſuſpicando quam vere decernendo, pronunciantur. Idem ſentiendum d fiſſuris *humeri*.

10) Emplaſtra *catagmatica* commode in tali ſuſpicione applicantur quemadmodum in omni oſſium fractura eximii uſus ſunt adſtrin gentia talia externa, ſi modo tempeſtive & quaſi in inſtanti adhi beantur.

XVI. *FRACTURA ROTULÆ* ſeu *PATELLÆ*.

1. *Differentia*.

Fractura *rotulæ* contingit

1) Vel in *longitudinem*, quæ rariſſima eſt, & a *Mons. Petit* prorſu negatur. Sed *Stalpart van der Wiel cent. 1. obſerv. 97.* affirmat il lam, & quidem cum vulnere conjunctam.

2) Vel in *transverſum*.

3) Vel in *obliquum*; quæ duæ ſpecies frequentius eveniunt.

4) Vel in *plura* fragmenta.

2. *Signa*.

1) Viſu & tactu hæc fractura facile percipitur.

2) Adeſt impotentia ambulandi.

3) Quæ in transverſum fit, magno partium receſſu conſpicua eſt.

3. *Prognoſis*.

1) Difficilis eſt *patellæ* curatio, quocunque enim modo tractetur, re manet tamen motus quodam modo impeditus.

2) *Paræus* teſtatur, ſe nullum ægrotum vidiſſe, qui poſtea non clau dicaverit. Conferatur etiam *Hildanus* cent. V. obſerv. 88.

3) Hæc difficultas dependet primario a *ſitu* hujus oſſis, quia in articu latione ſubſiſtit. Hinc quando callus formatur, motus per illum impeditur. Conſilium quod ibidem de frequente motu patella

ſup-

ſuppeditatur; claudicationem impedire non poteſt, bene vero curationem retardare.

4) Quæ fractura in *longitudinem* fit, facilius reſtituitur, extrema enim vel nullis vel paucis muſculis trahuntur. Unde ſolis faſciis læſio reſtituitur.

4. *Curatio.*

1) Nulla fere *extenſione* opus eſt, ſed tantum *adductione* partis rotulæ ſuperioris.

2) *Conſervatio* obtinetur per deligationem *ſpleniis*, *ferulis* & *faſcia unienie*. His accedit inſtrumentum *des fanons* dictum. *Solingen* laudat inſtrumentum quoddam, conſervationi accommodatum. Legatur etiam *Purmannus*, qui de hac fractura utiles ſuppeditat obſervationes.

3) Nonniſi intra 40 ad 50 dies agglutinantur, quo tempore æger genu flectere non debet.

XVII. *FRACTURA TIBIÆ.*

1. *Differentia.*

1) *Tibia* ſtricte dicta quando frangitur, tum ordinarie etiam *fibula*, utpote quæ exterius poſita eſt, fracturam patitur.

2) Fractura hæc eſt vel *ſimplex* vel cum *vulnere* complicata.

3) Quæ in ſuperiore parte ſub *genu* & inferiore ſupra *talum* contingit, difficilius cognoſcitur, quam quæ in medio. Hæc enim movendo membrum vehementem dolorem infert, & ipſum membrum in obliquum torquetur.

2. *Signa.*

1) Sunt hæc eadem, quæ in aliis.

2) Quando *utrumque* os fractum eſt, pars illa ultro citroque poteſt moveri.

3) Si unum tantum, quod raro fit, contrarium obſervatur.

3. *Prognoſis.*

1) Nulla *tibiæ* fractura parvi pendenda eſt.

2) Unius oſſis fractura tantæ non eſt difficultatis, quam utriusque.

3) Periculoſius frangitur *tibia* ſtricte dicta, quam *fibula*.

4. *Curatio.*

1) Quando *unicum* tantum os fractum eſt, nulla requiritur extenſio, niſi quod paululum ad latus incurvetur.

2) Si

2) Si *utrumque* os fractum, extenſio eodem modo fit, uti ſub fractura *femoris* ſuperius indicavimus.

3) Quando vulnus complicatum eſt, pro deligatione ſumitur faſcia *aſcialis*, quæ duo de viginti habet capita & aditum ad vulnus concedit.

4) Pes tandem reponitur vel in illud inſtrumentum, quod *des fanons* vocatur, vel in aliud, quod ex orichalco paratum eſt.

5) *Calcanei* quomodo reponendi ſint, ne dolorem, affluxum humorum & inflammationem per longum decubitum producant, *Mons. Petit* legi meretur. Res eo redit, ut calcanei elevati teneantur, & pondus malleolos tantum premat, quibus proinde faſciam, in duo capita volutam, ſubſternunt.

XVIII. *FRACTURA TARSI, METATARSI ET DIGITORUM IN PEDE.*

1. *Signa.*

1) Facile cognoſcuntur hæ fracturæ viſu & tactu, ſive fiant *introrſum*, ſive *extrorſum*, quia nullis vel paucis obtectæ ſunt muſculis.

2) Seceſſus etiam oſſium non eſt magnus, quia pauci muſculi illinc feruntur.

3) Ceterum rariores ſunt hæ fracturæ, præcipue *calcanei*.

2. *Prognoſis.*

1) Hæ fracturæ per ſe non ſunt periculoſæ, quoniam autem, obſervante jam *Hippocrate*, a cauſa contundente ſemper fiunt, per quam partes ſimul molles, nempe nervoſæ, tendinoſæ & carnoſæ valide vulnerantur & conquaſſantur, accedunt facile gravia ſymptomata.

2) Præcipue fractura oſſium *tarſi* non eſt vili pendenda, ob interſtitia, in quibus facile ſuccus nutritius colligitur, ubi aceſcit & cariem producit.

3) Facile tamen coaleſcunt hæ fracturæ, & intra 20 dies ſanantur. Apparatus enim commode poteſt applicari & ita oſſa in ſuo ſitu conſervari.

3. *Curatio.*

1) Hæc prorſus eadem eſt cum fracturis carpi, metacarpi & digitorum manuum.

2) Fa-

2) Faſciæ, quæ ad pedum & manuum fracturas eliguntur, videantur tabula III. num. 48, 49, 50 & 57.

TABVLA LXIV.

DE LUXATIONIBUS GENERATIM.

I. DEFINITIO

Luxatio eſt dimotio oſſis alicujus e ſitu ſuo circa juncturas ordinario, motum partis naturalem impediens, cum dolore, inflammatione aliisque ſymptomatibus ſæpius conjuncta, & a cauſa violenta externa *utplurimum* originem ducens.

II. DIFFERENTIA.

Differt luxatio

1. Ratione *formæ* & *modi* prolabendi, quo reſpectu eſt
   1) Vel *completa* ſeu *totalis*, ubi os luxatum omnino & prorſus e ſede ſua prolabitur, ita ut neque cavitati neque margini magis innitatur. Dicitur græce ἐξάρθρημα, latine luxatio proprie dicta ſeu *diſlocatio*, germanice das Ausfallen eines Beines.
   2) Vel *incompleta* ſeu *partialis*, quando os ex parte tantum e ſinu ſuo naturali prolabitur. Vocatur græce παράρθρημα, latine *ſubluxatio* ſeu *diſtorſio*, germanice eine Verſtauchung, Verrenckung (in manu) Vertretung (in pede.)
2. Ratione *ſymptomatum* conjunctorum, ubi
   1) Alia eſt *ſimplex*, quæ extraordinaria non habet ſymptomata.
   2) Alia eſt *complicata*, nempe cum fractura, contuſione, vulnere, inflammatione &c.
3. Ratione *temporis* ſeu durationis, quo intuitu eſt
   1) Vel *recens*
   2) Vel *inveterata*, diu neglecta & relicta.
4. Ratione *cauſarum*, quam differentiam infra ſub *cauſis* tangemus.

5. Ratione *loci*, in quem os prolapſum eſt. Prolabitur enim
   1) Modo *ſurſum*.
   2) Modo *deorſum*.
   3) Modo *antrorſum*.
   4) Modo *retrorſum*.
   5) Modo ad *latera*, id eſt *introrſum* & *extrorſum*.
6. Ratione ipſius *articulationis*, quo reſpectu contingit
   1) Alia in *arthrodia*, quæ omnium fit facillime.
   2) Alia in *enarthroſi*, ubi rarior obſervatur.
   3) Alia in *ginglymo*, ubi omnium rariſſime contingit. Cauſas infra indicabimus.

   Et ſic luxatio in juncturis contingit. Nonnulli autem ad luxationem etiam referunt læſionem *epiphyſeos*, id eſt, dimotionem oſſiculi alicujus ab oſſe principali, cui interventu cartilaginis in ſtatu naturali adnatum eſt. Item dimotionem *futurarum* in capite, & diſtorſiones *tendinum* ſecundum longitudinem & latitudinem, vulgo eine Ader-Verſtauchung. Unde dolor immanis & momentaneus exoritur.
7. Ratione *ſpecierum* per corporis partes. Contingit enim luxatio e. g.
   1) in naſo, quanquam rarius.
   2) in maxilla inferiore.
   3) in clavicula.
   4) in vertebris.
   5) in coſtis.
   6) in oſſe coccygis ſeu coxendicis.
   7) in oſſe humeri.
   8) in oſſe cubiti.
   9) in carpo, metacarpo & digitis manuum.
   10) in femore.
   11) in rotula, tibia & fibula.
   12) in pede, nempe tarſo, metatarſo & digitis pedum.

III. *SIGNA.*

1. *Generalia.*
   1) *Cavitas* in illa parte, e qua os luxatum excuſſum eſt; *eminentia* (major in macilentis, minor in muſculoſis,) in ea parte, ad quam os receſſit.

2. *Im-*

2) *Impotentia* ad motum; quæ est

a) Vel *partialis*, e. g. quando caput femoris decidit versus foramen illud magnum, quod vicinum est, tunc motus aliqualis remanet.

b) Vel *totalis*, quæ magis in completa, quam incompleta luxatione contingit, in *arthrodia*, *enarthrosi*, ut & si capitulum est in *supercilio*, nempe circulo illo cartilagineo, qui *acetabulum* circumcingit.

3) *Deformatio*, seu *figura mutata*. Quando enim locus, in quem fit secessus, est humilior, *longius* fit membrum; quando autem altior est locus, *brevius* redditur, ut & si *introrsum* facta est luxatio, etiam ad illud latus flectitur membrum & vicissim.

2. *Specialia*.

1) Ratione *luxationis*

a) *Completæ*, ubi

α) Figura membri multum pervertitur.

β) Membrum in partem illam, in quam os secessit, ægre flectitur.

γ) Dolor exquisitus est & magnus, ob maximam musculorum & ligamentorum tensionem.

δ) Cavitas major est in una & tumor insignis in altera parte.

ε) Brevior utplurimum pars luxata, nisi a relaxatione musculorum & ligamentorum contingat.

b) *Incompletæ*.

α) Locus articulationis magis, quam alias, eminet & elevata est, quoniam capitulum subsistit in margine cavitatis.

β) Membrum figuram & situm parum mutat.

γ) Pars luxata potest adhuc quodam modo moveri.

δ) Dolor admodum urget.

ε) Pars affecta longior est.

2) Ratione *causarum* luxationis.

a) *Internarum*.

α) Ligamenta sunt laxa, membrum facile huc & illuc movetur, ac si esset paralyticum.

β) *Sensim* fit luxatio.

γ) Spatium quoddam in circumferentia articulationis inter ossis capitulum & cavitatem percipitur.

δ) Facile quidem os luxatum reponitur, mox autem de novo e sede sua prolabitur.

ε) Pars luxata ultra morem semper est longior.

ζ) Adest difficultas aliqualis ad partem movendam, ob musculorum atoniam.

b) *Externarum.*

α) Luxationes a causis violentis fiunt *repentino* actu.

β) Symptomata longe graviora accedunt, quam in illis, quæ a causa interna dependent.

3) Ratione *loci*, in quem pars luxata secessit, si nempe ad anteriora, posteriora, interiora, exteriora, superiora & inferiora inclinet. Pro harum enim circumstantiarum diversitate diversa *signa* occurrunt.

4) Ratione *conformationis malæ*, cujus signum vix in aliis casibus, quam vitio *hæreditario*, habetur. *Conf. causæ.*

5) Ratione *calli*, in junctura ante vel post restitutionem generati. Hic est

a) Vel *durior*, cujus signa sunt

α) Quando articulus gracillimus ac siccissimus deprehenditur.

β) Neque ab ægro, neque ab adstantibus violenta manu moveri potest.

γ) Si præcesserit medicamentorum nimis *incrassantium* & *exsiccantium* usus.

δ) Si extenuatio & gracilitas membri dicta sit diuturna.

b) Vel *mollior*, quem denotat

α) Si recens is fuerit.

β) Si aliquantum adhuc moveri queat.

γ) Si recensita medicamenta haud fuerint applicata.

δ) Si ad tactum quoque tumor mollis observetur.

6) Ratione reliquorum *symptomatum*, e. g. inflammationis, febrium, vigiliarum, deliriorum, lipothymiæ, convulsionum, abscessus, ulceris, fracturæ, vulneris, gangrænæ, sphaceli; quæ singula exhibent specialia signa.

I. *CAUSÆ.*

Hæ ſunt

1. Vel *internæ*, ubi accuſantur
   1) *Defluxiones catarrhales* ad articulos, præſertim in temperamentis phlegmaticis: *ſynovia* abundans, unde tonus ligamentorum & muſculorum relaxatur.
   2) Serum craſſum, viſcidum, tophaceum, in articulis cumulatum. Talia exempla, licet rara ſint, leguntur tamen apud *Foreſtum*, *Schenckium*, quod ſcilicet concretio tartareæ materiæ acetabula oſſium replere, corrumpere, & ſic oſſa e loco ſuo dimovere nonnunquam ſoleat.
   3) Sic & *calli* in cavitatibus oſſium creſcentes, & capitulum oſſis expellentes, ab auctoribus obſervantur.
   4) *Convulſiones* aut *contractiones* muſculorum, unde membrum e ſede ſua dimovetur.
   5) *Paralyſis* muſculorum.
   6) *Inflammationes* & *abſceſſus* circa articulos.
   7) His internis cauſis adnumerant cauſas *hæreditarias*, quando nempe per malam in utero conformationem cavitates nimium applanatæ, aut capitula minus rotunda ſunt; qualia, licet rariora, exempla *Purmannus* & alii recenſent.
2. Vel *externæ* ſunt
   1) Quæcunque vim aliquam corpori inferre poſſunt; præſertim
   2) Caſus ab alto, ictus, percuſſio, diſtorſio vehemens, extenſio nimia, impetuoſus corporis motus, & quæ alia per violentum modum corpori accidere ſolent.
   3) Tales violentiæ externæ tanto facilius luxationes producunt, ſi diſpoſitio interna conſpirat, aut membra teneriora, molliora & imperfectiora exiſtunt.
3. Cauſæ *ſymptomatum*.
   1) *Dolor* exoritur ab extenſione ligamentorum, tendinum, muſculorum, nervorum, harum partium compreſſione & ſanguinis ſtagnatione.
   2) *Tumor* provenit a capitulo oſſis, ab impedita ſanguinis circulatione & a tono debilitato.
   3) *Inflammatio* ortum debet compreſſioni vaſorum, unde ſtagnatio & con-

& congeſtio ſanguinis novi ad ſtagnantem illum ſanguinem expediendum. Reliqua e praxi medica conſtant.

4. Quod in *ginglymo* rariſſime luxationes contingant, ſequentibus innititur cauſis.

1) Ligamenta, licet ad fortitudinem *enarthroſeos* non accedant, ſatis tamen fortiter in ginglymo alligantur toti peripheriæ articulationis.

2) Plures in ginglymi articulatione ſunt eminentiæ & cavitates.

3) In ginglymo duo tantum motus, flexionis nimirum & extenſionis in reliquis vero ad omnia latera, peraguntur.

5. Sic & reliqua phænomena, quæ in luxationibus occurrunt, ex *anatomicis* pateſcunt & explicantur; quæ proinde notitia Chirurgo admodum neceſſaria. Præter enim *oſteologiam* ſcire debet conditionem *ligamentorum* diverſam, ut facilitatem luxationis & difficultatem curationis, vel contrarium inde dijudicare poſſit. Porro perſpectas debet habere *muſculorum* conditiones, ut cognoſcat, quanta ſit illorum tenſio, & quanta hinc extenſio ad repoſitionem luxationis ſit neceſſaria. Non minus *cartilaginum* ſtructuram & ſitum noſſe debet quales nimirum adſint, utrum muniant aut inveſtiant ſuperficiem capituli & cavitatis. Ex hac enim notitia anatomica cauſæ derivantur tot diverſitatum, quæ in luxationibus occurrunt.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Generalis.*

Nulla ferme luxatio per ſe lethalis eſt, excepta illa *capitis* & ſpinæ *vertebrarum*, inprimis ſuperiorum, ob compreſſionem medullæ ſpinalis.

2. *Specialis*, quæ variat pro diverſis circumſtantiis & reſpectibus.

1) Ratione *formæ* & *conditionis* membri luxati ſequentia notanda ſunt:

a) Quo profundior eſt cavitas & magis eminens capitulum, eo quidem rarior eſt luxatio, ſed & eo difficilior curatio. Hinc in *enarthroſi* quæ facta eſt luxatio, omnium difficillime reponitur.

b) Luxatio *completa* uti cauſam agnoſcit violentiorem, quam *incompleta*, ita etiam difficilioris curationis eſt.

c) Quo longius oſſa e ſede ſua dimota ſunt, eo difficilius in illam reponuntur.

d) Ubi

d) Ubi margines ſinuum aut capitula oſſium fracta ſunt, ibi peſſimus eſt ſtatus.

e) Quo plures muſculos ac tendines, & quo plura ligamenta robuſta habent oſſa, eo difficilius reſtituuntur.

2) Ratione cauſarum ſequente modo variat prognoſis.

a) Luxatio a cauſa *interna* a gravibus quidem ſymptomatibus multum eſt libera & facile etiam reponitur, ſed difficillime curatur. Mox enim poſt repoſitionem pars iterum prolabitur.

b) Omnis *ſimplex* luxatio, a cauſa *externa* facta, non adeo difficulter reponitur, neque magna indiget curatione.

3) Ratione *ſubjectorum* etiam differt prognoſis.

a) Infantes ob teneritudinem articulationum facile quidem obnoxii ſunt luxationibus, ſed etiam facile curantur.

b) In ſubjectis ſiccioribus facilior eſt curatio, quam in obeſis & muſculoſis, in quibus luxationes difficillime curantur; rarius autem illis obnoxia ſunt.

c) In ſubjectis ſeroſis difficilior eſt reſtitutio, ob tonum partis relaxatum.

4) Porro ratione temporis variat luxationis prognoſis.

a) Omnes luxationes *inveteratæ* deterioris ſunt prognoſeos quam *recentes*.

b) Quæ *callum* jam contraxerunt, vel plane non vel difficillime emendantur.

5) Denique ratione *ſymptomatum* intercedit differentia prognoſeos.

a) Quo graviora illa ſunt, eo difficilior eſt luxationis curatio.

b) Quæ cum *vulnere* & *fractura* conjuncta eſt luxatio, multas involvit difficultates. Neceſſaria enim partis extenſio, ob partis continui ſolutionem & perpetuum dolorem, commode inſtitui non poteſt.

I. CURATIO.

Tractatio luxationum generatim convenit cum methodo, quam ſub fracturis indicavimus. Reductione enim, retentione & ſymptomatum conveniente tractatione univerſum negotium abſolvitur.

1. *Reductio*, quæ requirit

1) *Extenſionem*, in parte luxata inſtituendam.

2) *Contraextenſionem*, quæ eſt motus contrarius & partem ſuperiorem abſtrahit.

3) *Re-*

3) *Repoſitionem* oſſis luxati in ordinariam ſuam ſedem.

2. *Retentio* partis reductæ comprehendit

1) *Deligationem.*

2) Convenientem *ſitum*, germ. dicitur das Lager.

3. *Symptomatum tractatio.*

Hanc & reliqua ſpecialia, quæ ad reductionem & retentionem pertinent, ſub *cautelis* fuſius perluſtrabimus.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Sub *cauſis* jam diximus, quod ad luxationes legitime evolvendas & tractandas ſufficiens cognitio anatomica requiratur.

2. Præcipue conſiderandus eſt *tonus* partium muſculoſarum, ſeu rigida illarum tenſio, quæ in corpore vivo viget. Hic tonus non ita ſentitur, quam diu partes in juncturis mutuo ſubſiſtunt, ſed tunc demum ſeſe exſetit, quando oſſeæ partes e ſedibus ſuis & mutua compage per dislocationem detruduntur, v. g. quando *os humeri* violentia inſigni e loco movetur, ad pollicis latitudinem reſiliunt muſculi huius oſſis, & brachium fit brevius; in quo caſu, niſi extenſio maxime neceſſaria recte inſtituatur, juſta quoque repoſitio fieri non poteſt.

3. Quanta autem fieri poteſt ratione *reductio mature* ſuſcipienda eſt, antequam ſymptomata invaleſcant.

4. Quando autem ingens *tumor inflammatorius* jam adeſt, hic prius diſcutiendus & leniendus eſt, quam actus reductionis ſuſcipiatur. Alias enim immanis dolor, ipſam operationem ſufflaminans, ægrum exagitat. De methodo diſcuſſionis infra dicemus.

5. *Extenſio* & *contraextenſio* fieri debent æqualibus viribus, non cum impetu, ſed gradatim adhibitis. Differt locus, in quem æger collocatur. Aliæ enim luxationes in ſella, aliæ in menſa, aliæ in terra, aliæ in lecto commodius reducuntur.

6. Vires & virtutes motrices in utraque actione *immediate* debent applicari partibus illis, quas movere debent.

7. Pars affecta in talem ſitum ponenda eſt, ut muſculi *æqualiter* trahantur.

8. Extenſio non ſit nimis fortis, neque nimis lenis.

9. Vires, quæ extenſioni adhibentur, debent eſſe proportionatæ robori muſculorum & ligamentorum.

10. Pleræque luxationes *ſolis manibus* poſſunt reduci; interdum *laqueis*, raro *machinis* opus eſt.

11. *Solæ manus* ſufficiunt luxationibus *incompletis* reducendis. Vocatur hic *modus palæſtricus*, qui præferri debet, &, quantum fieri poteſt, a machinis abſtinendum eſt.

12. Ubi autem manus non ſufficiunt, alter modus, qui *methodicus* vocatur, adhibendus eſt. Machinæ, quæ in tali caſu adhiberi ſolent, ſunt

1) *Ambe Hippocratis* & *gloſſocomum*, quæ machinæ in luxatione ad inferiora tantum adhiberi poſſunt.

2) *Machina tractoria Vitruvii*, de qua agit *Paræus* & *Scultetus*.

3) *Zonula Hildani* & *remora* illius. *Vid. Scult. armamentar. chirurg.*

4) Machina tractoria *nova Miſcho in act. Lipſ. an. 1683. p. 36.*

13. *Repoſitio* fit vel ſolis *manibus*, vel beneficio *mappæ* alicujus, vel etiam *machinis*, *jugi* formam exhibentibus. *Vid. act. Lipſ. 1683. pag. 36.*

14. Impedit nonnunquam hanc repoſitionem margo cartilagineus, ruptus & in cavitatem prolapſus ſeu inclinatus. Item humor glutinoſus in ſinuoſitate hærens.

15. Reductionem legitime factam concludimus

1) E ceſſatione doloris.

2) Ex æqualitate partis, cum ſana parte comparatæ.

3) Interdum ex actione partis, aliquo modo reſtituta.

4) Item e ſono & crepitu, qui ſub repoſitione ſubinde auditur.

16. *Retentio* in recentibus & levibus luxationibus, mature reductis, nullam habet difficultatem. Retinent enim firmiter muſculi validi & robuſta ligamenta. Hinc magnus deligationis apparatus in illis non neceſſarius eſt. Convenit autem membrum ſubinde movere, ne contracturam incurrat.

17. Ad deligationem reliquarum gravium luxationum *duplex faſcia* requiritur.

1) *Continens*, quæ brevior eſt, & emplaſtrum tantum atque ſplenia continet.

2) *Spica*, quæ admodum longa eſt, & uſu venit in luxationibus, a cauſa interna dependentibus, ubi ligamenta valde relaxata ſunt; item in luxationibus inveteratis a cauſa externa, ubi capitulum non manet in cavitate, & ubi diſpoſitio eſt ad *anchyloſin*. De ſpecialibus faſciis agetur tabula ſequente.

18. *Faſciarum ſolutio* ante ſeptimum vel nonum diem non eſt ſuſcipienda, niſi

niſi ſymptomata urgentia adſint, e. g. ingens pruritus, inſignis dolor, inflammatio, vulnus. Deligatio paululum fortior debet eſſe, ſi ligamenta laxa vel plane rupta ſint.

19. Quando pars luxata parva eſt, parvumque motum ac laborem perfert, intra 14. circiter dies deligatio poteſt omitti; in mediocri luxatione, intra 20. dies, in luxatione vero partium robuſtarum cum magno motu intra 40. dies, e. g. in femore, tibia.

20. Ratione remediorum *topicorum* notandum, quod in principio conveniant, quæ adſtringendi & roborandi virtutem habent, quæque ſub fracturis jam commendata ſunt. Videlicet emplaſtra *defenſiva* & *catagmatica* uſitata e. g.

Recip. pulv. gumm. tragacanth, maſtich. oliban. ſang. dracon. bol. armen. ana drachm. j.
benzoës, opopanac. flor. balauſt. nuc. cupres. ana drachm. ſemis.
flor. acac. drachm. III. aloës drachm. j. & ſemis.
Ol. myrtillor. nigell. ovor. ana drachm. ij.
Reſin. drach. vj. terebinth. unc. IV.
Succ. chelidon. drachm. ij. ſucc. nepetæ unc. ij. & ſemis.
f. l. *linimentum*, ſi vero mavis *emplaſtrum*, cera q. ſ. addenda eſt.

21. Pro humectandis *ſpleniis* & faſciis fotus ſequens poteſt parari.

Recip. rad. biſtort. tormentill. ana unc. 1. & ſemis, irid. Florent. unc. j.
Cort. granat. nuc. cupreſſ. ana unc. j.
Flor. roſar. rubr. balauſtior. hyperic. ana man. ſemis.
Bacc. myrtill. unc. ſemis.
Coquantur in vino auſtero.

22. *Conveniens ſitus* reſpicit vel totum corpus, quod bene eſt locandum, vel ſolam partem luxatam; ubi in extremitatibus ſuperioribus *ſuſpenſio* & *ſeſſio*, in inferioribus autem *repoſitio* & *cubitus* locum habent. Generatim de hac re notanda ſunt ſequentia.

1) Pars luxata debet eſſe in debita quiete, neque nimis flexa, neque nimis extenſa, ſed in ſtatu neutro.
2) Recurſus ſanguinis per vaſa non debet impediri.
3) Lectus ſit æqualis ac mollis.

4) Col

4) Collocatio ante fasciationem fiat, alias vinculum vel nimis stringitur vel nimis relaxatur.

23. De *symptomatibus* dicturi a *tumore inflammatorio* incipimus, qui ante repositionem discutiendus est. Quando levius est malum, succurritur per applicationem vini calidi, vel, si hoc non ad manus sit, urinæ recentis calidæ.

24. Quando autem tumor hic jam dudum duravit, *sacculi* vel *cataplasmata* adhibenda sunt e radicibus, herbis & seminibus, moderate calidis, nervinis, non autem simpliciter emollientibus. Laudantur

1) *Radices:* sigill. Salomon. irid. Florent. caryophyllat. bryon. symphyt. maior.

2) *Herbæ coronariæ:* serpill. majoran. salv. betonic. rorismarin. lavend. spic. hyssop.

3) *Flores:* chamomill. melilot. stæchad. Arabic. & citrin.

Ex his in vino coctis parari potest vel *cataplasma* vel *sacculus*, &, admixta *camphoræ* pauca quantitate, applicari.

25. Convenit etiam partem prius illinere *spiritu vini camphorato*, vel *oleo lumbricorum* terrestrium leviter camphorato; quæ remedia etiam post tumorem discussum & facta repositione possunt continuari, ad roborandum & ulteriorem affluxum discutiendum.

26. Quando æger insigniter plethoricus existit, venæsectio in parte opposita instituenda est, & quidem ante repositionem.

27. Si *gangræna* & *sphacelus* ab arcta nimis deligatione immineat, hæc relaxanda, & imminenti malo per talia remedia occurrendum est, quæ suo loco commendata sunt.

28. *Vulnus* conjunctum quando repositionem impedit, illius curatio prior, quam luxationis, habenda est.

29. Nonnunquam loco vulneris adest *abscessus*, qui mature aperiendus est, ne, si sponte sua rumpat, plus in articulos se insinuet.

30. Quando *fractura* adest, eaque in parte a luxatione *remota*, repositio est instituenda; si vero luxato capitulo *propior* sit, curanda prius fractura & deinde pars reponenda.

31. *Synovia*, in cavitate accumulata, quando capitulum ossis vel non intromittit, vel iterum expellit, omnia tentanda sunt, ut reponatur & detineatur; in quem finem fortior deligatio conducit.

32. *Callus*, in junctura ante vel post restitutionem generatus, & quidem to-

tophaceus, non admittit curationem. *Mollior* autem, seu cartilagineus, feliciter interdum profligatur, quando articulus sæpius fovetur decocto quodam, quod paratur e. g. e rad. alth. cucum. asin. herb. malv. verbasci maris. Locus simul inungitur oleo amygdalar. dulc. unguent. dialth. pingued. anserina vel unguento illo, quod *Hildanus* cent. III. obs. 35. pro duritie mammillarum describit.

33. *Emplastrum diachylon* cum gumm., de *cicuta*, de *ranis* cum mercurio, aut *oxycroceum* etiam locum habent; quibus per aliquot dies continuatis, pro ulteriore resolutione fiat *suffitus* ex *aceto destillato*, super pyritem effuso, in quo aliquid gummi ammoniaci prius maceratum fuit; imo nervina cuncta, emollientibus mixta, hoc in casu conveniunt.

34. *Pruritus* molestissimus non raro supervenit membris luxatis a deligatione, pro quo mitigando membrum ligatum perfundatur aut fomentetur aqua tepida, sive communi sive marina.

35. Ultimo loco placet recensere casum quendam notabilem, quem Excell. *Stahlius* in viro septuaginta annorum observavit. Ægrotans ille in juventute aliquando ex gravi super axillam casu vehementem dislocationem partis illius accepit, & post curationem tardiorem per totam vitam sensit notabilem in illa parte debilitatem. Quamquam autem de reliquo sanus & robustus fuit, sensit tamen circa tempestatis notabiles alterationes & præcipue circa æquinoctia magnas ibidem molestias. Quum vero ad dictam ætatem, nempe 70. annos, pervenisset, tantam debilitatem incurrit, ut, quando in lectum incbumbere voluit, statim e sede sua moveretur axilla. Docent hæc, quantus respectus sit habendus ad activas humorum congestiones, quæ bona quidem intentione læsis partibus destinantur, facile autem in consuetudinem degenerant, & sic plus incommodi, quam utilitatis, inducunt.

TABU-

TABULA LXV.

DE

LUXATIONIBUS SPECIATIM.

I. *LUXATIO NASI.*

1. Ossa nasi rarius luxantur, facilius franguntur.
2. Visu & tactu hæc luxatio facile cognoscitur.
3. Impedit liberam respirationem.
4. Eadem encheiresi reponitur, uti fractura nasi, & deinde emplastrum catagmaticum applicatur.

II. *MAXILLAE INFERIORIS.*

1. *Differentia.*
   1) Maxilla elabi potest *antrorsum* duplici modo.
      a) Modo *uterque* condylus e sede sua elabitur.
      b) Modo *alteruter* tantum ex illa dimovetur.
   2) *Retrorsum* hanc luxationem vix contingere posse putant, ob eminentias, quæ illam impediunt, processum nempe mastoideum, styloideum & apophysin Zygomaticam. Fatentur enim *Forestus*, *Paræus* & multi alii præclari auctores, se talem luxationem nunquam observasse. Interim cum recentiores Anatomici communem illam osteologorum opinionem reiiciant, quod scilicet condylus maxillæ inferioris articuleturin fossam, quæ infra apophysin Zygomaticam conspicitur, & statuant, maxillam eminentiæ eidem cavitati anterius vicinæ fere insidere: tum ex his sequitur, luxationem maxillæ inferioris ex articulatione eius omnino fieri posse, licet tam frequenter non contingat.
   3) Idem fere dicendum de luxatione ad latera, nam
      a) Ad *interiora* impediunt hoc obstacula satis nota.
      b) Ad *exteriora* facilius posset moveri, sed pars interior resistit huic luxationi.
2. *Signa.*
   1) In *utroque* latere.
      a) Os manet apertum.

b) Æger maxillam non poteſt movere. Unde maſticatio impeditur.
c) Sic etiam linguam libere movere nequit. Unde loquela ceſſat.
d) Genæ extenuatæ & planæ ſunt.
e) Locus, ubi *maſſeter* & *crotaphites* ſunt, tumore affectus eſt.
f) Saliva, ob compreſſionem glandularum ſalivalium, copioſe effunditur. Unde faucium & palati ſiccitas.
g) Os quando involuntarie aperitur, magnus dolor excitatur.
h) Maxilla aut diſtorta eſt, aut prominet. Unde dentes non amplius ſibi reſpondent.

2) In *uno* latere.
a) Os non adeo apertum eſt.
b) Mentum & tota maxilla ad latus oppoſitum vergit.
c) Dentes congeneres ſibi non reſpondent.
d) Muſculorum inflatio & genæ extenuatio in uno tantum latere obſervatur.

3. *Cauſæ*, quæ ſunt
1) Vel *internæ*, nempe muſculorum & ligamentorum relaxatio, ab humorum majore affluxu. Sed raro hæ internæ cauſæ hoc loco poſſunt accuſari.
2) Vel *externæ*, quæ utplurimum contingunt, vim autem non facile inferre poſſunt, niſi violentiæ illæ externæ ita applicentur, ut *deorſum* agant, & quidem ore aperto, in ridentibus, clamantibus, oſcitantibus, niſu inſigni corpus durum mordendo diffringentibus. *Fabricius ab Aquapendente* accuſat quoque aſſiduum & frequentem maxillæ motum, vel in mandendo vel loquendo, ut muſculi ita defatigati capaces non ſint, maxillam ſurſum movere.

4. *Prognoſis.*
1) Maxillæ luxatio non adeo facile contingit. Licet enim ligamenta non admodum firma ſint, muſculorum tamen ſex paria hunc defectum compenſant.
2) Quando in *alterutro* tantum latere contingit, non adeo periculoſa eſt hæc luxatio, & facile curationem admittit, ſi mature illi occurratur.
3) Quæ in *utroque* latere evenit, multo periculoſior eſt.
4) *Hippocrates* dicit, luxationi *completæ* ſupervenire febres, vomitus, & decimo die mortem.

5) Mu-

5) Musculus *temporalis*, qui hanc maxillam movet, est omnium musculorum sensibilissimus. Hinc quando diu extensus manet, non potest non dicta symptomata provocare. Conspirat præcipue insignis extensio nervi illius, qui surculus est secundus tertii rami quinti paris. Unde facile convulsiones excitantur.

5. *Curatio.*

1) Quando luxatio in *utroque* latere facta est.
   a) Æger sedili insideat ea altitudine, qua Chirurgi manus constituta est.
   b) Deinde caput illius a ministro, post tergum stante, firmiter teneatur, vel a Chirurgo ad parietem urgeatur.
   c) Dorsum ægrotantis ad dorsum sedilis applicetur.
   d) Postea Chirurgus utrumque pollicem, linteo obvolutum, dentibus utrimque molaribus imponat.
   e) Reliquis autem digitis maxillam ad mentum comprehendat, & primo deorsum, hinc retrorsum & tandem sursum eandem pellat.

2) Luxatio *incompleta* & quidem in *uno* tantum latere.
   a) Immittunt multi unicum duntaxat pollicem, illumque luxato lateri applicant.
   b) Præstat autem utrumque pollicem ori immittere, in latere vero affecto magis deprimere, & hac ratione reductionem promovere.
   c) Nonnulli *incompletam* talem luxationem *alapa*, oppositæ genæ inflicta, reducere conantur: Videlicet quando processus extra sinum non totaliter prodiit.
   d) *Completa* autem talem curationem non admittit. Maxilla enim hoc modo citius frangitur, quam in sedem suam reducitur. Tacemus, quod per vehementem talem capitis commotionem periculosa symptomata induci possint, nempe spasmi, ob extensionem convulsiones partium, præcipue nervosarum.

3) Pollices ipso reductionis actu celeritur sunt extrahendi, ne maxilla rediens illos comprehendat.

4) Interdum os non adeo apertum est; quo casu *cuneis* immissis amplificatur.

5) Quan-

5) Quando Chirurgus ſtatim poſt luxationem non vocatur, ante reductionem emollientia ſunt apponenda.

6) Facta reductione applicantur per aliquot dies

a) Defenſiva, agglutinantia, ligamenta roborantia. Locum habent ſpiritus vini camphoratus, ſpiritus ſerpilli & lumbricorum terreſtrium cum parca portione eſſentiæ croci. Interne conducunt antiſpaſtica.

b) *Faſcia* illa, quæ pag. 35. n. 20. & 21. deſcripta eſt.

7) Ægroto liquida tantum exhibeantur. Ceterum quies & ſilentium ei commendentur.

III. *CLAVICULÆ.*

1. *Differentia.*

1) Contingit hæc luxatio modo in illa extremitate, quacum *acromio*, modo in altera, qua cum *ſterno* clavicula connexionem habet.

2) Facilius tamen luxatur in articulatione cum acromio, quam cum ſterno, quia ſubſtrata eſt coſta prima.

3) Luxatio in articulatione cum ſterno fit

a) Vel *extrorſum*, & quidem plerumque, quo caſu in ſterni partem ſuperiorem clavicula adigitur.

b) Vel *introrſum*, ubi ad arteriam aſperam & œſophagum accedit.

2. *Signa.*

1) Luxatio in articulatione cum *acromio.*

a) Hæc difficulter cognoſcitur, & teſtante *Paræo*, a quibusdam Chirurgis cum luxatione humeri confunditur.

b) Dignoſcitur autem

α) E tumore, qui ab oſſe prominente formatur.

β) E cavitate in parte oppoſita. Teſtatur *Galenus* de ſe ipſo, quod talem luxationem perpeſſus ſit, qua os claviculæ trium digitorum latitudinem ab acromio diſceſſerit.

γ) Ex impotentia brachium movendi, præcipue elevandi.

δ) Ex inflammatione & dolore, inprimis vero e brachii niſu verſus pectus.

2) Luxatio in articulatione cum *ſterno.*

a) Hæc e ſignis communibus poteſt cognoſci.

b) Præter ea quæ *introrſum* fit, e gravibus etiam judicatur ſymptomatibus, quæ ob compreſſionem œſophagi, arteriæ aſperæ, va-

ſa

ſa jugularia, ſubclavia, & nervos adjacentes, accedunt. Circulus enim ſanguinis hac ratione impeditur, & maximæ anguſtiæ ſuperveniunt.

3. *Cauſæ.*

1) Communes ſunt: ictus, caſus, qui claviculam horizontaliter ſterno adducunt.

2) Extérne autem vis alterutro *extremo* debet applicari. Quando enim in media oſſis pars percutitur, tunc ordinarie fractura contingit.

4. *Prognoſis.*

1) Reſtitutio hujus luxationis, præcipue quando in articulatione cum acromio facta eſt, difficulter admodum ſuccedit, ita quidem, ut repoſitum quoque os aliquantum adhuc emineat, & hinc levationem humeri turbet.

2) Imo quando convenienter non reſtituitur aut negligitur, mancus manet æger, & manum neque ad caput neque ad os promovere poteſt.

3) In adultis hæc luxatio majorem adhuc difficultatem involvit, ob ligamentorum rigiditatem; ſed & ob eandem cauſam rarius in illis clavicula luxatur.

5. *Curatio.*

1) *Repoſitio* fit ſequente modo:

a) Æger collocatur in humilem ſellam.

b) Miniſter, poſt tergum ſtans, applicat genu ſuum illi ægrotantis regioni, quæ ſcapulas intercedit: manibus utrumque humerum prehendit, & extrorſum propellit.

c) Chirurgus, ante faciem ægri collocatus, facta extenſione, claviculæ extrema vel antrorſum vel retrorſum pellit.

d) Quando luxatio extrorſum facta fuit, neceſſe eſt, ut miniſter repoſita extrema tam diu in ſitu contineat, donec faſcia applicata ſit.

2) *Conſervatio.*

a) Quando clavicula in articulatione cum acromio luxata fuit, *ſpica ſimplex* applicatur.

b) Quando autem in junctura cum ſterno luxatio contingit, *capitalis* adhibetur.

c) Luxatio hæc ob muſculorum abſentiam firmam plerumque

deligationem expoſcit, præcipue quando ligamenta rupta ſunt, vel luxatio a cauſa interna dependet.

d) *Galenus* ſcribit, quod tam valida ſibi deligatio adhibita fuerit, ut pulſum arteriarum jugularium ſenſerit.

e) Ceterum brachium ſuſpenſorio quodam geſtatur.

IV. *VERTEBRARUM.*

1. *Differentia.*

1) Luxatio vertebrarum duplici modo conſideranda venit.

a) Vel enim ſuperiores colli vertebræ cum capite luxantur.

b) Vel luxatio contingit in reliquis vertebris.

2) *Completa* luxatio harum vertebrarum fere non habet locum, niſi ligamenta penitus rumpantur.

3) *Incompleta* fit frequentius. Ordinarie enim apophyſes tantum ſuperiores vel inferiores luxantur.

4) Hi proceſſus modo in utroque, modo in uno tantum latere luxationem patiuntur.

5) Præterea modo vertebra una, modo plures luxantur, quod tamen poſterius, ad fugiendum communem errorem, recte intelligendum eſt, e. g. quando prima vertebra lumborum cum ultima dorſi, & ſimul ultima lumborum cum oſſe ſacro luxata eſt, quinque vertebrarum luxationem vulgo ſolent accuſare. Sed hoc falſum eſt, nam prima tantum & ultima lumborum luxationem patiuntur, tres autem intermediæ e ſitu ſunt turbatæ.

6) Ceterum notandum, quod a vertebrarum dorſi luxatione *gibboſitas* originem ſumat.

2. *Signa.*

1) In ſubluxatione *colli*

a) Collum diſtorquetur.

b) Facies livet.

c) Difficultas adeſt loquendi, reſpirandi & deglutiendi.

d) Excretiones urinæ & alvi difficulter ſuccedunt, ob compreſſionem nervi intercoſtalis.

e) Paralyſis in extremitatibus ſuperioribus ſuccedit, quia nervi dehinc ad illas partes deſcendunt.

2) In luxatione *reliquarum vertebrarum*

a) Figura ſpinæ mutata viſui & tactui patet. Hinc

b) Impotentia adeſt progrediendi.

c) Stu-

c) Stupor partes vicinas occupat, inprimis inferiores.

d) Succedit paralyſis.

e) Alvi conſtipatio & urinæ ſuppreſſio adeſt. Quando autem ſenſus & motus ſenſim pereunt, excretiones tales involuntarie procedunt.

f) Quando plures luxatæ ſunt vertebræ, curvatura quidem major, angulus autem minor obſervatur.

g) Si corpore antrorſum flexo facta eſt luxatio, dolor major ad flexionem corporis, minor autem, quando æger retrorſum corpus inclinat, ſentitur. Idem ſentiendum eſt de luxatione ad latera. Quando enim vertebra ad latus dextrum antrorſum luxata eſt, ægrotans majores perſentiſcit dolores, dum corpus ad ſiniſtrum latus inclinatur, & vice verſa.

h) Quo gravior eſt læſio, eo graviora ſunt dicta illa ſymptomata.

3. *Cauſæ.*

1) Si ſtructuram vertebrarum dorſi conſideremus, magnam violentiam ad illarum luxationem requiri obſervamus; ſiquidem firmiſſime ligatæ & connexæ ſunt.

2) Hinc revera illarum luxationes rariſſimæ ſunt, & non eveniunt, niſi poſt graviſſimas læſiones, e. g. caſum, lapſum, ponderis maximi impreſſionem, wenn einem ein Wagen über den Rücken gehet; quo caſu ligamenta tenaciſſima, quorum beneficio alias vertebræ connectuntur, dilacerantur.

3) Ætati infantili poſt graves corporis torſiones, wenn man die Kinder läſſet überſchnappen, familiarior eſt hæc luxatio. Unde *gibboſitas* inducitur. In annoſioribus autem longe major violentia ad hanc luxationem requiritur.

4) Spina dorſi uti vario motu prædita eſt, inprimis autem flexione & extenſione, ita etiam luxatio pro hac motus varietate variat. Vix autem locum habet luxatio, quando ſpina eſt in extenſione, quia tunc proceſſus ſibi invicem magis incumbunt. Quodſi vero luxatio talis omnino fieri poſſet, funeſtus tamen eventus mox exſpectandus eſſet, ob maximam medullæ compreſſionem.

5) Luxationes *colli* ordinarie per præcipitem lapſum ex alto inducuntur, Germani dicunt; er hat den Hals geſtürtzet.

4. *Prognoſis.*

1) Luxationes vertebrarum omnes ſunt periculoſæ, & non facile in ſolidum reſtituuntur.

2) *Completa* & profunda dislocatio lethalis eſt.

3) *Incompleta utriusque* lateris periculoſior, quam alterutrius.

4) Luxationes *colli* omnium ſunt periculoſiſſimæ, &, niſi ſtatim corrigantur, funeſtum eventum ſortiuntur; imo dubium eſt, num auxilium, mature etiam adhibitum, lethalem ſucceſſum præſcindere poſſit, numque extenſio illa, vulgo commendata, non magis ſpeculabunda, quam rationi conformis ſit.

5) Sane deleterium eſt hoc malum utplurimum in procinctu. Nam paralyſis a compreſſione ipſius *medullæ oblongatæ* præſto eſt, unde operationes, per nervos fieri ſolitæ, quaſi ſtrangulantur. Præterea adſunt præſentiſſime convulſiones: quibus ſymptomatibus, inter ſe veluti in momento conſpirantibus, vita exſtinguitur. Hinc fruſtranea, imo ridicula profecto eſt illa ſpeculatio, das ausgefallene Genicke wieder einzurichten; id quod in mortuis facilius, quam vivis locum habere poſſet.

6) Si luxatio vertebrarum ad *interiora* contigerit, a plerisque, præter *Hippocratem de artic.* §. 43. & 44. pro incurabili, imo lethali, habetur.

7) *Gibboſitas* inveterata, hæreditaria, in utero contracta, aut a cauſa interna producta, reſpuit plerumque chirurgicam medelam.

8) Quando plures vertebræ luxatæ ſunt, ob minorem *medullæ ſpinalis* compreſſionem, minus ſæpe periculum eſt, & facilior repoſitio.

5. *Curatio* & *cautelæ* practicæ.

1) Certum eſt, quod difficilis ſit hujus luxationis reductio, uti ſub *prognoſi* prolixius indicavimus. Nihilo minus in tali caſu artifici incumbit, ut nihil intentatum relinquat.

2) Itaque in *colli* luxatione ſequente via incedatur.

a) Æger in ſellam humilem collocetur.

b) Miniſter, humeris illius incumbendo, corpus deprimat.

c) Hoc dum peragitur, Chirurgus caput ſub auribus comprehenſum attollat, hinc inde, ſine notabili tamen violentia, illud convertat, donec vertebra luxata ſuo loco reſtituta ſit; id

quod e doloris remissione, legitima colli structura, potentia caput movendi, vel stridore quodam cognoscitur.

d) Alii alias encheireses adhibent, nempe ægrum in terram collocant, deinde Chirurgus genua sua flectit, eaque humeris ægri apponit, postea caput utrinque comprehendit, & motum quaqua versum placide administrat.

e) Post repositionem, inunctionem, emplastrum vel fotum nervinum adhibere, & fasciam, *continens colli* dictam, applicare docent.

f) Quoniam autem collum nullam talem deligationem, quæ firmando officium faciat, admittit, necesse est, ut æger per aliquot dies cervicem & caput in quiete conservet, usque dum ligamenta satis fuerint roborata.

3) In luxatione *reliquarum vertebrarum*, seu potius *processuum* illarum.

a) Si *extrorsum* facta sit luxatio.

α) Antiqua methodo duplex linteamentum, alterum sub alis, alterum in regione iliaca, ad extensionem obtinendam, applicatur.

β) Quoniam autem hic apparatus non sufficit, nova encheiresi extensionem obtinere putant, dum ægrum super *dolium* in arcum quasi flectunt, ut spina in loco præcipue luxato attollatur, & diductis hac ratione a se invicem vertebris, repositio obtineatur.

γ) Postea emplastrum conveniens, splenia & ferulam imponunt, hancque ita formatam, ut non tam *spinosos* processus, quam *corpus* vertebræ, premat; quem in finem nonnulli duas potius dictorum processuum lateribus apponunt, horumque apices liberos relinquunt.

b) Quando *ad latera* facta est luxatio, eadem methodo repositio tentatur. Per extensiones enim cum linteis & aliis machinis contactus processuum nullus obtinetur, unde nec repositio locum habet. Itaque spina incurvanda est; quæ methodus illi opposita est, quam in omnibus aliis luxationibus adhibent, excepta *costarum* luxatione. *Vid. infra.*

c) Quando luxatio *introrsum* fieret, curatio dicto quidem modo

inſtitui poſſet, ne nihil feciſſe videamur, artis autem inopi per ſinceram prognoſin non occultanda eſt in tali læſione, qua vix unquam repoſitionem admittit. Multa quidem ad tale luxationes reſtituendas commendantur, e. g. quod inciſio faciенda & vertebra luxata cum forcipe reponenda ſit, juſtum autem omnino manet dubium, num tales ſpeculatores ejus modi operationem unquam viderint; imo dubitandum eſt num a prudente viro commendari poſſit, quia capacia vaſa ſanguifera, nervi & tendines in hac regione non poſſunt non deterrere.

d) Facta repoſitione, emplaſtrum defenſivum, ſplenia & faſciæ applicantur, ægerque in lectum ſupinus collocatur.

e) De *gibboſitate* tractanda ſequentia notentur.

α) In cauſis hæreditariis & ſtatu confirmato præſtat a curatione abſtinere, quam vanis pollicitationibus alios onerare.

β) In ſtatu recente & tenellis corporibus ſpina gibboſa manibus quotidie introrſum comprimatur.

γ) Quando laxitas ligamentorum non adeo inſignis eſt, pars affecta ſingulis diebus per dimidiam circiter horam emollientibus fomentetur, & hac ratione ad commodiorem repoſitionem præparetur.

δ) Præterea reſtaurationem non parum juvabit & conſervabit *lamina ferrea*, thoracis poſticæ parti inſerta, non negletis emplaſtris adſtringentibus, nervinis ac roborantibus.

V. *COCCYGIS.*

1. *Differentia.*

Os *coccygis*, quia motu deſtituitur manifeſto, non tam luxatur, quam potius relaxatur cum oſſe *ſacro*, & tum cedit

1) Vel ad *interiora*; quæ luxationis ſpecies frequentius contingit.

2) Vel ad *exteriora*, quæ rarius occurrit.

2. *Signa.*

1) Quando luxatio *extrorſum* facta eſt, dolor gravativus circa anum ſentitur.

2) Si vero *introrſum* contigerit, adeſt gravitas, quæ in ano perſentitur,

tur, & dolor insignis, qui eo potissimum tempore affligit, quando æger femur movere vel alvum exonerare conatur.

3. *Causæ.*

1) Luxatio ad *interiora* per varias causas *externas*, e. g. ictum, lapsum, induci potest. *Interne* accusatur cacochymia.

2) Luxatio autem ad *exteriora* non contingit, nisi in partu laborioso, quando fœtus in transitu vaginæ nimis diu remanet; quo in casu cartilagines & ligamenta, quæ coccygem connectunt, nimis relaxantur.

3) Symptoma *gravitatis* ab intestino recto dependet, quod per coccygis luxationem fulcrum suum amisit. *Dolor* autem, quem æger sub motu femoris & depositione alvi persentiscit, derivandus est a connexione musculi *glutæi magni* cum osse *coccygis* & intestino *recto*.

4. *Prognosis.*

1) Multum quidem levis hæc luxatio non alit periculi, ægrum tamen diu subinde affligit.

2) Majoris est considerationis, quando subjecta cacochymica occupat.

3) Quo magis ligamenta relaxata sunt, eo difficilius restauratio obtinetur.

5. *Curatio.*

1) In luxatione, *introrsum* facta, repositio sequente modo peragatur.

a) Æger natibus elevatis collocetur.

b) Chirurgus digitum suum, oleo vel butyro inunctum, intestino recto intrudat, & os luxatum extrorsum pellat.

c) Alteram autem manum ab extra applicet, & per eandem impediat, ne nimis extrorsum os prematur.

2) Quando *extrorsum* facta est luxatio, reponitur illa sequente ratione.

a) Manus Chirurgi, exterius applicata, os luxatum introrsum flectit.

b) Digitus intestino recto immissus præcavet, ne nimis introrsum os moveatur.

3) Si malum per insigne tempus jam duraverit, partes per olea vel unguenta ante repositionem sunt emolliendæ.

4) Quodsi

4) Quodſi luxatio a ſpeciali *relaxatione* ligamentorum in ſubjectis cacochymicis dependeat, vel per illam ſuſtentetur, tum conjungenda ſunt
   a) *Interne* remedia confortantia, tonica.
   b) *Externe empleſtrum* contra rupturas & *ſplenia*, gradatim ſibi mutuo impoſita.
5) Conveniens *faſcia* hic requiritur, ut æger alvum ſine illius ſolutione deponere poſſit; cui negotio commode illa inſervit, quæ *Tau* vocatur.
6) Nonnunquam formant corpus ad formam *ſuppoſitorii*, & hoc pro meliori firmatione ano intrudunt.
7) Peracta operatione æger *lateri*, non autem dorſo, incumbat, & per tres hebdomadas lecto affixus, maneat; vel, quando omnino ſurgit, multum non ambulet, ſed ſellæ, eique perforatæ, inſideat.

VI. *COSTARUM.*

1. *Differentia.*
   1) Coſtarum luxatio non ita frequenter occurrit.
   2) *Extrorſum* & *introrſum* luxatio non æque locum habet, ob proceſſus vertebrarum obſtantes & muſculos robuſtos.
   3) Hinc dislocatio ordinarie fit
      a) Vel *ſurſum*.
      b) Vel *deorſum*.
      c) Vel *introrſum*, & quidem introrſum plerumque, quia vis, qua ab extra applicatur, introrſum tendit.
   4) Interdum *una* tantum coſta, interdum *plures* luxantur.
2. *Signa.*
   1) Quando *ſurſum* vel *deorſum* luxatio facta eſt, dignoſcimus illam quod hic cavitas, ibi protuberantia appareat.
   2) *Introrſum* facta luxatio exhibet
      a) Cavitatem in exteriori.
      b) Dolorem pleuriticum, ob pleuram preſſam & tenſam.
      c) Reſpirationem difficilem, dolorificam, tuſſiculoſam.
      d) Impeditum ſpinæ motum, præcipue *extenſionis*.
3. *Prognoſis.*
   1) Coſtarum luxatio difficulter reſtituitur.

2) Pra

2) Præcipuam autem difficultatem adfert illa ſpecies, quæ *introrſum* facta eſt.

3) Quo graviora ſymptomata conſpirant, eo periculoſior eſt ſtatus, & eo citius auxilium adhibendum.

4. *Curatio.*

1) Quando luxatio *ſurſum* facta eſt, æger humero affecti lateris de janua vel ſcala ſuſpendatur, & deinde eminens coſtæ capitulum manu *deorſum* pellatur. Alii ægrum menſæ, & quidem cum ventre, imponunt.

2) Si *deorſum* tendat luxatio, æger pronus incurvetur, manibus ſupra genua innixis; deinde Chirurgus coſtam prominentem tam diu ſurſum cogat, donec ad locum naturalem reducta ſit.

3) Quodſi vero luxatio *introrſum* facta ſit, tractetur ſequente modo.

a) In *exigua* tantum luxatione, quæ gravibus ſymptomatibus non eſt conjuncta, repoſitio per *emplaſtrum picatum* tentetur.

b) In caſu *graviore* plurimi auctores ſpem reſtitutionis abjiciunt; alii autem corpus ægrotantis ſuper dolium flectere commendant, ut coſtæ retrorſum pellantur, & Chirurgus, antrorſum in parte affecta retro agitando, repoſitionem præſtare poſſit.

c) His autem irritis, *inciſionem* penes luxatam coſtam inſtituere docent.

d) Faſciam, huc quadrantem, exhibuimus tabula tertia.

VII. *HUMERI.*

1. *Differentia.*

1) Contingit hæc luxatio

a) *Deorſum* & *introrſum*. Atque hoc plerumque, ita ut *Hildanus* & alii exiſtiment, ſolam hanc fieri poſſe, præcipue, quia ſub ala cavitas ſit, in quam capitulum ſecedere poſſit; contra ſi coſtis vel ſcapulæ omnino capitulum inſiſtat, diu tamen ibidem non ſubſiſtat, ſed reſiliendo in hunc locum veniat.

b) Interdum etiam *deorſum* & *extrorſum*.

c) Rara eſt luxatio directe *deorſum*, præcipue quia capitulum oſſis in margine ſcapulæ inferiore, ob anguſtiam illius, commode ſubſiſtere non poteſt.

2) *Surſum* fieri non poteſt luxatio, quia muſculus *deltoides*, caput extremum muſculi *bicipitis*, apophyſis *coracoides* & *acromium* adverſantur.

tur. Quod si vero hi processus simul frangerentur, luxatio *sursum* fieri posset.

3) Sic sentiendum etiam est de luxatione *sursum* & *extrorsum*, item de luxatione *sursum* & *introrsum*.

2. *Signa.*

1) Quando *directe deorsum* in marginem inferiorem *omoplatæ* luxatio fit, tum

a) Cavitas sub acromio, quod hinc eminentiam quamdam exhibet, conspicitur.

b) Capitulum ossis sub ala sentitur.

c) Brachium altero longius est.

d) Quando deprimitur luxatum brachium, dolor, ob majorem musculorum extensionem, augetur; dum autem paululum elevatur, dolor remittit. Præterea quando ori admoveri debet, insignes dolores excitantur.

2) Quando *deorsum* & *introrsum* facta est, reperitur

a) Cavitas sub acromio extraordinaria, nisi tumor inflammatorius eam expleat, & hæc omoplatæ pars eminentior appareat.

b) Tumor contra insolitus sub ala versus pectus.

c) Brachium paulisper elevatum est & extrorsum se projicit, atque a corpore magis distat.

d) Adest impotentia motus cujuscunque. Manus ori, naribus & capiti non potest adduci. Concurrunt etiam sub qualicunque motus conamine insignes dolores.

e) Cubitus paululum flexus est, quoniam capitulum secum rapit, si non utrumque, alterutrum tamen bicipitis tendinem.

f) Brachium nunc in eadem longitudine manet, nunc longius, nunc brevius evadit, prout in locum vel eminentiorem vel profundiorem os secedit.

3) Quando *deorsum* & *extrorsum* facta est luxatio, tum

a) Accedit brachii inferior pars ad pectus; capitulum autem luxatum extrorsum sentitur.

b) Dolor multum augetur, quando brachium a pectore dimovemus.

c) Brachium longius quidem est, sed longitudo hæc non accedit ad illam, quæ in luxatione, *directe deorsum* facta, occurrit.

4) Quan-

4) Quando luxatio *antrorſum* facta eſt, percipitur
a) In anteriore humeri parte eminentia nimia, in poſteriore vero inſolita cavitas.
b) Humeri extremitates inferiores & cubitus ad poſteriora magis abeunt, & difficulter antrorſum moventur.

3. *Cauſæ.*
Præter cauſas luxationum communes, quas præcedente tabula recenſuimus, ſpeciatim hic notandum eſt, quod oſſis humeri luxatio facillime contingat ob ſequentes rationes:
1) Articulo oſſis humeri cum ſcapula admodum laxa: magna enim pars cavitatis glinodeæ, os humeri recipientis, partim tendinoſa, partim cartilaginea, hinc ad reſiſtendum minus apta eſt.
2) Multiplex humeri motus: ſurſum enim, deorſum, extrorſum & retrorſum fertur.
3) Humerus in omni lapſu movetur & extenditur.

4. *Prognoſis.*
1) Luxatio humeri, quæ fit *introrſum*, præ reliquis majora, imo periculoſa adfert ſymptomata, quia caput humeri non ſolum longius facit iter, ſed & brachii nervos atque vaſa ſanguifera comprimit.
2) Reliqua ſigna prognoſtica videantur tabula præcedente.

5. *Curatio.*
Encheireſes quæ ad reſtitutionem oſſis humeri adhibentur, mirum in modum variant, ad *tres* autem modos omnes tales operationes poſſumus referre.
Primus vocatur *palæſtricus.*
Secundus appellatur *methodicus.*
Tertius dicitur *organicus*, hodie uſitatiſſimus.

1) *Palæſtricus* modus eſt *quadruplex:*
a) *Primus* eſt, quando in mollibus ſubjectis & recente luxatione unus e miniſtris, manibus alæ ſuppoſitis, ſummum humerum firmiter comprehendit, alter vero eundem *prope flexuram* cubiti apprehenſum ita deorſum trahit, ut ejus caput ſinui oſſis ſcapulæ fere diametraliter opponatur, hincque a Chirurgi manu, in pugnum contracta, commode ſurrigi & acetabulo impelli queat.

b) *Secundus* eſt, quando Chirurgus ægro aſſidens, ſub alam immiſſis digitis extremitatem humeri luxati a coſtis repellit, deinde caput proprium circa ejusdem lateris commiſſuram oſſi ſcapulæ & juguli apponit, & miniſter brachium pectori adducit, donec articulus luxatus reponatur.

c) *Tertius* eſt, quando æger, ſi forſan præ dolore, vel ob aliam cauſam, neque erectus ſtare neque ſedere poſſit, ſupinus collocatur, ſub alam ipſius *pila* vel aliud corpus ſolidum & rotundum faſcia firmatur; Chirurgus vero ex adverſo illi aſſidet. Si dexter humerus luxatus, calcem dextri pedis, ſi ſiniſter, ſiniſtri, pilæ applicat, & dum utraque manu comprehendit humerum, hujus caput ſimul exterius & ad ſcapulæ ſinum pellit. Commodius adhuc peragitur, ſi miniſter pone caput ægri ſedens, mantili per collum ſuum & ſub pilam trajecto humerum attrahat ac ſurrigat, calce interea ſuo ſummum omoplatæ deprimit, dum alius miniſter, alteri ægrotantis lateri aſſidens, alterum humerum ſummum complectitur, adeoque prohibet, ne totum ipſius ad extenſiones illas temere agitetur. Alii loco pilæ digitos in pugnum contractos alæ ſubjiciunt, & facta ſufficiente extenſione vi quadam ſurſum pellunt.

d) *Quartus* eſt quando proceri cujusdam miniſtri ſummus humerus ægroti alæ ſubjicitur, & idem miniſter brachium, pectori ſuo validiſſime adducit, ut æger toto ſuo corpore de illius humero ſuſpendatur, pedibusque humum non attingat. Sic enim humerus extenditur & caput illius ad exteriora ſimul movetur. Interea alius miniſter, qui a latere luxati oppoſito ſtat, ſummam ſcapulam utrisque manibus deprimit, & ſibi quaſi attrahit, ne hæc cum toto corpore extenſionem illam ſequatur. Tandem vero a Chirurgo, violentos tales motus dirigente, reſtauratio perficitur, ſecundum figuram *Paræi libr. I. cap. 24.* Dicitur hic modus *ſubhumeratio.*

2) *Methodicus* modus *triplex* eſt.

a) *Primus* barbare *ſubvectatio* vocatur, & fit *perdica* alæ ſubſtrata.

b) *Secundus* fit ope *ſcalæ* aut *januæ.*

c) Tertius fit per ἀμβὴν *Hippocratis*, cujus conformationem & utendi

utendi modum docent *Paræus*, *Sculletus*, *Fabricius ab Aquapendente*. Sed omnes hi modi exoleverunt.

γ) *Organicus* modus omnibus præcedentibus, utpote torturam referentibus, præfertur.

a) Est simplex modus, qui extensionem per *machinam tractoriam Vitruvii* & coaptationem solis manibus aut linteamine peragere docet.

b) Correxit hanc machinam Dn. *Michault*, & inventionem ulterius perfecit Dn. *Petit*, de quibus videantur *Acta Lipsiensia 1706. mens. April. p. 156.* Galli vocant hanc machinam *la mouffle*.

c) Sæpius *lorum Hildani* sufficientem extensionem præstat.

d) Imo dantur multæ humeri luxationes, in quibus nulla talis machina necessaria, sed operatione simplice sequente totum negotium absolvitur.

α) Æger in sellam humilem collocatur.

β) Truncus a robusto quodam ministro firmiter tenetur, ne sub extensione cedat.

γ) Alius minister brachium luxatum supra cubitum apprehendit, & omnibus viribus extensionem præstat.

δ) Chirurgus linteum, in triangulum volutum, de collo suo appendet, & illius latam partem brachio luxato, non ita remote ab axilla, substernit, una manu superiorem, & altera inferiorem brachii partem apprehendit.

ε) Deinde extensionem ministro injungit; qua sufficienter peracta tam manibus suis quam linteo de collo suspenso repositionem promovet.

ζ) Prout autem os vel *extrorsum* vel *introrsum* luxatum est, elevationem & impulsum vel extrorsum vel introrsum dirigere debet; id quod judicium facile dictitat.

η) Repositum os conservatur per convenientem *fasciam*, quam tabula tertia delineavimus, & congruum situm.

VIII. *Cubiti.*

1. *Differentia.*

Cubitus luxatur

1) Vel *antrorsum*, quando processus, κορωνὴ dictus, magis e cavitate ascendit, & *olecranon* antrorsum secedit.

2) Vel *retrorſum*, quando, quæ modo dicta ſunt, contraria ſe haben ratione.

3) Vel *ad latera*, quando e loco ordinario vel *introrſum* vel *extror ſum*, magis ſecedit: idque vel cum vel ſine diaſtaſi, id eſt, oſſiu diductione, tum radii, tum ulnæ, a ſe mutuo, ut & ab extremitat humeri.

2. *Signa.*

1) Si *antrorſum* luxatio facta ſit, tum

a) Os cubiti antrorſum eminentiam & retrorſum cavitatem ex hibet.

b) Contra os humeri antrorſum cavitatem & retrorſum eminen tiam oſtendit.

c) Cubitus eſt extenſus & longior.

d) Quando flectitur, dolor augetur.

2) Luxatio *retrorſum* facta oſtendit ſigna in contrarium, nempe

a) Proceſſus cubiti, *olecranon* dictus, retrorſum eminentiam ex hibet.

b) Os humeri antrorſum eminentiam oſtendit.

c) Cavitas hæc duo oſſa intercedit notabilis.

d) Cubitus eſt flexus, brevior & immobilis.

3) Luxatio *ad latera* facillime detegitur e tumore & cavitate. Uter que proceſſus e loco ordinario elabitur, ſive introrſum ſive ex trorſum facta ſit luxatio. Præterea *radius* in hac luxatione a latera ſæpius dehiſcit in rabito, & non amplius tangit extremita tem oſſis humeri.

3. *Cauſæ.*

1) Rara admodum eſt hæc luxationis ſpecies, ob triplicem quaſi art culationem, quâ cubitus cum humero junctus eſt.

2) *Ulna* namque per *ginglymum* humero inarticulatur; quæ articu latio confirmatur per valida ligamenta, tam a proceſſibus *roſtrifor mibus*, quam ab humeri tuberculis enata.

3) *Radius* autem, ulnæ adhærens, jungitur cum humero per ar *throdiam.*

4) Præterea proceſſus poſterior, *olecranon* dictus, ſinuoſitati humer inhæret.

5) Unde, niſi relaxatio ligamentorum a cauſa interna inducatur, ma

gn

gna ſane violentia externa requiritur, ad hanc luxationem producendam.

6) Facilius quidem *retrorſum* fieri poteſt luxatio, quam *antrorſum*, ob *olecrani* magnam eminentiam.

7) Luxationes *antrorſum* & *ad latera* niſi ligamenta & muſculi penitus dilacerentur, vix unquam *completæ* reperiuntur; imo ne *incompletæ* quidem frequenter occurrunt.

4. *Prognoſis.*

1) Luxatio hæc uti raro contingit, ita difficulter reſtituitur, ob robuſta ligamenta & oſſium inæqualitates.

2) Repoſitio niſi mature fiat, ob extenſionem ligamentorum & tendinum gravia ſymptomata accedunt, dolores nempe, tumores inflammatorii, gangræna, ſphacelus, convulſiones, febres.

3) Quæ *ad poſteriora* facta eſt luxatio, periculoſior eſt aliis; præſertim quando *diaſtaſis radii* conjuncta eſt.

4) Peſſimæ prognoſeos, ſi luxatio *lateralis completa* exiſteret.

5. *Curatio.*

1) Modi reſtituendi ſunt varii, quos recenſet & figuris illuſtrat *Paræus*. Sunt potiſſimum *triplicis* generis, dum fiunt

a) Vel extrorſum circa *columnam*,

b) Vel circa *ſpondam*,

c) Vel ope *baculi*.

2) Optime autem, ſi omnino ſimplices manus non ſufficiant, extenſio fit ope *trochlearum*, cavendo, ne alter proceſſuum allidat extremitati humeri, præprimis ſi antrorſum ulna fuerit luxata.

3) In coaptatione cubitus paululum flectatur, ubi vero *ad poſteriora* facta fuit luxatio, non opus eſt flexura.

4) Si tenſio ligamentorum & tendinum extenſionem impediret, junctura oleo quodam emolliente inungenda eſſet.

5) Facta reſtitutione cubitus, monente jam *Hippocrate*, ſub quavis deligatione, poſt tertium diem repetenda, modeſte moveatur, tum flectendo, tum reflectendo, ut *anchyloſis* præcaveatur.

6) Luxationi applicetur vel *emplaſtrum defenſivum*, vel *ſplenia* ſpiritu vini intincta, & pars affecta conveniente *faſcia* deligetur. Præterea *mittella*, gall. *une echarpe*, adhibeatur.

IX. *MA-*

IX. *MANVS, CARPI ET METACARPI.*

1. *Differentia.*

1) Manus in omnes ſenſus poteſt luxari.

2) Luxatio autem *ad latera* admodum rara eſt, obſtat enim interne proceſſus *radii* & externe proceſſus *ulnæ*.

2. *Signa.*

1) *Generalia.*

a) Dolor ſentitur per totam cubiti longitudinem, ut & digitos extremos, quia muſculi multi, qui in illa parte ſunt, originem habent a parte cubiti ſuperiore.

b) *Pronatio* & *ſupinatio*, uti generatim, ita & hic non bene peragitur.

2) *Specialia.*

a) Quando *introrſum* facta eſt luxatio a parte pollicis, tunc obſervatur.

α) Eminentia in parte radii, & cavitas in parte oppoſita.

β) Manus neque flecti neque extendi poteſt ſine inſigni dolore

γ) Digiti extrorſum tendunt, quia muſculi *cubitei* ſunt extenſi.

δ) Quando motus introrſum tentatur, creſcit dolor, ob maiorem extenſionem; minuitur autem, ſi extrorſum moveatur

ε) Dolor extenditur ad condylum uſque internum, quia plerique muſculi, qui hic patiuntur, ibidem tenduntur.

b) Quando *extrorſum* facta eſt

α) Digiti introrſum moventur.

β) Ab externa parte obſervatur tumor, ab interna cavitas.

γ) Quando digiti extrorſum feruntur, dolor exacerbatur.

δ) Dolor extendirur ad condylum uſque externum.

c) Quando *antrorſum* ſeu a parte *extenſionis* facta eſt luxatio, tum

α) Manus prolapſa in latus flexionis labitur. Hinc

β) Tumor in parte flexionis.

γ) Cavitas in parte extenſionis.

δ) Digiti ſurſum trahuntur.

ε) Quando carpus flectitur & extenditur ad utrumque muſculum, dolor augetur.

d) Quando *retrorſum* ſeu a latere *flexionis* facta eſt, tum

α) Pro

α) Protuberantia a latere extenſionis.
β) Cavitas a latere flexionis.
γ) Manus ſecesſit in partem extenſionis.
δ) Digiti non flectuntur ſine magno dolore.
ε) Dolor etiam ad utrumque condylum extenditur.

3. *Cauſæ.*

1) Hæ eædem ſunt cum aliis communibus.
2) Notandum autem, quod, uti brachium & cubitum, ita etiam manum, dum labimur, extendamus, ut in illam prolabamur.
3) Præterea omnes injurias & violentias, corpori imminentes, per haſce partes ſolemus declinare. Vnde præ aliis læſioni expoſitæ ſunt.
4) Imo quia manus inſigni gaudet motu, & articulationis ligamenta laxa ſunt, facile luxatur carpus.

4. *Prognoſis.*

1) Gravia ſymptomata huic luxationi facile ſuperveniunt. Ligamenta enim valde extenſa acerbiſſimos inducunt dolores. Hi tumorem inflammatorium invitant, imo ipſas ſubinde convulſiones.
2) Anchyloſis etiam nonnunquam ſuccedit.
3) Quando oſſicula carpi ſquammoſa carie corripiuntur, negotium ſatis intricatum redditur, ita quidem, ut manus ſubinde amputatio requiratur.
4) Ceterum curatio brevi tempore non abſolvitur, & licet reſtituta ſit manus, motus tamen illius non ita libere & prompte ſuccedit.

5. *Curatio.*

1) Extenſio hujus luxationis ſatis commode ſuccedit, ita ut ipſe ſubinde ægrotans illam præſtare poſſit, pauci enim muſculi, ſi carnoſam eorum partem conſideremus, hic reperiuntur. Inſtituitur autem ſequente ratione.
a) Unus miniſter cubitum firmiter tenet.
b) Alter manum apprehendit.
c) Quando luxatio *anterius* ſeu a parte *extenſionis* facta eſt, manus ægri tabulæ imponitur *ſupina*; *prona* autem, ſi *retrorſum* ſeu a parte *flexionis* contigerit.
d) Facta ſufficiente extenſione Chirurgus pro varietate luxatio-

nis, in partem oppositam manum movendo, præstat coaptionem.

2) Ossa *carpi*, quando a se invicem secesserunt, facta extensione, protuberantia in oppositam partem ducitur, & sic restitutio facillime obtinetur. Fieri autem hæc luxatio non potest, nisi *sursum* & *deorsum*.

3) Sic & ossicula *metacarpi media* sursum tantum & deorsum cedere possunt. *Extrema* autem ad *exteriora* etiam luxationem patiuntur, & dicta encheiresi restituuntur.

4) *Fasciam* convenientem descripsimus tabula tertia.

X. *DIGITORUM.*

1. *Differentia.*

Luxantur digiti

1) Vel in parte *flexionis*, id est antrorsum.

2) Vel in parte *extensionis*, id est retrorsum.

3) Vel *ad latera*.

2. *Signa.*

Hæc, quia nulli adsunt musculi, satis sunt manifesta, & præcipue tactu luxatio facile cognoscitur.

3. *Causæ.*

1) Facilius luxantur digiti *manuum* quam *pedum*. In illis enim laxior est articulatio, cavitates etiam sunt superficiales & capitula multum non prominent; in his autem strictior est articulatio, & motus illorum non adeo multum contingit.

2) In *prima phalange* facilius fit luxatio, quam in reliquis. Prima enim digitorum phalanx metacarpo inarticulatur per *arthrodiam* diarthroden; reliquæ autem phalanges sibi invicem junguntur per *ginglymum* diarthroden.

4. *Prognosis.*

1) Facilis est repositio, quia cavitates hic non sunt profundæ, capitula multum non prominent, & ligamenta facile cedunt.

2) Præterea magnus secessus non habet locum ob exiguum robur musculorum.

3) Intra 12. dies firmatur luxatio in digitis manuum, in pede autem intra 20. dies.

5. *Curatio.*

1) Manus super tabulam ponitur, ita quidem ut prominentia semper su-

ſupremum locum occupet, uti ſub *curatione* manus litt. c) diximus.

2) Facta extenſione in regionem oppoſitam luxata pars propellitur.

3) Digito luxato alligandus eſt proximus ſanus. *Faſciam* exhibet tabula tertia.

4) Quando tumor luxationi acceſſit, caveatur, ne extenſio prius ſuſcipiatur, quam pars affecta fomentis emollientibus & diſcutientibus tractata fuerit. Sin ſecus, ægri in convulſiones & ſemi-apoplecticum ſtatum conjici poſſunt.

XI. *FEMORIS.*

1. *Differentia.*

1) Quod luxatio femoris, quando accuſatur, utplurimum nulla, ſed potius *fractura colli* ipſius facta ſit, recentiores auctores, præeunte *Ruyſchio*, multis jam exemplis confirmarunt. *Conf. fractura femoris.* Huius rei rationes inferius ſub *cauſis* dicemus.

2) Quando autem omnino luxatio vere adeſt, contigit illa
a) Vel *introrſum.*
b) Vel *extrorſum.*
c) Vel *ſurſum.*
d) Vel *deorſum.*

3) Raro autem hæc luxatio *directe* introrſum, extrorſum, ſurſum vel deorſum contingit, ſed introrſum & deorſum ſimul; item extrorſum & una ſurſum.

4) Luxatio *completa* facilius hic quam *incompleta* locum habet; cujus rei contrarium in reliquis omnibus luxationibus occurrit. *Conf. Cauſæ.*

2. *Signa.*

1) In obeſis hæc luxatio difficulter exploratur, ob craſitiem muſculorum.

2) Quando *introrſum* facta eſt luxatio, tum
a) Femur inſiſtit foramini ovali.
b) Longius eſt altero.
c) Non poteſt introrſum moveri.
d) Pes & genu extrorſum tendunt.
e) In poſteriore parte cavitas, quia trochanter major ſimul introrſum ſecesſit.

3) Quando *extrorſum* & *ſurſum* contingit, tum
   a) Femur luxatum brevius eſt altero.
   b) Pes & genu introrſum tendunt.
   c) Extremitati pedis inſiſtendum.
   d) Tumor ſcroti, ob compreſſa vaſa ſpermatica, concurrit.
4) Quando *retrorſum* facta eſt, crus multo brevius exiſtit.
5) Si vero ab humoribus originem habeat, crus ſemper longius, cavitas circularis.

3. *Cauſæ.*
1) Quod caput oſſis femoris non, niſi excuſſione violentiſſima, ex orbita ſua protrudi poſſit, ſequentes rationes ſatis docent.
   a) Os femoris, in acetabulum oſſis *innominati* inſertum, non ſolum in medio hujus hemiſphærii forti ligamento connectitur, ſed etiam in toto ſui ambitu ligamentoſa ſubſtantia firmatur. Præterea motus non adeo liber eſt.
   b) Unde, quando e ſede ſua evellitur hoc os, neceſſario tam denſum illud ligamentum, quo caput illius cum meditullio oſſis innominati junctum eſt, quam tenax illa membranacea ſubſtantia, quæ exterius caput oſſis femoris ambit, debet dilacerari.
   c) Acetabulum eſt profundum, & margo hujus cavitatis cartilagine ſua caput magnum oſſis femoris profunde circumcingit.
   d) Muſculi adſunt validiſſimi, qui hanc junCturam a violentia externa defendunt.
2) Uti autem rara eſt hæc luxatio a cauſis externis, ita facilius contingit a *decubitu humorum*; cujus rei varia apud auctores proſtant exempla.
3) Interdum a *mala conformatione* originem ſumit.
4) Frequentius contingit hæc luxatio in teneris infantibus quam in adultis, ob rationes cuivis perſpectas.
5) *Incompleta* luxatio non æque locum habet, quia tenſio validorum muſculorum capitulum, quod rotundum eſt, a margine acetabuli acuto facile detrahit.
6) Facilius *introrſum* & ſimul aliquo modo *deorſum* verſus foramen magnum hæc luxatio contingit, quam in alias regiones, in quibus acetabuli eminentiæ ſunt majores.
7) Quando *extrorſum* luxatur, facile etiam ſimul per muſculos trahitur.

4. *Prognoſis.*

1) Omnes quidem oſſis femoris luxationes ſunt periculoſæ, periculoſiſſima autem eſt illa, quæ fit ſuper os pubis, quia caput hujus luxati oſſis vaſa comprimit, vnde gravia ſymptomata inducuntur.

2) Quæ a cauſis *internis* dependet luxatio, uti facile reponitur, ita etiam facile de novo producitur.

3) In cauſis externis quam difficilis ſit repoſitio, ob robuſtos præcipue muſculos, ſub fracturis jam indicavimus.

4) His accedit ligamentorum diſruptio, quæ non poteſt non curationem reddere difficilem.

5) Quo magis inveterata eſt luxatio, eo difficilius negotium ſuccedit. *Synovia* enim in cavitate oſſis innominati copioſe colligitur, & vel coagulatione ſui repoſitionem impedit, vel lubricitate ſua os femoris repoſitum de novo protrudit.

6) Repoſitio falſo putata & imperfecta, quæ non ita raro occurrit, perpetuam claudicationem, imo plerumque graviora adhuc pericula, ægris inducit.

7) Luxatio *introrſum* & *deorſum* facta, quando male curatur, aridura pedis ſuccedit, & æger per ſemicirculum extrorſum ſub ambulatione eundem movere cogitur.

8) Luxatio *extrorſum* & *ſurſum* facta, quando male curatur, aridúram quidem pedis, quamquam minorem, etiam inducit, melius tamen ægrotus, calceo exaltato ſuffultus, poteſt ambulare.

5. *Curatio.*

1) Extenſio peragitur vel linteis, vel *loro Hildani*, vel *machina tractoria Vitruvii.*

2) Luxatio *introrſum* facta, tanta quidem non indiget extenſione, quam illa quæ extrorſum contigit, quia os luxatum ſano jam longius eſt, modeſta tamen neceſſaria eſt, ut os femoris ab illo loco, in quem ſeceſſit, poſſit removeri. Sub hac extenſione æger *dorſo* incumbit.

3) In luxatione *extrorſum* facta, ægrotus ventri incumbit, & facta fortiore extenſione, Chirurgus utraque manu, vel etiam genu, caput oſſis femoris in locum ſuum retrudit. Sub hac operatione miniſter quidam inferiorem femoris partem extrorſum cogit.

4) Veræ repoſitionis ſigna ſunt.

a) Quando æger femur extrorſum, introrſum, antrorſum & retrorſum poteſt movere.

b) Quando pes luxatus ſano neque longior neque brevior eſt.

5) Facta repoſitione *faſcia* firma, ante quartum diem non removenda, applicatur, quam tabula tertia deſcripſimus.

6) Ægrotans per integrum menſem maneat in lecto.

XII. *TIBIÆ & ROTVLÆ.*

1. *Differentia.*

1) *Rotula* luxari poteſt, ut *tibia* in loco maneat, *tibia* autem nunquam luxatur, quin *rotulæ* luxatio ſimul contingat.

2) Quando *rotulæ* luxatio, & quidem *ſine tibiæ* contingit, fit illa

a) Vel *extrorſum*, dum cavitas interna *rotulæ* excipit condylum externum femoris.

b) Vel *introrſum*, dum *patellæ* cavitas externa reperitur ſuper condylo femoris interno.

c) Vel *ſurſum*.

d) Vel *deorſum*.

3) *Tibia* quando luxatur, fit

a) Vel *introrſum*.

b) Vel *extrorſum*.

c) Vel *retrorſum*.

d) Vel rarius *antrorſum*, ob cauſam infra dicendam.

4) *Completa* tibiæ luxatio introrſum & extrorſum non habet locum.

2. *Signa.*

1) *Patellæ* luxationes viſu & tactu facile dignoſcuntur.

2) Huic accedit, quod *tibia* decenter non poſſit moveri.

3) *Tibiæ* luxatio generatim e cruris flectendi impotentia dignoſcitur.

4) Speciem vero determinat protuberantia & cavitas in oppoſita regione.

3. *Cauſæ.*

1) Præter cauſas communes notandum, quod *tibia* difficulter luxetur, quia per ginglymum diarthroden cum oſſe femoris jungitur, & ligamenta admodum ſtricta ſunt.

2) *Tibia* extrorſum & introrſum *complete* vix poteſt luxari, quia ſuperficies utrinque lata id non concedit; niſi quidem ruptura ligamentorum per violentiam vehementiſſimam contingat.

3) Tibia *antrorſum* difficillime luxatur. Quatuor enim muſculi, qui tibiam extendunt, in unum tendinem deſinunt, qui rotulam ample-

plectitur & deinde ossis tibiæ tuberculo inseritur; quæ firma rotulæ cum tibia connexio juncturam contra luxationem defendit.

4. *Prognosis.*

Hæc luxatio nisi cito restituatur, facile generatur *anchylosis.* Facile enim ligamenta hujus articulationis lacerantur, unde collectio & coagulatio humoris lymphatici circa hanc juncturam contingit, & illam reddit immobilem.

5. *Curatio.*

1) In repositione *rotulæ* nulla opus est extensione.

2) Reponitur enim in pristinam sedem, quando tibia ita modo extenditur, ut musculi extensores sint ultra suum tonum. Man lasse nur den Fuß gerade ausstrecken und halten. Deinde Chirurgus rotulam comprimit, ut sedem ordinariam repetat.

3) *Tibia* reducitur per extensionem in linea recta, & pro voto succedit operatio; modo Chirurgus durante extensione sit attentus, ut os in pristinam sedem reponat.

4) *Fascia* videatur tabula tertia.

XIII. *FIBULÆ.*

1. *Differentia.*

1) Avelli potest fibula superne a *genu.*

2) Inferne ab *astragalo* tribus modis.

a) Ad anteriora.

b) Ad utrumque latus.

2. *Signa.*

Dignoscitur e tumore, & motus simul læsione.

3. *Curatio.*

1) Repositio facillime obtinetur, & quidem per simplicem manuum propulsionem in plagam oppositam.

2) Sic & deligatio simplex & circularis repetita sufficit, quando in illam partem, in quam fibula prolapsa fuit, splenia cum ferula apponuntur.

3) Quies ad sex hebdomadas, donec ligamenta satis firmata sint, observetur.

XIV. *PEDIS.*

1. *Differentia.*

1) Vel *ad latera* fit, & vocatur *diastasis*, ubi duplex luxatio: Secessus *astragali* & *fibulæ*,

2) Vel

2) Vel *antrorsum*.
3) Vel *retrorsum*.

2. *Causæ*.
Fit sæpius a saltu.

3. *Signa*.
1) Quando *introrsum* facta est luxatiò, planta *extrorsum* versa est.
2) Si *extrorsum*, planta pedis vergit *introrsum*.
3) Cum in partem *anteriorem*, talus est brevis & pedis pars anterior longa apparet.

4. *Prognosis*.
1) Gravia symptomata hanc luxationem excipere possunt, ob plura ligamenta & tendines.
2) Hinc periculose subinde cedit, præsertim, quod vulnus sæpe conjunctum est.

5. *Curatio*.
1) Extenditur pes supremus ab uno ministro.
2) Ab altero ministro tibia in situ suo conservatur.
3) Chirurgus pedem ab uno latere in alterum convertit, donec pes sit restitutus.
4) Denique *spica* applicatur.

TABVLA LXVI.

DE

ARTERIOTOMIA.

I. DEFINITIO.
Arteriotomia est sectio alicujus arteriæ, instrumento artificiose & in certum finem instituta.

II. *METHODUS OPERANDI*.
1. Arteria vel *inciditur* tantum; id quod in arteriis *temporalibus* præcipue fieri solet; vel *dissecatur* in transversum, & quidem in ramulis adentes tendentibus, retro ad maxillam. Hæ enim arteriæ sunt tenuissimæ, hinc plane discindendæ.

2. Fa

2. Facta operatione, præter reliquum deligationis apparatum, diuturnam compreſſionem fruſtulo plumbeo adhibent.

III. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Arteriotomia minus quidem hodie eſt in uſu, non omni tamen efficacia eſt privanda. Latiſſime de hac re videri poteſt *Severinus de efficacia medicinæ*, item *Hildanus*, *Scultetus*, *Botallus*.

2. Commendant autem arteriæ temporalis ſectionem præcipue in frequentibus & pertinacibus *cephalalgiis*.

3. Quid arteriotomia, mature adminiſtrata, præſtare poſſit in *apoplexia*, præcipue juniorum, experientiæ examen & conſiderationem meretur.

4. *Severinus* affirmat, ſe per arteriotomiam ad rariora intervalla reduxiſſe *epilepſiam*.

5. Nonnulli ſectionem *arteriæ* (uti alii *venæ*) in fronte commendant illis, qui *chronice delirant*. Vulgo dicunt: die Naſe = Ader öffnen. Siniſtrum autem aliquoties effectum obſervavimus.

6. *Diſſectionem* arteriæ magis fere, quam *inciſionem* ſuadent Operatores. Tunica enim, præcipue exterior, difficulter conſolidatur; imo ipſa hæmorrhagia ægre compeſcitur, præſertim ſi *inciſio* paulo longior facta ſit.

7. Ob difficilem hanc conſolidationem tunicæ exterioris *aneurysma* facile inducitur; de quo affectu peculiari tabula diximus.

8. Neutrum horum incommodorum contingit, quando arteria prorſus *discinditur*, portio enim abſciſſa in cutim ſubſtratam retrahitur, facilius comprimitur, & denique conſolidatur. Eligatur autem pro hoc negotio exilis, & quantum fieri poteſt, extremus ramus.

9. Dextrum ſane artificem expoſcit arteriotomia. Longe enim difficilior eſt hæc operatio, quam venæſectio, quia arteria non videtur, ſed pulſu tantum tangitur.

10. Hinc arteria in nullo fere alio loco hodie aperitur, quam in *temporibus*, ubi pulſus facillime ſentitur, compreſſio ob cranium certius & ſectio commodius inſtitui poteſt. Antiqui autem in pluribus aliis locis arteriotomiam adminiſtrabant.

11. Sanguis majore quantitate, quam in ſectione venæ, emittitur. Ad integram enim libram ſolent aſcendere; imo antiqui nullum effectum ab arteriotomia credebant, niſi ſanguis ad lipothymiam usque emiſſus fuiſſet.

12. Encheiresis incidendæ vel dissecandæ arteriæ melius ostenditur, quam describitur; & quoniam hæc operatio rarissime in usum trahitur, non erimus prolixi in illa delineanda: paucis tantum indicamus, quod artifex caput ægri declinare, arteriam, quam e pulsu dignoscit, duobus sinistræ manus digitis, non contiguis, in medio quasi continere, & sic puncto illi intermedio sectionem infligere soleat.

13. Ad deligationem illa fascia sumitur, quæ *solaris* audit. *Conf. tab. III. pag. 33.* Post octo circiter dies, imo nonnumquam quatuordecim, removetur.

14. Ceterum quia fidem tot præclaris auctoribus, usum arteriotomiæ attollentibus, in totum denegare non possumus, ipsa autem operatio non minimæ difficultatis est, monendum restat, ut omnia prius tententur, quam ad hoc remedium properemus.

TABULA LXVII.
DE
VENÆSECTIONE.

I. DEFINITIO.

Venæsectio est artificialis apertio vasis cujusdam venosi, peculiari instrumento instituta, & variis usibus, inprimis plethoræ imminuendæ, destinata.

II. *DIFFERENTIA.*

Venæsectio differt

1. Ratione *loci.*

1) Modo enim instituitur in *capite*, vbi venam *frontis* vel *raninas* sub lingua secare solent.

2) Modo celebratur in *brachio*, in quo plerumque *medianam*, rarius *cephalicam*, rarissime *basilicam*, eligunt.

3) Modo in *manu* inter minorem & annularem digitum *salvatellam* secant.

4) Mo-

4) Modo in *pede* inſtituitur, ubi præcipue *ſaphænam*, id eſt ramum internum venæ *cruralis*, eligere ſolent.

2. Ratione *finis* ſeu *uſus*, qui generatim triplex eſt.

1) *Simpliciter evacuatorius*, quando ad plethoram tantum imminuendam venæſectio inſtituitur.

2) *Derivatorius*, ubi in vicinia partis affectæ vena ſecatur, e. g. in angina *raninas* ſecant, peripnevmoniæ per venæſectionem in brachio occurrunt. Sed hæc derivatoria venæſectio requirit fere ordinarie præcedentem *generalem* ſanguinis imminutionem, præcipue in ſtatu valde plethorico.

3) *Revulſorius*, quando vena in partibus remotis ſecatur, e. g. ſi partes ſuperiores congeſtionibus afficiantur, in pede vena inciditur; quando autem inferiores partes affectæ ſunt, in brachio ſæpe venæſectio inſtituitur.

III. *CAUSÆ.*

1. Non quidem facile opus eſſet venæſectione, ſi, ordinante ita Creatore, homines in ſudore faciei panem ſuum comederent. Quoniam autem quam plurimi ab hoc ordine ſe excludunt, neceſſe eſt, vt hoc venæſectionis remedium, minus licet efficax, ſubſtituatur.

2. Hinc quamquam ſint, qui venæſectionem pro remedio ſumme noxio declarent, alii utilitatem duntaxat negent, alii rariſſimum tantum modo uſum concedant, juſtiſſima tamen ratio a priori, & quotidiana experientia a poſteriori, neceſſitatem huius remedii ſatis confirmant.

3. Primariæ autem cauſæ, quæ venæſectionem expoſcunt, ſunt

1) *Plethora*, ſeu abundantia ſanguinis manifeſta. Hæc enim ſpiſſitudini & hinc corruptioni anſam præbet. Ad hoc periculum avertendum natura non ſolum evacuationes ſanguinis naturales ſuſcipit, ſed etiam per artem eſt ſuffulcienda.

2) Inprimis *adſuefacta* illius *evacuatio*, quæ tantæ eſt efficaciæ, ut natura non ſemper acquieſcat moliminibus ſuis, actualem excretionem ſpectantibus, licet plethora per alium modum, e. g. vigilias, jejunium, laborem, morbum remota ſit.

3) Tanto magis, quando *utrumque* conjunctum eſt, nempe conſuetudo cum plethora; maxime ſi *turgeſcentia* ſuperveniat.

4) Non ſolum autem *aſſuefactio artificialis*, ſed & *ſpontanea* per varias

rias hæmorrhagias, præcipue quæ frequentius cum moleſtis moliminibus recurrunt.

5) Reliqua ad *cautelas* reſervamus.

IV. *USUS.*

1. *Generalis.*

1) Venæſectio *directe* reſpicit *quantitatis* ſanguinis *imminutionem.*

2) *Proxime* ab hoc ſcopo *commotionum* ſanguinis *ſublevationem* & *derivationem* verſus alia loca.

3) *Indirecte*, & multo remotius *qualitatis*, præcipue autem *ſpiſſitudinis correctionem.*

2. *Specialis.* Ex hisce generalibus uſibus ſequentes ſpeciales derivantur.

1) Venæſectio tollit *plethoram* & occupat *conſectaria* ejus moleſta, nempe *congeſtiones*, *ſpaſmos*, *febres* &c.

2) *Hæmorrhagiarum vices* ſuſtinet, & molimina illarum operoſa antevertit. Præcipue etiam illos dolores ſedat, qui excretoria loca & viciniam vehementer ſæpe afficiunt.

3) Præcavet, ne ſanguis, quando hæmorrhagiæ naturales ſuppreſſæ ſunt, in *pulmones*, *renes* vel alia loca periculoſa irrumpat.

4) Ante omnia *placat naturam*, quæ ob *conſuetudinem* evacuationem hanc neceſſariam judicat.

3. *Specialiſſimus.* Prodeſt itaque venæſectio ſequentibus in morbis

1) Quando *hæmorrhagiæ* naturales *impedite* fluunt vel prorſus *ſuppreſſæ* ſunt, e. g. in ſuppreſſione hæmorrhagiæ narium, menſium & hæmorrhoidum, in quibus caſibus non ſolum plethoram imminuit, ſpasmodica conſectaria placat, ſed & fluxum ordinatum aliquando præſentiſſime revocat.

2) In *hæmorrhagiis nimiis* vel per *loca periculoſa* erumpentibus, venæſectio *tempeſtiva* ad præſervationem efficax eſt, e. g. in *vomitu cruento*, *mictu cruento* & *hæmoptyſi.*

3) Fœminæ quando abortum cum multa ſanguinis profuſione perpeſſæ ſunt, ſequente autem graviditatis tempore venam ſecare ſinunt, a novo abortus periculo ſæpe præſervantur. Innotuit exemplum, ubi poſt ſextum abortum menſtrua venæſectio tantum effecit, ut bis poſtea feliciter partum excluderet. De venæſectionis uſu in grauidis ſub *cautelis* plura dicemus.

4) Quan-

4) Quando *media* & *adultiore* ætate *congeſtiones* hæmorrhagicæ verſus caput contingunt, venæſectio quam maxime commendatur, nempe in ophthalmia, otalgia, odontalgia, cephalalgia, clavo hyſterico, hemicrania, vertigine, tinnitu aurium, tumoribus tonſillarum, angina, uvulæ procidentia &c. Imo in ipſa *puerili* ætate, accedentibus talibus circa caput incommodis, venæſectio utiliter poſſet adhiberi, niſi quidem Germani abhorrerent.

5) Quando *ſpaſmi* & *molimina hæmorrhagica thoracem* afficiunt, venæſectio non ſolum utilis, ſed & utplurimum neceſſaria eſt. Hoc enim remedio gravia, quæ ſuccedere ſolent, ſymptomata non raro caventur, nempe tuſſis ſicca, aſthma ſiccum, convulſivum, anguſtiæ præcordiorum, palpitatio cordis, catarrhus ſuffocativus; id quod adeo manifeſtum eſt, ut nec illi, qui venæſectionis Patroni non ſunt, præſentem illius efficaciam hic negare poſſint. De *phthiſi* ſub *cautelis*.

6) Quando in *abdomine* excretionem ſanguinis natura molitur, & varii ſpaſmi ac dolores circa hypochondria, uterum & os ſacrum per talia molimina excitantur, nempe univerſus apparatus mali hypochondriaco-hyſterici, ſpeciatim ſuffocatio hypochondriaco-hyſterica, colica hæmorrhoidalis, arthritico-iſchiadico-podagrici affectus, nephritis, calculus, iliaca paſſio, hæmorrhoides cæcæ &c. tunc omnibus hisce pathematibus congruæ venæſectiones ſalutariter opponuntur.

7) *Syncope*, *paralyſis*, *hemiplexia*, *apoplexia ſanguinea*, *gutta ſerena*, *epilepſia* manifeſte aliquando accuſant venæſectionem intermiſſam, eoque ipſo efflagitant illius repetitionem.

8) *Iſchuriam* per venæſectionem præſentiſſime ſolutam fuiſſe, *Riverius* & *Tulpius* teſtantur.

9) De *abuſu* venæſectionis, præcipue in *febribus*, ſub *cautelis* dicemus.

V. *METHODUS.*

I. Supervacaneum cenſemus, *modum operandi* prolixius hic deſcribere, quia ipſis Chirurgorum tironibus ſatis notus eſt. Reſtant vota; ut talis operatio tam feliciter ſemper inſtitueretur, quam per vulgus modus operandi innotuit. Docet enim experientia, quod & excitati ſatis artifices in hac operatione nonnunquam infelices ſint.

2. Prætermiſſis itaque ſupervacaneis ad utiliora properamus, & ſequentia momenta ad *methodum* neceſſaria judicamus.

3. De *tempore* venæſectionis inſtituendæ notamus,

1) Quod vel in *principio* vel in *declinatione* morbi adhibenda ſit.

2) Quando autem in ipſo morbi *incremento* inſtituitur, nihil magnopere efficit.

3) In ſtatu morbi nihil fere juvat. Et licet aliquando efficaciter adhibeatur, hoc tamen habet incommodi, ut de novo affectus fortius & promptius recurrat, atque idem remedium pertinaciter extorqueat.

4) *Extra morbos* aut *paroxyſmos* ad *præſervandum* optime inſtituitur; cui ſcopo tempus *vernale* & *autumnale* commodiſſimum eſt, quia commotio humorum tunc temporis æqualior & generalior imminet.

5) *Matutinas horas* eligere, non improbatur; pro abſoluta autem neceſſitate non habetur. Modo ventriculus cibis non ſit repletus.

6) Ad tempus venæſectionis pertinet etiam, ut *lunæ mutationes* obſerventur; id quod ad ſuperſtitionem non poteſt referri. Nam *decreſcente* luna natura ad dimittendos humores præcipue proclivis eſt. Hinc venæſectio utilius illo tempore inſtituitur, quam *creſcente* luna, quo tempore augendis humoribus natura inhæret, & hinc ægrius fert eorum imminutionem.

4. De *loco* notamus, quod electio illius triplici illa circumſtantia definiatur, quam ſub *differentia* ratione *uſus generalis* indicavimus, nempe

1) Quando plethoram ſimpliciter imminuere intendimus, liberum quidem eſt, ſive in *brachio*, ſiue in *pede* venam ſecare, ob multos autem reſpectus inferiores partes hodie plerumpue præferuntur. *Conf. cautelæ.*

2) Quando congeſtiones pectoris & capitis affligunt, in *pede* inſtituitur venæſectio; quando autem ex inferioribus partibus ſanguinem verſus ſuperiores invitare volumus, e. g. in nimio menſium fluxu, in graviditate &c. tunc vena in *brachio* ſecatur. Quæ enim veteres de *revulſione* & *derivatione* tradiderunt, non prorſus rejicienda ſunt; & licet circulationem ſanguinis non agnoverint, experientia tamen plures veritates ipſius ſuppeditavit.

3) Quan-

3) Quando animus eſt, ad certas partes ſanguinis fluxum dirigere & allicere, tunc venæſectio in parte *vicina* utiliter inſtituitur. Sic v. g. in pede venam ſecamus, quando menſes vel hæmorrhoides revocare cupimus. Idem obſervandum eſt, quando infarctus ſanguinis ob periculum a certa parte derivandus eſt, e. g. in angina ſecantur venæ *raninæ*.

5. De *electione venarum* ſequentia notamus:

1) Selectus ſcrupuloſus, quem ad exilia usque vaſa extenderunt, & *Chinenſes* præcipue ſancte obſervant, ordinarie plane frivolus eſt, & per leges circulationis ſanguinis deletur.

2) Hunc autem reſpectum excipimus, quando in circumſpecta praxi intendimus vel placidam alterationem in ſenſibilibus ſubiectis, vel ex adverſo repentinam & ingentem mutationem. In talibus enim circumſtantiis convenit, ut priore reſpectu e vaſe *exiguo* ſucceſſiva & placida ſanguinis eductio, poſteriore autem e vaſe *capaci* repentinus fluxus reſpiciatur.

3) Hinc quo majorem naturæ alterationem intendimus, eo capaciora vaſa ſunt eligenda, & eo major inciſio eſt inſtituenda. Sanguis enim, citò & copioſe erumpens, magis alterare deprehenditur.

4) Speciatim copioſa talis eductio neceſſaria eſt, quando infarctum periculoſum a certa parte derivare volumus. Hinc in *angina* venam prius in *brachio* ſecamus, quia copioſa evacuatio e raninis, quæ hic neceſſaria, raro obtinetur.

6. De *quantitate* ſanguinis emittendi notamus:

1) Quod certum pondus determinari non poſſit. Variat enim pro regionum, perſonarum vel morborum diverſitate.

2) Senſibiles naturas evacuatio levis levare poteſt, præcipue ſi tempeſtive & repentino effluxu inſtituta fuerit.

3) Nimis parca ventilatio ſæpius nocet. Naturam enim ad intentionem excernendi tantum concitat, & turgeſcentiam ſanguinis inducit.

4) Nimis copioſa & ſæpius repetita evacuatio Gallorum, Anglorum &c. apud nos improbatur. Licet enim magnam ſanguinis jacturam natura perferre poſſit, varia tamen incommoda per talem abuſum introducuntur, & natura, præcipue quando extra æquinoctialia tempora copioſe inſtituitur, debilitatur. Excipimꝰ autem pau-

cio-

ciores casus, in quibus menstruæ venæsectiones se commendare solent; de quibus dissertatio legi potest, quæ quæstionem solvit: *num frequens venæsectio magis in calidis quam frigidis regionibus locum habeat.*

5) Convenit ordinarie ab unciis quatuor ad septem usque uncias in climate Germanorum evacuare. Notandum autem, quod sanguis pondere longe gravior sit, quam alii liquores. Hinc si v. g. illam portionem, quam in gravidis toto fere die innoxie emittimus, & ordinarie ad 4-5 uncias tantum æstimamus, ponderemus, sex vel septem uncias habebimus.

6) In *pedibus* majorem semper quantitatem, quam in brachiis emittere possumus, ob minorem ibidem sensibilitatem.

7) Emissio largior analepticis facile & paucis diebus resarcitur.

8) *Curative* largam natura exposcit evacuationem, *præservative* autem parca quantitate sæpe placatur.

7. Ratione *subjectorum* diversorum sequentia notentur:

1) Quæ subjecta animo & corpore sensibilia sunt, illis sanguinis evacuationes circumspecte commendentur. Facile enim natura in præcipitem assuefactionem & motuum vitalium turbationem per illas conjicitur; cujus rei notabilia in praxi occurrunt exempla. Præstat potius sanguinem imminuere per motus placide consumtorios.

2) Quæ subjecta copiosum sanguinem in *vasis* habent, in illis præ aliis venæsectio locum habet, uti scarificatio in spongiosis.

3) Quibusvis subjectis, præcipue junioribus, leves ob causas, venæsectionem suadere, incongruum est. Repetitus enim illius usus infert consuetudinis necessitatem. Removeatur potius plethora per temperantiam & laborem.

4) Quibus hæmorrhagiæ commodo loco & legitima quantitate succedunt, illis venæsectionem commendare non necessarium, imo ne utile quidem semper est.

5) Neque intentio est, ut venæsectio in illis morbis, quos sub usu recensuimus, semper & promiscue commendari debeat, sed in illis tantum subjectis, in quibus alia remedia constanter non sufficiunt, aut ubi symptomata, sæpius revertentia, talem præservationem requirunt.

6) *Seni-*

6) *Senibus* vegetis, ſuccolentis, venæſectioni adſuetis, ad annum usque octogeſimum talem ventilationem commendare, minime noxium eſt. Contrarium vero plerumque. Sic notus eſt vir 84 annorum, qui, cum adſueram venæſectionem ſuaſi aliorum bis prætermiſiſſet, ſyncoptico affectu quavis vice corripiebatur, poſt venæſectionem autem reſtituebatur.

7) *Phthiſicis* balſamum vitæ per venæſectionem prorſus ſubtrahere velle, plurimi quidem auctores hactenus improbarunt, experientia autem illorum rationes ſatis refutat. *Conſer. tab. med. de phthiſi.*

8. Ratione *inſtrumenti* notamus,

1) Quod, quando in *brachio* vena ſecanda eſt, *lanceola* commodior ſit, cavendo tantum, ne acumen infixum ſurſum vibretur; id quod dolorem parit, ſed potius in *linea recta* promoveatur.

2) Quando autem in pede vena ſecatur, certiorem fere uſum habet inſtrumentum illud, quod german. vocatur der Schneller. Proſtat hodie tale ſcalpellum, quod *pinna elaſtica* præditum eſt.

9. Ratione *ſymptomatum* ſequentia notamus.

1) Quando vena ex *altera* etiam parte perforata eſt; id quod vulgus exprimit: die Ader iſt durchſtochen, & in profundiore tali læſione muſculus ſimul læditur, præcipue in tendinoſa parte vel circa tendinem, facile *ecchymoma* oritur. Sanguis enim e ſubtiliſſimis vaſculis circum circa effunditur, ibidem reſtagnat, lividum colorem exhibet, & plexus talium vaſorum, copioſo ſanguine infarctorum, poſſunt numerari. Adverſus hunc affectum, inprimis recentem, efficaciter adhibentur

a) Spiritus vini *camphoratus*, qui diſcutit & reſolvit.

b) *Sacculi* e reſolventibus & diſcutientibus in vino leniter coctis parati. Tepide applicantur, & poſt aliqualem refrigerationem de novo calefieri debent. Parantur autem

α) E *radicibus* ireos Florent. bryon. ſigill. Salom. caryophyll.

β) Ex *herbis* chærefol. bellid. minor. hyſſop. ſaponar.

γ) E *floribus* chamomill. melilot.

δ) E *ſeminibus* fœniculi, aniſi.

c) *Urina* recens calida, deficientibus aliis.

d) Chirurgi quidem, ad occupandum hoc ſymptoma, ante venæ-

sectionem brachium inungunt *unguento* vel *oleo populeonis*, sed sine omni efficacia.

e) Quando subjacens tendo non est vulneratus, periculum non imminet; vulnerato autem tendine supra dicta quantocyus sunt applicanda.

2) Quando *nervi punctura* e dolore continuante & mox succedente tumore inflammatorio suspicienda est, convenit ipsi vulneri adhibere *oleum terebinthinæ*, secundum *Paræum*, qui Regem Galliæ ita curavit, vel, deficiente hoc, *cerumen* aurium usu veniat.

3) Quando *arteria* vel loco venæ vel cum vena læsa est, dextra tantum *deligatio*, cum notabili præcipue *compressione*, requiritur. Adhiberi potest *globulus sclopetarius* in latum diductus, vel *moneta argentea*, spleniis supposita. Vulnus ante tertium vel quartum diem non religetur. Conferantur ea, quæ tabula de *hæmorrhagiis vulnerum* de hac arteriæ læsione diximus.

4) Quando autem *aneurysma* arteriæ læsionem excipit, tractatur illud secundum methodum, quam tabula de *aneurysmate* exhibuimus.

5) Quid faciendum sit, quando *lipothymia* post venæsectionem accedit, tabula medica de lipothymia indicavimus.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quamquam multa, quæ hac tabula exhibentur, ad *therapiam* magis *generalem*, quam *chirurgiam instrumentalem* pertinent, ob insignem tamen usum illa hic prætermittere noluimus; præcipue, quia venæsectio tam multis abusibus subjecta est; quo intuitu omnes illas observationes hac tabula consignamus, quæ ad tollendum talem abusum ansam præbere nobis videntur.

2. Primo autem loco accusamus abusum venæsectionis in *febribus acutis*, qui tantus est, ut re vera asseverare liceat, multos ægros hac ratione trucidari. Hinc tanto magis convenit, hanc materiam fusius explicare.

1) Febres acutæ versantur in secretione & excretione materiarum, quæ sanguinis & vitalium partium mixtioni corruptionem minantur, vel lene initium jam sumserunt.

2) Hæc secretio & excretio pro diversitate causarum differt.

a) Alia enim ad *colliquationem sanguinis in serum*, & hinc exonerationem per urinam & sudorem tendit.

b) Ali

b) Alia ad ſubtilium *halituoſorum miaſmatum* e ſanguine ſecretionem & jugem lenem excretionem per *tranſpirationem halituoſam* vergit.

c) Alia per *ſucceſſiuam expreſſionem* materiæ talis eryſipelaceo-apoſtematoſæ ad ſuperficiem corporis per *exanthemata* progredi neceſſe habet.

d) Alia ad ſinceram *ſanguinis exonerationem*, & quidem *criticam*, pertinaciter inclinat.

e) Alia *vomitoriis*, alia *catarcticis* excuſſionibus intenta eſt, &c.

3) Si jam febris aliqua *exhalatione*, *ſudore*, *exanthematibus* ſolvi debeat, venæſectio autem inſtituatur, debita illa & unice neceſſaria ſecretio & excretio ſufflaminatur, & febris funeſtum plerumque eventum ſortitur.

4) Nota enim ſunt *ſigna*, quæ hæmorrhagiam e. g. narium criticam præcedunt, quod ſcilicet alvus ſit adſtricta, urina imminuta, pallida, vel prorſus retenta, cutis ubique ſtricta; quæ omnes circumſtantiæ ſufflaminant tranſpirationem, ſudorem, & exanthematum eruptionem. Imo materiam ſecretam, & in actu excretionis conſtitutam, ad interiora reſtringunt, præcipue ad caput, meninges, cerebrum, fauces.

5) Unde harum partium inflammatio eryſipelatodes, deliria, comata, lethargi, convulſiones, prunellæ, aphthæ, hæmorrhagiæ nihil ſublevantes, & mors die vel ſeptimo vel undecimo, vel inter hoſce, ſucceduut.

6) Licet non certiſſime apud omnes, apud plures tamen. *Conf. diſſert. Stahlii de venæſectione in acutis.*

7) Imminuitur aliquo modo hoc periculum, quando poſt venæſectionem ſudores intenduntur.

8) Experientia docet, quod febres acutæ *continuæ*, ex ſua indole ad evacuationes ſanguinis ordinarie non tendant. Quando autem, obſtimulum aliquem vel individualem diſpoſitionem, in nonnullis accedunt, febrem minime tollunt, imo ne mitigant quidem. In *malignis* autem, ſine copioſa materia exanthematicis, petechialibus & peſtilentibus, hæmorrhagiæ nullum commodum adferunt, ſed longe facilius grave detrimentum, imo ipſam mortem.

9) *Sydenhamus* de febribus *epidemice* graſſantibus adnotavit, quod in

illis, quibus per initia vena secta fuerit, circa dies criticos vires ad hunc actum, ut ille interpretatur, deficiant.

10) Quod autem *variolæ* & *morbilli* venæsectionem facilius tolerent, imo sponte aliquando innoxie affectent, hoc tribuendum est copiosæ & crassæ horum affectuum materiæ, a cujus excretione intenta natura non ita facile dimovetur, ad nudam aliquam sanguinis ventilationem.

11) In febribus *inflammatoriis* num venæsectio necessaria, imo utilis & tolerabilis sit, dissentiunt auctores. Est autem res, quæ Medici, non Chirurgi, judicio relinquitur.

12) In *vulnerariis* necessitatem utplurimum adstruunt Chirurgi, quos ita suffulcit *Schelhammerus*, ut sine conscientiæ læsione venæsectionem prætermitti non posse arbitretur. Enim vero multas febres vulnerarias sine venæsectione feliciter superari, experientia docet. Hinc usus magis, quam necessitas, statui potest.

13) Unica *continens* seu *synocha* videtur directe postulare venæsectionem. Sed raræ admodum sunt apud nos *continentes simplices*; in *synocha* autem antiquorum *putrida*, id est, *continente* cum *continua* complicata, longe dispar est respectus.

14) Licet autem rationi admodum consentaneum videatur, quando plethora, propter quam natura erroneos & febri sæpe noxios motus suscipit, per venæsectionem imminuatur, premit tamen illam hæc præcipua difficultas, quod per tale remedium natura provocetur ad sanguinis sive resolutionem sive exonerationem sinceram, diebus criticis perpetrandam; quo ipso autem reliquis specialissime convenientibus excretionibus justo successu non incumbit.

15) Exigua sanguinis quantitas, quæ per venæsectionem apud nos emittitur, tanto magis stimulat naturam, ut ejusmodi evacuationem ulterius tentet. Hæc est ratio, quod apud *Gallos* venæsectio tam sæpius mortem non adferat, quam apud *Germanos*: illi enim largas & frequentes evacuationes uni febri opponunt.

16) Quid vero in *malignis* hæc methodus possit, bona conscientia non licet experiri. Nota quidem est spes *Sydenhami* de venæsectione *Galenica*, quæ ad lipothymiam usque extenditur, in febribus pestilentibus, sed opinioni suæ magis, quam experientiæ, in hoc passu indulget.

17) Ne-

17) Nemo ſane ſuſtinet hodie affirmare, quod venæſectio in *peſte* remedium infallibile præbeat, minus autem ſalutariter illam tolerant debiles, teneri & evacuationi huic non adſueti, præcipue quando principium morbi jam prætergreſſi ſunt. Hinc tale remedium, in quod fiduciam collocare non poſſumus, temere tentare non licet.

18) Ipſi Patroni venæſectionis conſentiunt, quod ſub initium morbi illa ſit inſtituenda. Unde e claſſicis auctoribus, ſi *Botallum* excipiamus, nemo poſt *ſigna coctionis*, id eſt, tertium vel quartum diem, hanc ventilationem commendat. Coctio enim, ceu bonus ſucceſſus ſecretionis heterogeneitatum e ſanguine, quando apparet, maluerunt ſeceſſiones illarum materiarum potius præſtolari, quam ſinceri ſanguinis quantitatem leviter delibare. Nam experientia illos docuit, quod natura a methodo ſanguinis depuratoria ad alteram erroneam viam facile inclinet, nempe ad quantitatem imminuendam.

19) Itaque univerſum negotium ſequentibus complectimur.

a) Venæſectio in febribus acutis (excepta, non tamen abſolute, *continente*) nunquam eſt neceſſaria, niſi adſit graviſſima plethora, præcipue commota, vel circumſtantiæ climatis, & conſuetudinalis temporis accedant.

b) Venæſectio in acutis plerumque male cedit, niſi quantitate proportionata inſtituatur, & methodus diaphoretica ſubjungatur.

c) Modus autem, quo noxium effectum inducit, ſunt exundationes illæ, quæ circa dies criticos verſus caput contingunt. Unde repetitionem illius in tali caſu & tempore neceſſitas ſæpe urget, ita ut ſub lingua raninæ ſecandæ, & discutientia, imo repellentia ſubjungenda ſint.

3. *Botallus*, præter id, quod venæſectionem ad febres curandas commendet, ſuadet, ut in æſtu paroxyſmi maximo & quidem largiter illa inſtituatur. Sed quia natura ſub æſtu paroxyſmi in diſſolvenda aliqua ſanguinis quantitate maxime occupata eſt, quam deinde partim per urinam, partim per ſudorem ejicere intendit, a ſpeciali tali intentione laborioſa facile abducitur.

4. Poſt venæſectionem *refrigerantibus*, ut moris eſt, febrem inhibere

velle, periculum auget, diaphoretica potius evacuatio cum regimine congruo quovis modo respicienda est.

5. In febribus *intermittentibus* venæ sectio tantum quidem, quantum in acutis, non involvit periculum, directum tamen non habet locum. Præterea, si versus paroxysmum instituatur, febrem facile turbat.

6. In *motibus spastícis* non æque sollicite expendendum est, num *quantitas* sanguinis urgeat; sufficit, quod natura ad exitum præfracte tendat, & ita motibus talibus indulgendum. Non solum enim *plethora*, sed *motus* venæsectionem indicant.

7. *Temporaria* sanguinis *turgescentia* non ita presse efflagitat venæsectionem. Quando autem *physica abundantia* simul conjuncta est, tanto magis necessaria erit.

8. *Tempus* venæsectionis prudentissime dijudicandum est. Sin secus, in præsens tantum juvat, in futurum facile lædit.

9. Quando animi pathemata morbum quendam fovent, venæsectio minus efficax est, licet plethora per eandem sit imminuta.

10. Venæsectio *adsueta* repeti debet, non solum pristinæ indicationis, sed & consuetudinis lege. In sensibilibus enim hoc indicationis genus ita prævalescit, ut, si vel maxime plethora alio modo consumi possit, hæc adsuefacta evacuatio non eadem facilitate a natura oblivioni tradatur.

11. Hinc non mirandum, quando post neglectam talem adsuetudinem natura post aliquot adhuc annos memoriam hujus evacuationis per varia molimina spastica, præcipue circa locum factæ incisionis, testatur; quibus sane incommodis per repetitam venæsectionem optime consulitur.

12. Si itaque venæsectio adsuefacta nullum evidentem & positivum usum habere videatur, præoccupat tamen gravia illa incommoda, quæ neglectam talem evacuationem certo consequuntur.

13. Unica sanguinis congrua evacuatio plus subsidii sæpius adfert, quam innumera remedia resolventia, præcipitantia, acrimoniam corrigentia, nervina, roborantia, anodyna &c. Et licet sola venæsectio miracula non faciat, ut æger ab universo suo malo simul & semel eripiatur, præsentaneam tamen adfert sublevationem, quando congruo tempore, ordine & loco administratur.

14. Certior est effectus venæsectionis in *pede* ad sublevanda varia pathemata in reliquo corpore, in primis in partibus superioribus, ac

red-

redundantias quaslibet, circa & versus illa loca, prompte mitigandas.

15. Quod ad *encheireses* venæsectionis attinet, adhuc notamus, venæ turgefactæ digitum imponendum esse, ne volutare possit. Facta incisione cuspis scalpelli non debet attolli, sed directe extrahi. Incisio non secundum *longitudinem*, neque plane per *transversum*, sed paulum *oblique* fieri debet.

16. Cavendum autem, ne vena in *divaricatione* secetur. *Valvula* enim, quæ adest, sanguinis fluxum intercipit, & nihil emittit, unde nodi & tumores oriuntur; ramulus potius in *medio* secandus est.

17. Quælibet vena in *pede* conspicua *sine selectu* assumi potest, modo satis capax sit, alias accedente aëre evanescit, quam primum pes ex aqua calida extrahitur.

18. Sic etiam in *brachio* non necessarius est scrupulosus selectus; modo caveatur, ne *tendo*, qui sub vena *mediana* positus est, lædatur. Sic etiam in sectione venæ *basilicæ* circumspectio adhibenda, ne subjacens arteria capax & nervus substratus lædantur. Hæc est ratio, quod tironibus *cephalicam* venam secandam pro primo exercitio soleant tradere, in hac enim nihil adeo timendum est, si modo eandem cum *mediana basilica* haberet capacitatem.

19. *Exiguum vulnusculum* duo inprimis habet incommoda.

1) Longior effluxus, qui ad debitam quantitatem evacuandam necessarius est, in sensibilibus facile lipothymiam efficit.

2) Effluxus debilis debilem habet efficaciam, naturam enim ita non alterat, uti alacrior.

20. Quando osculum in venæsectione non satis fuit apertum, vel prope valvulam incisio facta est, in nucis magnitudinem vena secta sæpius intumescit. In tali casu absit trepidatio. Fortior enim *ligatura* cum *splenii*, spiritu vini camphorato imbutis, tumorem hunc dissipabit.

21. Num *lanceola* in cuspide incurvata, quam nonnulli *Gallorum* hodie in usum trahunt, & hac ratione læsionem partium substratarum evitare sperant, reliquis instrumentis, usu receptis, præferenda sit, ipsis operatoribus dijudicandum relinquimus.

22. Quando prima vice vena cuidam secatur, in suprema regione (modo non adsit divaricatio) secanda est. Quando autem futuro tempore

hæc

hæc evacuatio repetenda venit, tum *infra cicatricem* sectionem instituendam commendant. Judicant enim, cicatricem vasculum circa sui punctum reddere angustum, & hinc sufficientem sanguinis effluxum facile impedire. Ast toto die in contrarium agunt Chirurgi, & nonnullarum venarum conditio hoc monitum excludit.

23. *Galli* nonnulli post venæsectionem hauſtum aquæ frigidæ sumunt, cujus loco *Germani* potu calido thée vel coffée potius utantur.

24. Placidus post venæsectionem *motus* quieti præferendus est, nisi quidem specialia adsint impedimenta. Sub somno vena facilius læditur, quam vigilando.

25. Cautela venæ sectionis in pede apud nondum maritatas omnibus fere nota est. Licet autem nihil temere hic suscipiendum sit, sciendum tamen, quod, si vel omnino gravidis talibus ex inscitia secta fuerit, voti tamen, si quantitatis modus servetur, rarissime compotes fiant.

26. Caveat Chirurgus, ne instrumento illo apud sanum utatur, quod paulo ante apud contagiosum adhibuit; nisi quidem sollicite prius absterſum fuerit.

27. De *divinatione* ex emisso sanguine notandum, quod vanæ hominum opinioni plurimam partem superstructa sit. Multæ enim externæ circumstantiæ sanguinem talem mirum in modum possunt alterare.

28. Tandem de utilitate venæsectionis in *gravidis* specialius dicere restat.

1) Plethoricæ, otiosæ, præcipue quæ nuper nuptæ sunt, & quibus antea menses recte atque largiter fluxerunt, a levioribus causis abortum non raro incurrunt, nisi status plethoricus infringatur.

2) Tempore enim gestationis graves pasiones hypochondriaco-hystericas plethoricæ tales incurrunt, videlicet angustias præcordiorum, anxietates, commotiones febriles, cephalalgias, somnum inquietum, dolores arthriticos, crurum varices, adstrictionem alvi, flatulentiam, colicam, stranguriam, vomitiones; tandem partum difficilem & vitia lochiorum.

3) Ad hæc incommoda præcavenda multum valet venæsectio, si vel ante vel paulo post conceptionem illa instituatur.

4) In quibus autem plethora non adeo insignis est, quæque in progressione demum gestationis oppletivas angustias, sub levi cor-

po-

poris motu reſpirationem difficilem reddentes, incurrunt, illæ medio graviditatis tempore venæſectionem admittere poſſunt.

5) Imo circa ultimos calculi dies locum adhuc habet venæſectio, quando prioribus menſibus neglecta fuit, præcipue in illis, quæ tali evacuationi adſuetæ ſunt.

6) Tacemus, quod apud Germanos uſu hodie etiam veniat, bis vel ter venam in gravidis plethoricis ſecare; id quod cujusvis Medici directioni & circumſpectioni relinquitur.

7) De menſtrua venæſectione, ad abortum habitualem præcavendum, diſſertatione quadam actum eſt. Item de vena in pede gravidarum tuto & utiliter ſecanda. Utrinque ſub præſidio *excell. Alberti.*

TABULA LXVIII.

DE

SCARIFICATIONE.

DEFINITIO.

Scarificatio eſt evacuatio ſanguinis e poroſa partium ſubſtantia, ſub qua operatione Chirurgus inſtrumento appropriato plura vulnuſcula cuti infligit, & deinde per cucurbitulas, flammæ prius admotas, ſanguinem educit.

DIFFERENTIA.

Scarificatio differt

. Ratione *loci*.

1) Modo enim magis ſuperiores, modo inferiores partes eliguntur.

2) Fit proinde modo in ſcapulis & brachiis, modo in natibus, femoribus & ſuris.

3) *Ægyptii* multis in morbis, præcipue acutis, *nares* & *gingivas* ſcarificant.

, Ratione *cucurbitularum*.

1) Alia enim fit *cum* cucurbitulis, iisque
   a) Modo *cruentis*.
   b) Modo *incruentis* seu *ventosis*, sine scarificatione appositis, germ. trockene Köpffe.
2) Alia fit *sine* cucurbitulis, & quidem in membris gangræna vel sphacelo obsessis. Hanc scarificationem vocant *Chirurgicam*, quia a *Chirurgis* lanceola peragitur; priorem autem *Balneatores* hodie sibi sumserunt.

3. Mentio etiam hoc loco facienda est de *acu punctura Chinensium & Japonensium*. Hæc enim a scarificatione multum non differt. Pungunt nempe varias corporis partes acu aurea vel argentea, & hanc sanguinis evacuationem quam plurimis morbis, loco scarificationis & venæsectionis, opponunt.

III. *USUS*.

1. Scarificatio præcipue conducit in *stagnatoriis* humorum *exundationibus* levioribus, & particulatim sese exserentibus, atque a vitio seri & lymphæ plurimum dependentibus, e. g.
   1) In efflorescentiis corporis, speciatim faciei varoideis, *gutta rosacea*, germ. Finnen appellatis.
   2) In ophthalmiis acribus salsis, sæpe recrudescentibus.
   3) In doloribus capitis tendentibus magis & gravantibus, quam lancinantibus.
   4) In tinnitu aurium cum hebetudine auditus.
   5) In parotidum inflammatoriarum recursu.
   6) In scapularum doloribus compressoriis.
   7) In furunculis & similibus sporadicorum apostematum molestiis.
   8) In scabie.
   9) In palpitatione cordis. *vid. Stahlii* diss. de V. S. in pede.
   10) In morsu animalium rabidorum & venenatorum.
2. Confert præterea in affectibus pertinacibus *spasmodico arthriticis*, circa partes carnosiores infestantibus; de qua re sequentia notanda sunt.
   1) Præmittitur primarum viarum repurgatio & sanguinis contemperatio.
   2) Ipsa pars affecta scarificatur, præcipue si aliqua intumescentia conjuncta sit; de qua re *Celsus* libr. IV, cap. 22. legi potest.

3) Spe-

3) Specialis etiam commendatio a multiplici experientia in A. N. C. dec. 2. ann. 5. obſerv. 64. & 65. hac de re legitur.

4) Similis obſervatio & præſcriptio hujus remedii, ſcarificationis nempe, absque tamen cucurbitulis, & non tam in paroxyſmis, quam in *puncto novilunii* inſtituendæ, legi poteſt in *Gottfr. Kirchii* calendario, in quo anno 93. & 94. repetito commendatur.

IV. *METHODUS.*

1. De *modo operandi* multa dicere non eſt neceſſarium. Sciunt enim omnes balneatores, quod ſcalpello ſedecim circiter vulnuſcula in exiguum quaſi circulum infligantur, deinde cucurbitula, expulſo per flammam aëre, applicetur, repleta aliquo modo evacuetur, de novo adhibeatur, inciſiones aliquoties repetantur, atque hac ratione ſufficiens ſanguis educatur.

2. Mittemus itaque has ubique notas encheireſes, & alia magis neceſſaria loco illarum ſubſtituemus.

3. *Quantitas* ſanguinis evacuandi convenit generatim cum illo pondere, quod in venæſectione reſpicimus; ſpeciatim autem *cauſæ* debet eſſe proportionata. Circumſcribitur plerumque ipſo ſucceſſu a poſteriori, dum ſucculentis plus, ſiccioribus autem minus fluit, cui defectui conſulitur repetitione inciſionum, ſi circumſtantiæ requirant. In ſiccioribus autem magis venæſectio, quam ſcarificatio, ſolet adhiberi.

4. *Profundæ inciſiones* multum incommodi poſt ſe trahunt, præſertim ſi cutis non ſit denſior. Fundatur hæc res in minus dextera manuum applicatione, hinc vulgo conqueruntur: der Bader habe eine ſchwere Hand.

5. Sanguis *ſpiſſus* per levia vulnuſcula ad votum non excernitur. Unde in tali caſu convenit ſufficientem corporis motum per aliquot horas præmittere, locum ipſum aliquamdiu blande fricare & adſperſa aqua calida fovere, ut ſanguis fluidior reddatur, & acceſſus illius ad partem alliciatur.

6. Quibus autem in ſcarificatione ſanguis plane non procedit, ſed *ichor* tantum, loturæ carnium inſtar, excernitur, illis opus eſt, ut ſanguis mucidus, grumeſcens, cum ſero male ſubactus attenuetur per balſamica & acriuſcula ſcorbutica, conjuncto corporis motu, e. g.

per gummi-reſinas, interpoſitis ſalibus volatilibus plus minus oleoſis, ſive aromaticis, ſive empyrevmaticis rectificatis.

7. Verſus ipſam autem ſcarificationis horam, præter corporis motum, prodeſt hauſtus vini calidus & frictio placida, diuturna.

8. Poſt ſcarificationem, inprimis profundiorem, conducunt *linimenta* & *inunctiones*, in quem finem *oleum ovorum*, præcipue cum modico *camphoræ* mixtum, omnibus aliis præferendum eſt.

9. Quando *inflammatio* impendet, convenit in *peripheria* applicare ſpiritum vini camphoratum.

V. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Circumfertur hodie *inſtramentum* quoddam ſingulari modo fabrefactum, quo ſedecim vulnuſcula unica preſſione poſſunt infligi. Quoniam autem omnia acumina æqualem planitiem & ſitum habent, ſie liegen alle gleich, cutis vero in medio ſcarificationis loco ordinarie attollitur, & circa ambitum deprimitur: tum quando cuti inæquali admovetur inſtrumentum æquale, illa in medio loco plus, quam par eſt, pertunditur, ita ut ſubſtrati muſculi ſæpe vulnerentur. Ad hoc præcavendum preſſione quadam inæqualitatem corrigere ſtudent.

2. *Scalpellum* poſt ſcarificationem ſollicite ſemper *detergatur*. Satis enim experientia teſtatur, quod per talia impura & non abſterſa inſtrumenta, quibus contagioſo morbo laborantes ſcarificati fuerunt, inquinamenta cum aliis communicentur. Hæc obſervatio in balneis publicis quam maxime locum habet. Speciales hujus rei caſus occurrunt in M. N. C. & *Gregorii Horſtii* epiſt. med. libr. 2. ſect. 6. de Balneatore, qui veneno homines ſub ſcarificatione malitioſe interfecit.

3. Ad *tempus generale* ſcarificationis quod attinet, *luna decreſcens* ordinarie & generatim reſpicitur. Tempus autem *ſpeciale* variat pro cauſæ exigentia & conſuetudinis ratione. Quando autem *curative*, aut contra affectum in proxima potentia conſtitutum ſuſcipitur, tempus variat pro variatione talium circumſtantiarum.

4. *Locus ſpecialis* eſt circa partes paulo *carnoſiores*, ubi illam muſculorum regionem plerumque eligunt, quæ verſus tendines deſinit; licet nullum adeo momentum involvat.

5. *Conſuetudo*, uti in venæſectione, ita etiam in ſcarificatione multum valet. Quando enim adſuefacta hæc evacuatio negligitur, tum vel

pri-

pristini affectus recrudescunt, vel, si nulli adfuerint, novi, speciatim spastici, excitantur.

6. De *numero cucurbitularum* adhuc notamus, quod ordinarie sex vel octo soleant adhibere.

TABVLA LXIX.
DE
TRANSFUSIONE SANGUINIS.

I. *DEFINITIO.*

Transfusio sanguinis est artificiosa hujus liquoris, e corpore sano in ægrum derivatio, sanandis quibusdam morbis destinata.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Distinguunt auctores inter chirurgiam *infusoriam* & *transfusoriam*.
2. Per *infusoriam* intelligunt, quando *medicamina liquida* in venas, per incisionem apertas, injiciuntur; de qua operatione tabula de *injectione humorum* plura dicemus.
3. Per *transfusoriam* autem intelligunt ipsum *sanguinem*, ex animali quodam sano corpore in morbosum transfusum; de qua operatione hac tabula agemus.
4. Desumebant autem hunc sanguinem modo ex *hominibus*, modo ex ipsis *brutis*, pro diversitate respectuum & morborum, quibus oppugnandis talia remedia destinabantur.

III. *CAUSÆ.*

1. Sanguinis vitiata *qualitas* quoniam prioribus temporibus magis, quam ipsius excedens *quantitas*, respiciebatur, & pro plurimorum morborum causa accusabatur, *transfusio sanguinis*, cujus inventionis laudem *Lowerus* aliis dubiam reddere conatur, tanto majore applausu arripiebatur.

2. Hac enim ratione fieri posse credebant, ut sanguis corruptus brevi tempore corrigatur, imo universa corporis œconomia in melius muretur.

3. Hinc non solum in morbis, a vitio *lymphæ* & *seri* dependentibus, verum etiam in febrilibus, arthriticis affectibus & præcipue in hæmorrhagiis nimiis *transfusionem sanguinis* adhibebant; quo exiguo autem in quamplurimis casibus successu, historiæ docent. *Conferatur Mercklinus de ortu & occasu transfusionis sanguinis.*

IV. *PROGNOSIS.*

1. Transfusio sanguinis sub initium quidem inventionis magnum applausum inveniebat, quoniam autem exoptatus successus non sequebatur, altum jam apud plerosque auctores hac de re est silentium.

2. Difficultates, quæ obstant, partim in ipsa operatione, partim in ratiocinatione sunt fundatæ.

3. Operatio carnificinam secum ducit. Insertio enim tubulorum intra vasa incisa non potest non eximiam inferre sensibilitatem. Et licet tubulo huic incommodo nonnulli substituerint *arteriam asperam* gallinaceam, utpote flexilem, difficultas tamen non tollebatur.

4. Præterea ipsi ratiocinio adversatur hoc remedium. Nam sanguis immissus per ipsos tubulos tarde procedit, hinc in coagulum facile deducitur.

5. Solas hæmorrhagias, easque notabiliter excedentes, excipimus. Si enim æger quidam per easdem exhaustus esset, transfusio sanguinis rationalem haberet locum, e. g. in vulneribus gravi hæmorrhagia conjunctis, item in criticis immoderatis evacuationibus & lochiis re vera nimiis.

6. Ubique autem non tam e brutis, quam ex *hominibus* sanguinem sumendum, & ita in malo *ancipiti anceps* potius quam nullum plane remedium adhibendum esse censemus.

V. *METHODUS.*

1. Ægro venam in brachio secabant, & factæ huic aperturæ tubulum, versus cor respicientem, applicabant.

2. Eodem momento in homine quoque sano venæsectionem in brachio instituebant, & aperturæ tubulum, sed versus extremum manus di-

rectum

rectum inferebant. Nonnulli loco hominis sani ovem vel aliam bestiam eligebant, & *arteriam* in collo præcipue secabant.

3. Tubuli ita erant adaptati, ut unus alterum excipere, & hac ratione sanguis e corpore sano in ægrotum derivari poterit. Nonnulli arteriam *asperam* vel *carotidem*, e gallina desumtam, adhibebant.

4. In ægroto præmittebant vel conjungebant venæsectionem in altero brachio, ut, educto sanguine corrupto, sanus liquor spatium inveniret.

5. Hanc operationem post aliquot hebdomadas repetendam commendabant, donec æger esset restitutus.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Ortus* transfusionis sanguinis uti splendidus erat, & tanquam exoptatissimum corrigens qualitatis corruptæ arripiebatur, ita celerrimus hujus inventi *occasus* litem illam, quam de gloria inventionis nonnulli auctores habuerunt, facile placare potest.

2. Magna enim de hoc remedio elogia, quæ ad totius temperamenti immutationem & vitæ prolongationem sese extendebant, mox obmutescebant, cum tristi & delirioso successu in nonnullis applicatum esset.

3. Unde publico in Gallia edicto transfusio sanguinis prohibebatur.

TABULA LXX.

DE

HIRUDINUM APPLICATIONE.

I. *DEFINITIO.*

Applicatio hirudinum est species evacuationis sanguinis sinceri per animalcula illa reptilia oblonga, in aquis degentia, quæ ore suo calloso, dentibus instructo, variis corporis partibus, præcipue autem intestino recto, apponuntur, ut per suctionem illorum certa sanguinis portio evacuetur.

II. *DIF-*

II. *DIFFERENTIA.*

1. Ad climacum tribum hirudines referri poſſe videntur; de quarum *dentibus* disceptatio apud *Bonanum* in curioſa hiſtoria conchiliorum reperitur.

2. Dividere ſolent hirudines

1) In *benignas*, quæ ſunt coloris ſubviridis & dilute flaveſcentis in dorſo, in ventre autem paululum ruffeſcentis. Atque hæ in aquis puris & fluentibus præcipue quærendæ ſunt.

2) In *malignas* ſeu *virulentas*, quæ habent colorem ſatis ruffum, nigricantem, aut valde fulvum, & in dorſo maculas obſcure liveſcentes. Hæ in aquis impuris, paludoſis & putridis potiſſimum reperiuntur.

3. Nutrimentum ſuum capiunt, partim ex uligine aquarum, partim e ſanguine piſcium, quibus adhæreſcentes ſubinde reperiuntur.

4. Extra etiam aquas inſigni promptitudine appetunt ſanguinem. Unde corpori glabro admotæ avide adhæreſcunt, ſanguinem notabili copia imbibunt, & quando ad turgeſcentiam usque repletæ ſunt, ſponte decidunt.

5. Squalidas & inquinatas corporis partes non amant, licet in paludoſis plerumque & nidoroſo limo ſcatentibus locis ex parte vivant. Unde hæmorrhoides *cæcas ſuppuraſcentes* non facile arripiunt, bene vero *turgeſcentes* ſeu *veſiculares*.

6. *Famelicæ*, diutius nihil paſtæ, longe præſentius ſugunt, quam ſaturatæ.

7. Sic enim *recentes*, nunquam adhibitæ, tam libenter non invadunt, quam quæ in uſum ſæpius jam vocatæ ſunt.

8. Præſtat autem capere *majores* quam nimis *parvas* hirudines. Quævis enim illarum ad unciam unam circiter fugit, & ſic quantitas ſanguinis ſufficiens tanto facilius evacuari poteſt.

9. Aſſervantur per multos menſes, ſi in locum, a nimio frigore immunem, reponantur, & aqua recens ſingulis diebus illis affundatur.

10. Præterea injicere ſubinde convenit tali aquæ ſanguinem congrumatum, vel, quod melius, fruſtulum hepatis, e. g. vitulini.

11. Quando autem aqua cum ſanguine vel hepate, hirudinibus affuſa, usque ad ſui putredinem relinquitur, animalcula moriuntur.

12. In

12. In pyxide lignea perforata aſſervantur per aliquot tantum dies, ut hac ratione famelicæ reddantur, & tanto avidius ſugant.

III. *USUS.*

1. *Generalis.*

Hic *plethoræ* imminutionem æque ac venæſectio & ſcarificatio reſpicit. Scarificationi præferenda eſt hæc evacuatio, nam hirudines non modo fortius ſugunt & ſanguinem melius attrahunt, quam cucurbitulæ, ſed durat etiam aliquamdiu ſanguinis ſtillicidium, poſtquam delapſa ſunt animalcula.

2. *Specialis.*

Hic reſpicit evacuationem ſanguinis in talibus locis, in quibus ad minimum commodiorem uſum habet applicatio hirudinum, quam venæſectio & ſcarificatio; de qua re nonnulla ex auctoribus conſignabimus.

1) *Tineam* rubicundam per hirudinum ſuctionem ſanatam recenſet *Rhaſes* libr. 36. tract. 3. cap. 2.

2) *Puſtulæ faciei* inveteratæ evanuerunt poſt quartam multarum hirudinum applicationem. *Vid. Zacutus Luſitanus.*

3) *Phrenitis* ex retentis lochiis, admiſſis *utero* hirudinibus, cum neque venæſectio, neque ſcarificatio, neque ipſarum hirudinum in *orificio ani* applicatio aliquid feciſſet, ſecundum eundem *Zacutum* ſublata eſt.

4) Item *epilepſia* poſt partum.

5) Item immanis *dolor* circa *tempora.*

6) Item linguæ *anginodea* intumeſcentia.

7) Ad *jonthos* & reliquam *guttam roſaceam* laudant hirudines *Zacutus* & *Baverius.*

8) Ad *cynanchen* laudatur a *Capivaccio*, *Bruele* & *Zacuto.*

9) In *epilepſia* cum *melancholico* ſeu craſſo ſanguine profuerunt. *Gariopontus.*

10) In *dolore capitis*, præcipue rhevmatico, hirudines venis retro aures vel intra nares applicatæ, ſecundum *Foreſtums* profuerunt.

11) Ad *vertiginem* retro aures adhibitæ. *Alexand. Bened.*

12) *Melancholiam* in viro 33 annorum ſuctione duarum hirudinum orificio ani applicatarum, levavit *Amatus Luſitanus.*

13) *Vertiginoſum* & mox *paralytodem* affectum, ab hæmorrhoidum menſtruarum emanſione in ſeptuagenario inductum, curavit *Fabr. Hildanus* per hirudines ano applicatas.

14) In *apoplexia* hirudines venis jugularibus adhibendas ſuadet *Bruele*, temporibus autem & retro aures affigit illas *Fontanus*.

15) In *ophthalmia* hirudines, fronti applicatas, extollunt *Kiranides*, *Hollerius*, *Foreſtus*.

16) In *dentium* rhevmatico dolore *Alexand. Bened. Paræus Strobelbergerus*.

17) In *ſtruma* uſum & ſpecialem utendi modum tradit *auctor. addit. ad brev. Arn. Vill.*

18) In *hæmoptyſi*, præcipue *ſuppreſſis hæmorrhoidibus*, laudant *ephemerid. German.*

19) Ad *lienis duritiem* laudant *Fontanus* & *Hildanus de valetudine tuenda*, ubi etiam efficaciam illarum in *quartana*, quæ proprium ſuum corpus occupaverat, extollit.

20) Ceterum ſpecialem uſum optime etiam conſignat *Heunius* & *Kamperus*, elegante diſſert. inaug. 1692. Ienæ habita.

3. *Specialiſſimus.*

1) Hic reſpicit *hæmorrhoidum* provocationem, & in eo præcipue verſatur, ut hirudines illis locis adhibeantur, quibus aliæ operationes, ad hunc affectum uſitatæ, minus commode ſubveniunt.

2) Vaſa enim hæmorrhoidalia, propter ſummam ſui exilitatem, inſtrumenta plane ſubterfugiunt, neque cucurbitulam admittunt. Hinc venæſectio & ſcarificatio in illis non habet locum.

3) Optandum ſane, ut hic ſpecialiſſimus hirudinum uſus a Medicis & Chirurgis pro dignitate æſtimaretur. Mirifice enim hac ratione non raro occurritur pathematibus iſtis, quæ cum hæmorrhoidibus conſpirant, e. g. doloribus hypochondriacis, hyſtericis, anguſtiis internis, rhevmaticis, iſchiadicis, podagricis, nephriticis, varicoſis, ſceletyrbicis, ſtupefactis & paralytodeis paſſionibus. Hisce vix non unice ſubveniunt hirudines, & ſi hæmorrhoidibus placide promovendis *ſpecificum* detur remedium, ſunt certe hirudines.

IV. *METHODUS.*

1. Eligantur, quantum fieri poteſt, hirudines *benignæ*, quæ in aquis non pure

pure paduloſis degunt, neque penitus nigricantes vel virides, ſed dilutioris coloris ſunt.

2. Poſt capturam leniter exprimantur, ut limoſæ impuritates, quibus nutriuntur, eliminentur.

3. Limpidæ aquæ injiciantur, ut reliquæ impuritates abluantur.

4. Hæc aqua quotidie renovetur, & fruſtulum ſanguinis vitulini, bubuli, pullorum, agnorum, vel aliquid hepatis ſubinde injiciatur. Sic diu aſſervari poſſunt.

5. Quando applicandæ ſunt hirudines, tot illarum, quod neceſſariæ ad uſum, aqua eximantur, & per aliquot dies in pyxide lignea, perforata & munda, ſine pabulo conſerventur, ut tanto avidius fugant.

6. Pars, cui applicandæ ſunt, aqua pura & tepida abluatur, vel ſapone fricetur, ut oliſus ſudor & aliæ ſordes pereant.

7. Et quoniam hæc animalcula libentius aggrediuntur partem quodam modo *frigeſcentem*, quam nimis calentem, punctum illud, cui admovenda eſt hirudo, digito frigido tantiſper tangatur, reliquus autem ambitus a frigore defendatur, ne ſanguis, contractis poris poſt frigoris ſenſum, reprimatur.

8. Præter ea locus ille ſpecialis, cui adhæreſcere debent hirudines, lanceola leviter vulneretur, ut gutta ſanguinis effluat; vel guttula aliqua alius ſanguinis recentis, vel lactis dulcis, vel momentum ſacchari eidem applicetur.

9. Deinde hirudo digitis, linteo involutis (ne morſum his infligat aut manui adhæreat) apprehenditur, & oſculum illius puncto electo admovetur.

10. Quando ſpatium in loco applicationis amplum eſt, cucurbitula vitrea hirudinem applicare ſolent; ſin minus, cannulæ vitreæ vel metallicæ, non corroſivæ, aut arundini illam includunt; id quod præcipue in orificio ani locum habet. Finditur autem ex uno latere ſecundum longitudinem arundo, ut aperiri & denuo complicari poſſit.

11. Imbibit itaque hæc hirudo intra exiguum tempus notabilem portionem ſanguinis, & quando ſatiata eſt, ſponte ſua delabitur.

12. Relinquit vulnusculum, quaſi triangulare, e quo, ſi vas aliquod ſanguiferum ſimul apertum ſit, ſanguis diu, imo ſæpe pertinaciter ma-

nat, ita ut speciali tandem cohibitione opus sit. Falsum autem est vulgi assertum, quod ad occasum solis sanguinis manatio præcis duret.

13. Quando autem *sola cutis* sauciata fuit, sanguis statim fere fluere ces sat. Unde in tali casu plures adhiberi possunt hirudines, ut sufficiens sanguinis evacuatio obtineatur.

14. Alii caudam hirudinis forfice resecant, & sanguinis portionem exstillantem suppositio vasculo excipiunt & mensurant; qua quidem encheiresi larga quantitas educitur, timent autem alii ab hac irritatione vulneris inflicti exacerbationem, & hinc plures potius hirudines applicandas commendant.

15. Hirudines saturatæ & sponte decidentes, ad quantitatem sanguinis dijudicandam, in vasculum reponuntur, & vel sale vel cinere acri conspergunturSic pauco tempore, impatientes salinæ compunctionis sese contrahunt & sanguinem evomunt.

16. Hæc etiam aspersio salis cum salvia madefacti, vel aquæ salsæ circa caput adhiberi potest, quando quacunque ex causa maturius illas removere desideramus.

17. Disponit etiam ad spontaneum delapsum *urina* vel momentum *tabaci* masticati, vel cineres illius, vel fumus illis afflatus; id quod remedium in casu necessitatis tanto commodius est, quia nuspiam facile deficit.

18. *Locus* applicationis pro affectuum diversitate differt, modo enim vasi retro aures, modo ipsis articulis, modo scapulis, modo arteriis temporalibus admoventur.

19. In *linguæ* inflammatione contumaci huic immediate applicantur, & quidem insigni efficacia. Ex hac ipsa etiam ratione utiliter admoventur locis illis, quæ arthritide occupata & inflatione aliqua affecta sunt.

20. Partibus etiam illis salutariter adhibentur, quæ *impetigine* rubeo-scabiosa pruriunt. *Zacutus Lusitanus.*

21. Specialissime orificio *intestini recti*, ad *hæmorrhoides cæcas vesiculares* curandas, vel hæmorrhoides *internas* provocandas, applicantur.

22. Tandem notamus, quod illæ hirudines, quæ sale vel cineribus ad evomitionem sanguinis compulsæ fuerunt, mox in aquam dulcem repo-

reponi & ex hac in alteram & tertiam transferri debeant. Sic enim vires recuperant, & ulteriori usui inservire possunt.

V. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Optandum esset, ut hirudines, ob insignem illarum usum practicum, apud Medicos & Chirurgos perpetuo asservarentur. Vernali quidem & æstivo tempore defectus illarum nova captura facile potest suppleri, autumno vero in hyemem penui inseri & ita custodi debent,
2. Querela illa de hirudinum *virulentia* licet magis superstructa sit traditioni veterum scriptorum in calidis regionibus, atque hinc in nostris climatibus tam eximiam attentionem mereri non videatur, præstat tamen cautiorem semper quam temerarium fuisse. Unde excussionem limosi & palustris illarum nutrimenti per lenem expressionem, ac reliquam purgationem, sub *methodo* commendatam, temere prætermittendam esse non censemus.
3. Quando notabilis *salsedo* in sanguine & reliquis humoribus præsto est, difficillime hæc animalcula partes aggrediuntur. Unde etiam in hæmorrhoidibus *cæcis tumentibus*, nisi admodum mature & velut sub initium applicentur, non fugunt, ob salsedinem in sanguine tali, jam suppurascente, emergentem.
4. Contingit aliquando, ut hirudines *intestinum rectum* vel aliam corporis cavitatem, more reptilium, ingrediantur; in quo casu injectio aquæ salsæ adigit illas ad corpusculi sui contractionem & partis arreptæ dimissionem.
5. Quando *intestino recto* hirudines applicantur, & stillicidium sanguinis post illarum remotionem perennat, cavendum est, ne statim sistatur; promoveatur potius sequente ratione
   1) Æger *sellæ perforatæ* insideat,
   2) Huic vas aqua calida repletum supponatur, ut vapor orificium intestini recti afficiat.
   3) Deficiente hac sella, convenit applicare *spongiam*, aqua calida imbutam & bene iterum expressam, ut, dum æger spongiæ insidet, sanguis ab illa excipiatur.
   4) Ne vero spongia sedendo comprimatur, mantile in *cingulum* complicetur, & hujus centro spongia imponatur. Sic linteum con-

volutum pondus inſesſionis perfert, ſpongia autem minus compri mitur, & hinc plus ſanguinis imbibere poteſt.

6. Sic nec in *reliquis locis*, quibus hirudines applicari ſolent, ſtillicidium ſanguinis per adſtringentia cohibendum eſt. Abſit itaque *crepitus lupi* & *telæ aranearum*, quæ a Chirurgis quibusdam perverſe hic ſolent applicari.

7. Caveatur modo, ne hirudines, dum ſugunt, irritentur per violentam remotionem, alias ulcuſcula difficilius conſolidantur. Tractantur vero talia ulcuſcula, ut recens vulnuſculum, per balſamica leniora, ſanguis vero ſiſtitur per lenem vaſis compreſſionem & ſpiritus vini rectificatiſſimi applicationem. Præcipue autem hoc neceſſarium eſt, quando hirudines arteriis applicantur, & eroſa in illis portio hæmorrhagiis anſam præbet.

8. *Borellus* ad fluxum ſanguinis, in vulnere præcipue mediocri, ſiſtendum pro certo experimento laudat *lignum fraxini*, inprimis ſub ingreſſum ſolis in arietem cæſum. Neque plane contemnendæ eſt efficaciæ ſive illo ipſo, ſive alio die cæſum ſit. *Cortex* ipſius ligni fraxini pulveriſatus in ſiſtendis hæmorrhagiis, ſine vulneris detrimento, efficaciter adhibetur.

9. In minoribus vulneribus mitigantur & occupantur ſymptomata, quando per ipſa ſui initia cum hoc fraxini ligno frequente preſſione tractantur. Ceterum tantam non exſerit efficaciam, quantam *Borellus* deprædicavit.

10. Denique uti dolendum eſt, magnum apud plerosque auctores de uſu hirudinum eſſe ſilentium, ita notandum, quod promiſcuus illarum uſus in quibuscunque leviſſimis indicationibus non minus improbandus ſit. Convenit potius ad juſtas indicationes hoc remedium reſervare, præmiſſis univerſalibus & interpoſitis aliis convenientibus medicamentis.

TABU-

TABULA LXXI.

DE

FONTICULIS.

I. *DEFINITIO.*

Fonticuli ſunt ulcera artificialia, in diverſis corporis partibus producta, & evacuandis ſeroſo-lymphalibus, noxiis humoribus deſtinata.

II. *USUS.*

1. Hic generatim reſpicit noxii ſeri evacuationem.
2. Speciatim fonticuli uſum habent non contemnendum in prævaleſcentibus & adſuefactis *ophthalmiis*, *lippitudinibus* recurſantibus; item in debilitate *viſus* & *auditus*.
3. Applicantur modo *revulſionis*, modo *derivationis* ſcopo, id eſt, congeſti humores a partibus nobilibus ad ignobiles, & ab incommodis ad commodas hoc remedio ducuntur.
4. Reliqua ſub *methodo* & *cautelis* videantur.

III. *METHODVS ET REMEDIA.*

Hic conſideramus

1. *Locum*, qui variat pro diverſa intentione.
   1) Alii enim fonticulos excitant in illa circiter regione, in qua *ſutura coronalis* & *ſagittalis* concurrunt; qua ratione præcipue *epilepticis* ſuccurrere ſperant. *Vid. caut.*
   2) Alii in *nucha*, *inguine*, *femore*, *tibia* &c.
   3) Alii, & plurimi quidem, in *brachio* fonticulos excitant, & quidem *intra* muſculum *bicipitem* & *deltoidem*. Bene enim notandum eſt, quod fonticuli nunquam in ipſa carnoſa muſculorum ſubſtantia, ſed in duorum muſculorum interſtitiis faciendi ſint.
   4) Alii in *brachio* & *pede* ſimul fonticulos excitant.
2. *Modum operandi*, qui triplex eſt.
   1) Alii cutim *lanceola* vel *forfice* incidunt, poſtea corpus globoſum, e. g. piſum, inciſioni imponunt, & reliquum deligationis apparatum applicant. Sic intra paucos dies fonticulus poteſt excitari. Hic modus præ aliis compendioſus eſt.
   2) Alii *cauterio actuali* cutim adurunt, & locum inuſtum inſtar ambuſtio-

ſtionis tractant, donec *eſchara* ſeparata ſit & piſum applicari queat. Hic modus præ aliis quidem eſt dolorificus, ad *revulſionem* autem obtinendam efficacior.

3) Alii *cauterium potentiale* adhibent, quo nomine *butyrum antimonii* & *lapis infernalis* præcipue laudantur. Ne vero corroſiva illa viciniam diffluendo arrodant, emplaſtro, quod in medio perforatum eſt, illam defendunt, ipſum autem foraminulum corroſivo explent, linteum carptum & aliud adhuc emplaſtrum imponunt, poſt octo circiter horas deligationem ſolvunt, excitatam eſcharam poſt aliquot dies removent, & deinde piſum imponunt.

3. *Conſervationem ulcuſculi.*

1) Ad conſervandum fonticulum opus eſt, ut quotidie linteo abſtergatur, novum piſum vel alius globulus e. g. ex argento, ligno hederæ, radice gentianæ &c. imponatur & reliquo deligationis apparatu firmetur.

2) Parare nonnulli ſolent *piſa artificialia* ex ochra flava, rad. irid. Florent. cera, terebinth. Sed non opus eſt tali apparatu, quia naturalia piſa ſufficiunt.

3) Ut æger ipſe fonticulum deligare poſſit, inventa eſt *faſcia* commoda, e lamina ferrea vel orichalcea & loro parata, atque hamulis prædita.

4. *Symptomatum tractationem.*

1) *Inflammationes* quando accedunt, tractantur illæ, uti ſuo loco dictum eſt.

2) *Caro luxurians* ſi accedat, removetur lenibus ſepticis, quæ tabula de vulneribus & ulceribus generatim indicata ſunt.

3) Quando ſufficiens humiditas non effluit, provocari poteſt illa per acriuſcula, e. g. rad. gentian. rubr. gum. heder. rad. helen. pyreth. item per momentum euphorbii, imo portiunculam cantharidis; modo fonticulus nudum tendinem non attingat.

IV. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Fonticuli uti ad pertinaces affectus uſurpari debent, ita hoc præcipue incommodum illos premit, ut perpetua quaſi ſervitute ægro incumbant.

2. Hinc cavendum eſt, ne in friuolis quibuslibet affectibus fonticuli adhibeantur, alias *remedium grauius* eſt ipſo *morbo*.

3. Quando fonticuli *incaute occluduntur*, priſtinus affectus, qui ipſorum

op

ope profligatus erat, facile recrudeſcit. Licet enim cauſa ſufficienter ſublata videatur, conſuetudo tamen communiter lex evadit. Unde multa circumſpectio, & inprimis evacuationis alius ſubſtitutio, in hoc caſu neceſſaria eſt.

4. Fonticuli ita ſemper deligandi ſunt, ne ſuper *carnoſas* partes ſucceſſive devolvantur, & hac ratione ad conſolidationem quaſi incoërcibilem tendant, atque effluxum, cujus cauſa inducti ſunt, amittant.

5. Hæc coaleſcendi pertinacia dependet ſimpliciter a conditione loci. Quam diu enim in *exſangui* parte fonticuli hærent, nullus eſt metus promptæ conſolidationis. Quando autem in *carnoſam* muſculi portionem transferuntur, acquirunt ſuperficiem rubicundam cum dolore & frequente cruentatione, ita ut coalitus illorum neque poſſit, neque etiam debeat prohiberi.

6. Fonticuli quando in ſenibus non magis fluunt, & in margine lividonigricantem colorem exhibent, præſagium mortis habentur.

7. De fonticulis in *futura coronali* adhuc notamus, quod apud *Germanos* ita non ſint in uſu, uti apud *Italos* & alios, qui multum illis abutuntur. Hinc neceſſarium non ducimus, plura de illis addere. Hoc tantum dicimus, quod accurata illa per duplex filum menſuratio, ad concurſum futuræ *coronalis* & *ſagittalis* explorandum, inutilis & irrita ſit. *Vid. Scult. armament. tab. XXVI.*

TABULA LXXII.

DE

SETACEO.

DEFINITIO.

Setaceum eſt operatio chirurgica, qua nuchæ plerumque regio acu compungitur, & vulnus inflictum per ſetas vel funiculum ſervatur apertum, ut vitioſi humores hac ratione evacuentur. Germanice dicitur eine Haar-Schnur, vel Fontanelle mit der Schnur.

II. *USUS.*

1. *Setaceum* medio loco inter *fonticulos* & *veſicatoria* ſubſiſtit.
2. Præſentioris eſt effectus quam *fonticuli*, neque tamen in ſervitutem adeo ſtrictam, ſicut hi, ægrum conjicit.
3. Contra paulo lentioris eſt efficaciæ, quam *veſicatoria*.
4. Uſum habet in affectibus catarrhalibus circa caput acerbis & quodammodo aſſuefactis. Hac enim ratione noxium ſerum ab oculis, auribus &c. ad regionem ſetacei derivatur.
5. Speciatim exſerit efficaciam non contemnendam in *lippitudine*, viſum debilitante, in *coryza* habituali & moleſta, in *favo* capitis & nimia *aurium* humiditate.

III. *METHODUS.*

Hæc reſpicit

1. *Locum* operationis.
   1) Veteres promiſcue fere in partibus cutaneis ſetaceum excitabant, e. g. *Riverius* in *ſuris* adverſus malum iſchiadicum; *Gabelchoverus* in *ſcroto* & *inguine* adverſus peſtem.
   2) Recentiores autem vix ac ne vix aliam, quam *nuchæ* regionem eligunt.
2. *Inſtrumenta*, quorum tria ſunt:
   1) *Forceps* utrinque perforata, ut, elevata cute, acus trajici poſſit. Loco talis forcipis manus chirurgi & miniſtri cutim extollere poſſunt.
   2) *Acus*, qua vulnus cuti infligitur. Craſſities ejus reſpondere debet foraminibus forcipis. Veteres loco acus adhibebant *cauterium actuale*. *Vid. Sculteti armamentar. tab. VII.* Nonnulli *lanceola* vulnus infligunt.
   3) *Seta*, *Seton*, *funiculus*. Conficitur hodie e filo ſericeo aut lino. Nonnulli vel radicem *gentianæ*, vel *ellebor. nigr.* vel *mezerei* loco funiculi adhibent. Veteres e *ſetis* & *pilis equinis* funiculum conficiebant. Hoc funiculo vulnus apertum ſervatur, & ſucceſſive in ulcuſculum mutatur.
3. *Modum operandi.*
   1) Capilli ante omnia removentur.
   2) Caput paululum reclinatur, ut cutis relaxetur.
   3) Chirurgus forcipe, vel, quod commodius, manu ſiniſtra elevat cutim, cavendo ne tendines ſubjacentes ſimul arripiat.

4) *Acus*

4) *Acus* per cutim trajicitur, & ſic

5) *Funiculus*, qui acus foramini immiſſus eſt, & *unguento baſilico* vel butyro non ſalito prius inungitur, in vulnere relinquitur.

6) Imponitur *emplaſtrum*, quod ob funiculum utrinque finditur.

7) Mane & veſperi emplaſtrum removetur, funiculus modo dextrorſum modo ſiniſtrorſum trahitur, & materia abſtergitur, & ſic verum ulcuſculum, ſerum plorans, ſucceſsive emergit.

8) Funiculus ne elabatur, extremitates ejus nodis nectuntur vel ſutura uniuntur.

9) Funiculus quando nimis conſpurcatus eſt, novus ſutura illi nectitur, & in ulcere, remoto poſtea conſpurcato, relinquitur.

4. *Symptomata.*

Hæc pari paſſu fere ambulant cum illis, quæ ſub *fonticulis* indicata ſunt. Præcipue ad arcendam *inflammationem* commendamus diſcutientia camphorata cum lenibus repellentibus conjuncta.

IV. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. *Setaceum* ſine prægnante cauſa non commendetur, ob multa illa incommoda, quæ habet ſibi connexa.
2. Convenit præ aliis juvenili ætati.
3. Continuari debet per ſufficiens tempus; ſin ſecus, antiquus affectus recrudeſcit.
4. Quando juſto tandem tempore conſolidatur, blandæ evacuationes laxantes ſubinde admittuntur.
5. De *ſetaceo* æque ac *fonticulis* & *veſicatoriis* notandum, quod ſine concurſu remediorum *internorum* effectum durabilem non præſtent.

TABULA LXXIII.

DE

VESICATORIIS.

I. *DEFINITIO.*

Veſicatorium eſt operatio chirurgica, qua per remedia cauſtica, præci-

cipue *cantharides*, vesica in cuticula excitatur, & aliqua seri portio per illam evacuatur.

II. *USUS.*

1. Uti *fonticuli* magis locum habent in *languidis* & segnibus affectibus serosis, qui sæpe recurrunt e. g. in decubitibus catarrhalibus, rhevmatismis inveteratis, cutaneis deturpationibus &c. ita *vesicatoria* magis conveniunt in affectibus *impetuosis*, & quidem modo derivandi, modo revellendi intentione.
2. Hujus generis sunt dolorifici & chronicoteri *capitis* affectus, præcipue hemicranici, ophthalmici & odontalgici.
3. Item arthritici insultus recentes, præcipue quando congestio est *seroso-acris*. In magis enim *sanguineis* congestionibus evacuationes sinceri sanguinis utiliores sunt.
4. Interdum etiam vesicatoria usu veniunt in diris symptomatibus *morborum acutorum*, e. g. phrenitide, convulsionibus, exanthematibus retrocedentibus; quamvis *frictiones* re vera hic præstent.

III. *METHODUS.*

Hæc respicit

1. *Locum* applicationis, qui est in partibus sensibilibus e. g.
   1) In brachio interno, versus flexuram cubiti, imo in flexura cubiti. *Vid. cautel.*
   2) In cervice.
   3) Retro aures.
   4) In tibiis &c.
2. *Remedia*, per quæ vesicatoria excitantur. Hæc sunt
   1) Præcipue *cantharides*, quibus nulla melior & efficacior datur materia.
   2) Facit quidem *allium* aliquid, sed efficacia ejus cum cantharidibus non est comparanda.
   3) Multo minus *semen sinapios*, *radices pyrethri*, *ranunculi*, *ari*. *Vid. cautel.*
   4) Idem sentiendum de *succo chelidonii majoris*, *flammula Iovis*, *persicaria acri*, *euphorbio*, *stercore columbino* & *oleis destillatis* acribus.
   5) *Moxam Chinensium* & *stuppam cannabinam*, *Hippocratis* tempore usitatam, tacemus.

3. *Modum* applicandi, qui nullam difficultatem involvit. Videlicet
   1) Abluitur locus aceto & crines, si adsint, scalpello auferuntur.
   2) Applicatur *emplastrum vesicatorium*, vel pulvis cantharidum, cum fermento panis in formam emplastri redactus.
   3) Munitur emplastro glutinante, spleniis & fascia.
   4) Quando post octo circiter horas vesica, sero turgida, conspicitur, chirurgus forfice illam discindit, ut serosi humores evacuentur.
   5) Quando intentio est, vesicam diu apertam servare, fovent illam per *folium brassicæ*, butyro vel alio pingui unguento illitum; vel, quando brasica non est ad manus, per *folium hederæ arboreæ*, vel per emplastrum quoddam momento *pulveris cantharidum* conspersum.
   6) Chirurgi autem ordinarie imponunt emplastrum de *spermate ranarum*, & bis per diem illud renovant, donec seri stillicidium cesset.
4. *Symptomatum* tractationem.
   1) Quando inhibere volunt stillicidium diuturnum, emplastrum *saturninum*, e. g. de minio, cerussa, imponunt.
   2) Affluxus *inflammatorius* quando accedit, camphorata in ambitu applicantur,

IV. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Licet *vesicatoria* hoc etiam incommodi habeant, ut affectus, illorum ope profligati, facile recrudescant, & idem remedium deinde postulent, negari tamen non potest, quod adeo prompte, uti *fonticuli*, hoc non faciant.
2. *Allium*, *rad. pyrethri*, *ranuncul. sem. sinap.* in sanguinem fortius agunt, & erysipelaceos ardores facile relinquunt.
3. Speciale est experimentum, a *Judæo* quodam productum, & in A. N. C. dec. XI. ann. V. observ. 160. it. *Plater. observ.* frequentis experientiæ testimonio notatum, quod vesicatorium flexuræ internæ cubiti, ubi vena secari solet, applicatum, certissimum effectum ad *odontalgiam* impetuosam exhibeat.
4. Dissentiunt auctores de cantharidibus. Sunt, qui pedes tantum, alas & caput illarum in usum trahunt, reliquum vero corpus rejiciunt. Sed docet experientia, quod omnes hujus animalculi partes eundem effectum præstent.

5. Cantharides quando cum emplaſtro applicantur, ea fieri debet encheireſi, ne nimium cum illo miſceantur, alias viſcidæ emplaſtri particulæ efficaciam cantharidum infringunt. Hinc nonnulli jubent, ut emplaſtrum prius extendatur, & deinde pulvis cantharidum illius ſuperficiei adſpergatur.

6. Alii *ſaliva* pulverem cantharidum tam diu ſubigunt, donec in unguenti formam redactus ſit.

7. Litem de *natura acrimoniæ*, num ſcilicet cantharides particulis *aculeatis, acidis* vel *alcalicis* vellicationem & criſpaturam cuti inducant, ſuo loco relinquimus, nullam enim exhibet utilitatem.

8. Cantharides quando *numero* præſcribuntur, e. g. ſex, octo, decem, errori datur occaſio, differunt enim magnitudine. Hinc, *pondere* illas præſcribere, tutius erit, v. g. drachma ſemis vel tota ad duas uncias emplaſtri vel unguenti.

9. Qui eroſione viarum *urinariarum* laborant, a cantharidum uſu non ſolum interne, ſed & externe, debent abſtinere.

10. Denique adhuc monemus, quod *magnitudo* emplaſtri veſicatorii differat pro ſubjectorum & locorum diverſitate. In tenerioribus enim minor eſſe debet, quam in robuſtis. Sic etiam in nucha & retro aures minor ſit, quam in brachio, femore & ſura.

TABULA LXXIV.

DE

INJECTIONIBUS.

I. *DEFINITIO.*

Injectio eſt operatio chirurgica, qua varii liquores per varia inſtrumenta in varias corporis cavitates ſive naturales, ſive præternaturales infunduntur, ut impuritates, in illis cavitatibus contentæ abluantur & eliminentur, vel læſiones ibidem inductæ reſtaurentur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Injectiones fiunt

1) Vel per *ſyringam ſimplicem*.
2) Vel per *clysmaticam*.

2. Per *ſimplicem ſyringam* humores injiciuntur
1) Modo in *aures*.
2) Modo in *nares*.
3) Modo in *fauces*, & talis liquor *gargariſma* vocatur.
4) Modo in *urethram* & *veſicam*.
5) Modo in *vulnera*, *apoſtemata*, *ulcera* & *fiſtulas*.

3. Per *clyſmaticam* liquor in *inteſtinum rectum*.

4. Per *utramque* in *uteri vaginam* injicitur.

5. *Clyſteres ſtricte dicti*, id eſt, injectiones, quæ in inteſtinum rectum infunduntur, dividuntur ordinarie in *purgantes* & *alterantes*. Alii addunt *corroborantes* & *nutrientes*. De hac re ſub *uſu ſpeciali* plura dicemus.

III. *USUS*.

Hic pro diverſitate partium & læſionum variat, atque amplum in praxi campum ſuppeditat.

1. Quando in *aures* liquor injicitur, reſpicimus uſum vel emollientem & abſtergentem, vel tonico-nervinum.

2. *Naribus* injicitur liquor ad *ozænam* vel aliam læſionem abſtergendam & conſolidandam.

3. *Gargariſmata* ſeu liquores, qui in *fauces* injiciuntur, uſum habent in anginodeis, aphthodeis & aliis inflammatoriis, vel ulceroſis faucium affectibus.

4. Quando in *urethram* vel *veſicam* liquor injicitur, intendimus partim materiæ ulceroſæ abſterſionem, partim arroſarum partium reſtaurationem, partim *calculi* promotionem.

5. Egregium etiam uſum habent injectiones in profundis vulneribus, apoſtematibus, ulceribus, præcipue fiſtuloſis, ad impuritates abſtergendas & conſolidationem promovendam.

6. *Enemata*, ſeu *clyſteres ſtricte dicti*, in uniuerſa praxi medica magnam habent utilitatem, & pro diverſitate ingredientium & morborum diverſos exſerunt effectus, e. g. abſtergunt, diſcutiunt, emolliunt, revellunt, laxant, ſtimulant, adſtringunt &c. Sic non ſolum alvi ſolutioni, ſed & materiæ atque motui alterationi inſerviunt. De qua re pauça ſpeciatim indicabimus,

1) Cly-

1) Clysteres e *mucilaginosis* substantiis e. g. rad. alth. lil. alb. herb. parietar. mercurial. malv. sem. fœnugr. lini &c. parati, *emolliunt*, *lubricant* & *acrimoniam obtundunt*. Hinc in siccitate, obstructione, inflammatione & ulceratione egregium exserunt effectum.

2) Clysteres e *carminativis* & *anticolicis* parati e. g. herb. origan. serpill. flor. chamomill. melilot. sem. aneth. carv. &c. discutiunt flatus & sedant dolores colicos.

3) Clysteres qui ex *acribus*, *stimulantibus* & *laxantibus* parantur, e. g. ex herb. centaur. min. majoran. extracto catholico, electuar. hier. picr. diacolocynth. salibus &c. effectum præstant non solum *aperientem*, sed & *revulsorium*. Hinc conducunt in congestionibus versus caput & pectus e. g. apoplexia, paralysi linguæ, repentina cæcitate, phrenitide, angina, palpitatione cordis, catarrho suffocativo, asthmate convulsivo &c.

4) Clysteres ex *emollientibus*, *oleosis* & *nitrosis* parati, temperant motus spasticos, hypochondriaco-hystericos, nephriticos, calculosos, tormina colica, biliosa.

5) Clysteres ex *amaris*, *lacte* & *myrrha* parati, mitigant tenesmum a vermibus & vomitum verminosum.

6) Clysteres *communes* e qualicunque liquore, oleo olivarum & momento salis communis vel nitri parati, eximium etiam usum habent in febribus acutis, ad alvum, ubi par est, solvendam, & quoniam reliquos motus vitales non ita turbant, uti purgantia, multis respectibus his præferendi sunt.

7) Clysteres e *tonicis* & *subadstringentibus* parati inhibent diarrhœas colliquativas, &, dum hac ratione materiam nutritiam conservant, indirecte *nutriunt*.

8) De *specifica* efficacia, quam clysteres quidam actibus vitalibus imprimunt, auctores nonnulli & experientia testantur, e. g. qui e *veronica* parantur, singularem effectum exserunt in spasmis hystericis.

9) Ceterum clysteres non solum in *adultis*, verum etiam in tenerrimis *infantibus* locum & usum habent.

7. *Clysteres uterini* varios etiam habent respectus. Modo enim *secundinarum* promotionem, modo *sterilitatis* correctionem, modo *ulceris* mundificationem & consolidationem intendunt.

IV. *METHODUS.*

Hæc respicit

1. *Ingredientia*, quæ variant pro intentionis & reliquarum circumstantiarum diversitate. Hinc selectus fit e materia medica, jam pro scopo emolliente, jam abstergente, jam consolidante, jam carminativo &c.

2. *Liquoris quantitatem* seu *pondus*, quod itidem variat.

1) Quando per syringam simplicem liquor in *aures*, *nares* & *fauces* injicitur, quavis repetitione tantum injicimus, quantum syringa tribus circiter vicibus capit.

2) Quando profundas læsiones in pectoris & abdominis cavitate abstergere & mundificare intendimus, major liquoris quantitas desideratur.

3) Pro *clysmate*, adulto homini destinato, sumuntur ordinarie

a) *Colaturæ* ab unciis duodecim ad integram libram.

b) *Olei olivarum*, vel cujuscunque infusi, vel *butyri* recentis uncia una.

c) *Stimulantis* alicujus *salis* drach. j. adij.

3. Liquoris *temperiem*.

1) Omnes injectiones debent esse *tepidæ*, imo, quæ in *vulnera* fiunt, ad tolerantiam *calidæ*.

2) Hinc nullo modo probatur id, quod de *frigidis clysteribus* in *dysenteria* tradunt. Experientia enim docet, quantum tepor conferat doloribus penetrantissimis in hoc morbo mitigandis.

3) Liquor clysmaticus, vesicæ immissus, quando palpebris vel labiis impositus tolerari potest, justam temperiem habere existimatur.

4. *Instrumenta*, quibus liquor injicitur. Hæc sunt

1) *Syringæ simplices:* omnibus satis notæ.

2) *Syringæ clysmaticæ*, quarum variæ hodie prostant.

a) Alii enim *vesica*, *eburneo tubulo* prædita, liquorem injiciunt.

b) Alii instrumentum e stanno confectum adhibent, & hoc paulo impetuosius liquorem injiciunt.

c) Alii, ut verecundiæ subveniant, excogitarunt varias syringas, e. g. longo *tubulo coriaceo* præditas, quibus vel æger sibi ipsi, vel alius sine illius denudatione, liquorem injicere potest.

d) Huc etiam ſpectat novum illud *Anglorum* inſtrumentum, quo *fumus tabaci* inteſtino recto applicatur, & pertinaciſſima alvi obſtructio ſæpius aperitur. Germanice vocatur das Tabacks-Clyſtir.

3) *Syringæ uterinæ.* Liquor in uterum injicitur
a) Modo per ſyringam *ſimplicem* & *communem.*
b) Modo per *clyſmaticam.*
c) Modo per *inſtrumentum Glauberianum. Vid. Glauberus concentratus* pag. *33. 34.*
d) Modo per ſyringam illam, quam *Mauriceau* deſcribit, quæque tubulo incurvato & in extremitate nodulo perforato prædita eſt.

5. *Modum applicandi.*
1) De *gargariſmatibus* præparandis & applicandis tabula medica de *angina* fuſius diximus.
2) Eadem moderata injectio etiam valet de gargariſmatibus ad *aphthas* abſtergendas. Quoniam autem irritatio, præcipue *emetodes*, ordinarie fere concurrit, præſtat potius penicillo molli abſterſionem perpetrare, aphtharum regenerationem balſamicis inhibere, & denique leniter adſtringentibus mali profligationem proſequi.
3) Imo præſtat fere gargariſmata in ſpiſſam conſiſtentiam redigere, & locum affectum penicillo aliquoties per diem illinere, de reliquo autem os ſpontanea ægri collutione fovere.
4) In *mucoſa ardente* & *rodente* faucium *obviſcatione* magis neceſſaria eſt paulo vehementior illa injectio ad vomibundam usque commotionem, ut mucus ille glutinoſus quaſi extorqueatur. Nimis autem frequenter fieri id non debet.
5) De reliquo ſequentes indicationes medico-chirurgicas adverſus *aphthas* commendamus.
a) *Affluxus* cohibendus eſt per lenia adſtringentia cum discutientibus camphoratis combinata, & collo impoſita.
b) *Inflammatio* temperanda eſt per nitrum & aquam roſarum. Ad ſpecialiſſima temperantia, ſubadſtringentia & discutientia, imo periculoſos etiam motus quodam modo præſervantia pertinet *album græcum*, quod experimentum in talibus affectibus non contemnendum eſt.

c) *Ul-*

Unable to display this page

8. De omnibus autem hisce per clysteres, fumum tabaci & suppositoria evacuationibus notare convenit, quod facile in consuetudinem abeant, & ita, nisi turbas abdominis spasticas exspectare velimus, repetitionis onus imponant.

9. Tandem mentionem adhuc facimus *chirurgiæ infusoriæ*, qua liquor medicamentosus in venam apertam injicitur. Exolevit autem hæc curandi ratio, & idem valet de hac chirurgia infusoria, quod superius de *transfusione sanguinis* diximus.

TABVLA LXXV.

DE SECTIONIBUS, INCISIONIBUS ET COMPUNCTIONIBUS GENERATIM.

I. *DIFFERENTIA.*

1. *Sectiones* in chirurgia instrumentali amplissimum habent campum, & in quamplurimis operationibus requiruntur.

2. Quæ sectiones & compunctiones in *pluribus* corporis *partibus* locum habent, illas sequentibus tabulis exhibebimus.

3. Quæ vero *certis partibus* propriæ sunt, illas ad specialiores tabulas reservabimus.

II. *METHODUS.*

Hæc respicit

1. *Partes* secandas, quæ sunt vel *carnosæ* vel *osseæ*.

2. *Instrumenta*, sectioni inservientia, quæ sunt

1) Vel *cultri* variæ magnitudinis & conditionis. Hi commodissime adhibentur in illis carnosis partibus, quæ de *tensione* quadam sive innata, sive conciliata gaudent.

2) Vel *Forfices*, quæ in partibus *flaccidis*, membranaceis, tenuioribus, nullo renisu præditis, commodiorem usum habent, quam

cul-

cultri. Exacuatæ autem debent esse forfices, ne sectionem fallant, & conquassatione tantum, & *carptim* quasi, partes afficiant.

3) Vel *scalpra*, Meissel, quæ partibus *osseis*, & quidem in *juncturis* seu articulis, decutiendis inserviunt.

4) Vel *serræ*, quæ, incisis prius carnosis partibus, ad *ossa* dissecanda adhibentur.

5) Vel *Forcipes*, quæ modo partibus carnosis incidendis, modo osseis eminentiis decerpendis inserviunt.

3. *Modum operandi.*

1) Sectiones in artifice exposcunt
   a) *Animi* præsentiam & immobilitatem.
   b) *Visus* aciem.
   c) *Manuum* firmitatem, & a tremoribus libertatem.
   d) Bona instrumenta.
   e) Notitiam partium anatomicam.

2) Et hæc quidem tanto magis requiruntur, quando *subtiles* partes secandæ sunt.

3) Præstat autem *uno* & veluti *presso ductu* sectionem absolvere, adhibita simul *velocitate*, sed cum necessaria circumspectione. Contra

4) In quibusvis sectionibus, præcipue autem subtilibus, temperandum est a *tensiva* & *reciproca* instrumenti *ductitatione*. Hac enim ratione per necessitatem dolor intenditur.

5) Imo exercitatorum artificum est, sectionem suam ita habere in potestate, ut, si æger sub ipso sectionis actu partem dimoveat, manu tamen sua & instrumento motum hunc retractorium scite sequantur, ne impatiens operationem effugiat, neque gravius, quam par est, vulneretur.

6) Minus autem exercitati in tali casu a sectione paululum remittant, & obsequium ægro injungant, ne cæco impetu damnum inferant.

7) Reliqua sub *cautelis* & sequentibus tabulis videantur. Conferatur etiam tabula de *abscessu*.

III. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Cavendum quam maxime, ne *scalpra* extra juncturas adhibeantur. Quando enim medio corpori ossium, quantumcunque parvulorum, ad-

admoventur, feſtucæ neceſſario producuntur, & dolores ſpaſtici atque inflammatorii excitantur.

2. In *carpo* quando ſcalprum adhibendum venit, neceſſarium eſt, ut arterias illi proximas per ſufficientem ſtricturam præmuniamus, & hæmorrhagiam hac ratione reprimamus.

3. In *digitis* quidem hæc obſervatio adeo neceſſaria non eſt, præſtat tamen nec in his quid negligere.

4. In *tarſo* ſatis anceps & præ reliquis incerta eſt hæc operatio, ob grandiora ibidem oſſa & vaſa. Rarior autem illius in hac parte indicatio obſervatur.

5. In *panaritio* vel ſimili ulcere, ipſum oſſiculum erodente, non ita raro indicatur.

6. Sic & indicatur in *ſpina ventoſa*, ſeu eroſione oſſium metacarpi, quæ in occluſo enaſcitur, & os prius erodit, quam partes molles ſuperſtratas. Sed affectus eſt rarior; minus rara autem eſt eroſio horum oſſium ab occaſione externa, nempe contuſione graviore, mala tractatione vulneris, oſſicula ſtringentis, vel tumore mucido, perverſa medicatione in ulcus pertinax deducto.

7. In *ſphacelo* harum partium raro ſatisfacit hæc operatio. Longe enim citius hæc corruptio utplurimum progreditur, quam ut ægroti de neceſſitate hujus operationis convinci poſſint. Plura de hac re infra de *amputatione artuum* dicemus.

8. De *ſerratione* ſequentia notamus:

1) Partes carnoſæ & perioſtium prius ſemoventur.

2) Lineam atramento parti ordinarie affricant, ut operator tanto certius ſervare poſſit debitum tractum.

3) Quo paucioribus ductibus abſolvi poteſt operatio, eo melius eſt. Licet enim a tali ſectione nullus dolor obtingat, formido tamen angit ægrum, cumprimis quia illum dolorem adhuc ſentit, quem a prægreſſa muſculoſo-tendinoſarum partium diſciſſione accepit. Præterea hæmorrhagia, hanc diſſectionem excipiens, ſi paulo largior fuerit, tarditatem hujus operationis tanto magis diſſuadet.

9. *Forcipes*, quæ decerpendis oſſium eminentiis adhibentur, non ſolum debitam aciem, verum etiam proportionatam magnitudinem & firmitatem habeant.

10. Caveatur, ne fruſtum oſſis, forcipe decerpendum, quando latum, durum & qualitercunque curvum eſt, *totum* forcipe comprehendatur. Facile enim ſub inæquali compreſſione feſtucæ deſiliunt, vel fiſſuræ in reliquam ſanam portionem tranſiliunt.

TABULA LXXVI.

DE

ABSCESSUUM APERTIONE.

I. *DIFFERENTIA.*

1. In omnibus corporis partibus abſceſſus fieri ſolent.
2. In ipſis etiam *oſſibus*. Caries enim nil aliud eſt, quam eorum ulcus aut abſceſſus.

II. *SIGNA.*

1. Suppurationis factæ purisque maturi ſigna ſunt
2. Tumoris mollities notabilis, præcipue circa medium & veluti cacumen tumoris, niſi hic ſpecialem rationem declivitatis habeat.
3. Coloris mutatio.
4. Materiæ coërcitæ fluctuatio. *Vid. tab. de abſceſſu.*

III. *METHODUS.*

Tres potiſſimum modi ſunt, quibus apoſtemata aperiri ſolent.

1. *Cauterium actuale.*
2. *Cauterium potentiale*, quo nonnulli aperturam moliuntur, præcipue ubi vaſa & tendines in vicinia ſunt, & ubi ſemel apertus abſceſſus diuturna ſuppuratione indiget, uti in tumoribus *crudioribus*, qui ægre maturantur; cujus adminiſtrandi modus ſequens eſt.
   1) Parti affectæ emplaſtrum in centro ſui, feneſtra quaſi præditum, applicatur, ut cutis per hoc pateat:
   2) Cuti, ſaliva prius madefactæ, *cauſticum* vel pulveris forma inſpergitur, vel in forma ſolida imponitur.
   3) Deinde aliud emplaſtrum paulo majus & non perforatum applicatur.
   4) Huic *ſplenium* imponitur.

5) Hæc

5) Hæc omnia fascia conveniente firmantur.

6) Elapsis aliquot horis eschara inducta scalpello vel phlebotomo inciditur ad puris usque conceptaculum.

3. *Incisio*, quæ omnibus modo recensitis methodis præferenda est, non vero *forfice* sed *scalpello* aut *phlebotomo* facta. Hac enim ratione pars affecta pro arbitrio secundum longitudinem & latitudinem certius inciditur, & materia exitum prius, quam post cauteria applicata, nanciscitur. Hinc dolores citius remittunt.

1) Incidendus autem est ille locus, qui maxime mollis & ubi cutis multum extenuatur, ut & ille, per quem materia purulenta commodius effluere potest.

2) Instituenda est sectio, ubi commode fieri potest, secundum rugarum cutis & fibrarum muscularium *tractum*, ita tamen, ut in *profundis* incisionibus major musculorum, quam rugarum cutis ratio habeatur.

3) Cavendum, ne *vas* quoddam *sanguiferum* insigne aut *nervus* lædatur, unde hæmorrhagia gravis aut dolor quam maxime molestus succederet.

4) Magnitudo sectionis metienda est e materiæ exhauriendæ copia & qualitate; nec non ex incidendæ *partis* conditione & magnitudine, ita tamen, ut præstet *excessu* quam *defectu* peccare, & si abscessus sit *sinuosus* & *habenulis* instructus, hæ quoque rescindantur. Dantur autem abscessuum conditiones, in quibus magnis incisionibus, quas ægrorum plurimi abhorrent, non indigemus, sed instrumento illo, quo venam secent, mit dem Schneller, incisionem feliciter præstamus. Cujus commodissimæ operationis ope abscessus mammarum plures brevi tempore ad vota curavimus. Hac etiam ratione non adeo nocet, quando abscessus nondum est maturus, quia per parvam incisionem motus tonicus non læditur.

5) Deinde leniendus est, quantum fieri poterit, dolorum cruciatus; id quod fit, si *phlebotomo*, non forfice, incisio instituatur; Non facile autem *anodyna* ad hunc finem necessaria sunt.

6) Denique vacuus locus medicamentis replendus & purgandus est, nec non consolidandus & cicatrice obducendus, uti *tabula de abscessu* diximus.

IV. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

I. Illi tantum aperiendi ſunt abſceſſus, qui reſolvi aut discuti medicamentis non poſſunt, & in quibus ſuppuratio omnino, vel magna ex parte jam facta eſt; præſente hac circumſtantia, nihil magnopere artis requiritur, ſed ea tantum profunditate inſtituenda eſt inciſio, ut cavitas apoſtematis attingatur.

2. Interdum ſuppuratio ad *perfectam maturitatem* deduci nequit, vel non debet, dum vel citius inciſionis auxilium poſtulat, vel ſpontanea ruptio illam antevertit, hoc contingere ſolet in exiguis & ſuperficiariis abſceſſibus, in quibus integumenta non multum dilatari poſſunt, ideoque pus exitum citius quærit, illud vero quadruplici in caſu locum habet.

1) In tumoribus, qui vulgo *crudi* vel *frigidi* cenſentur.

2) Quando materiæ contentæ *malignitas* ſic dicta graviorem partibus interioribus labem minatur, uti in tumoribus *venereis* & *peſtilentialibus*.

3) Ubi puris ſitus ob viciniam aliis partibus *nobilioribus* noxam inferre poteſt, ſi v. g. abſceſſus articulos, oſſa, tendines, aut vaſa & nervos obſideant.

4) Quando metus eſt, materiam ad partes externas depoſitam reabſorberi, & decubitum ad viſcus quoddam nobilius fieri.

3. Materia purulenta, quando ægroti vires id ferunt, & tumor parvus eſt, *ſimul & ſemel:* in *debilibus* autem ægris & *magnis* abſceſſibus *ſucceſſive* evacuanda eſt, ne animi deliquium accedat.

4. Non nimium digitis comprimenda eſt pars affecta, dum pus educere volumus, ne abſceſſus poſtea in ulcus ſinuoſum & calloſum degeneret.

5. Quodſi *peculiari folliculo* incluſa materia & tumor inſignis adſit, cutis decuſſata inciſione aperitur, cavendo, ne ciſtis lædatur, unde ulcus ſordidum cum recidivi tumoris metu ſequeretur, ſed potius unguibus aut ſcalpelli manubrio ſeparanda, &, pedunculo ejus detecto, injecta prius ligatura, vel etiam ſine illa exſtirpanda eſt, applicatis e veſtigio adſtringentibus, aut magna lintei carpti quantitate.

6. Deinde reliquiæ vel *cauſticis* abſumendæ ſunt vel in ſuppuratione abſcedunt.

7. Ut ſufficiens puris evacuatio fiat, turunda digeſtivo & mundifican-

te imbuta, aut etiam, si colluvies major, *cannula* immissa, vulnus apertum servant.

8. Tandem idoneis medicamentis repurgatum abscessum ad cicatricem reducunt.

9. *Belloste* autem tractatu suo chirurgico turundarum usum passim damnat. Sic & *Wurzius* chirurgia sua libr. I. cap. VII. abusum illarum monstrat; Sed hæc omnia cum discretione sunt accipienda.

10. Quodsi vero vulnus crassius sit, atque in *thromboſin* seu grumescentiam coiverit, instituendæ sunt injectiones, uti in *ulceribus sinuosis* fieri solet, quo materia coagulata attenuetur, & fluxilior reddatur. *Plures cautelæ videantur tabula de abscessu.*

TABULA LXXVII.

DE

APERTIONE PARTIUM PRÆTER NATURAM CLAUSARUM.

I. DIFFERENTIA.

1. Contingit interdum vitium hoc
   1) Modo in *oculis*, & vocatur græce ἀγκυλοβλέφαρον.
   2) Modo in *auribus*.
   3) Modo in *ano*. Tales infantes vocantur ἄτρητοι seu *imperforati*.
   4) Modo in *pene*.
   5) Modo in *utero*.

2. Quando in *oculis* contigit talis concretio, *palpebræ* vel inter se, vel simul cum alba aut nigra oculi parte coaluerunt.

3. In *auribus* evenit modo in principio meatus auditorii, modo profundius prope tympanum.

4. *Anum* quod spectat, ille modo *ex parte* tantum clausus est, ubi foramen

men vix ſtylum admittit, & impar eſt ad fæces alvinas emittendas; modo *ex toto* occluſus eſt.

5. *Penis* imperforatio multis ſpeciebus differre obſervatur, uti ſub *ſignis* dicemus.

6. Sub clauſura *uteri* auctores comprehendunt plures ſpecies.
   1) Modo enim malum in partibus *genitalibus externis*.
   2) Modo in *vagina*,
   3) Modo in *oſculo* ejus *interno* hæret. Conferatur *Roonhuyſen Lib. II. obſ. I,5. Solingen p. 727. Schenckius lib. IV. obſerv. 13. & ſeqq.*

II. *SIGNA.*

1. *Oculorum* concretio in aliorum oculos facile incurrit. Æger enim palpebras dimovere & bulbum oculi oſtendere nequit.

2. *Auditorii meatus* occluſio obſervatur vel mox poſt partum, vel poſt aliquot demum annos, quando *loquela* infantes deſtituti ſunt. *Surdus* enim a nativitate *mutus* etiam obſervatur.

3. *Ani* clauſura utplurimum etiam in oculos incurrit. Nonnunquam autem profundius hæret obſtaculum, quo minus conſpici poſſit.
   1) Ordinarium autem & certiſſimum ſignum eſt retentio fæcum alvinarum.
   2) Abdominis intumeſcentia.
   3) Ingeſtorum vomitus.
   4) Quando fiſtula clyſmatica immiti non poteſt.
   5) Febris, dolores, anxietates.

4. *Penis* concretio varias exhibet ſpecies.
   1) In aliis enim nullum prorſus foramen, nullus meatus, nulla urethra apparet.
   2) In aliis veſtigium quidem alicujus foraminis obſervatur, quod tamen non eſt pervium.
   3) In aliis perforata eſt penis glans, ſed tam anguſto foramine, ut urina vel plane non, vel non niſi guttatim effluere queat.
   4) In aliis glans quidem legitime perforata eſt, imperforatum autem præputium, ita ut urina inter hoc & illam colligatur; qui affectus ſpecies eſt *phimoſeos*. Humor, qui in hoc caſu colligitur, tumorem ovi anſerini inſtar interdum refert, unde pars præputii anterior ſic attenuatur, ut urina per foramen minutiſſimum ſummo cum dolore tandem excernatur.

5) Contingit etiam interdum, ut exitus urethræ non in loco ordinario, ſed ſubtus glandem conſpiciatur, per quem excretiones profluunt, *Vid. Meckren. cap. XXIV.*

6) Nonnumquam exitus ad radicem penis, prope ſcrotum obſervatur.

5. *Sinus muliebris* clauſura multis ſignis diagnoſticis & ſymptomatibus fit manifeſta.

1) Coalitus partium *externarum* pudendi conjunctus eſt cum meatus urinarii coarctatione vel omnimoda occluſione.

2) Unde modo ſtillicidium urinæ, modo plenaria illius ſuppreſſio, cum notabili dolore contingit.

3) Præterea hoc malum viſui & tactui ſeſe offert.

4) Imperforatio *vaginæ* dignoſcitur

a) Vel plenaria ſanguinis menſtrui ſuppreſſione.

b) Vel exiguo illius & ad paucas guttulas reſtricto proventu.

c) Has, ex parte tantum imperforatas, nonnumquam concepiſſe, auctores teſtantur. Vid. *Hildanus*, *Ruyſchius obſ. 22. Mauriceau obſ. 489. & 583.*

5) Occluſio *oſculi uterini* non niſi conjectura cognoſci poteſt; e. g. quando omnes circumſtantiæ ſanitatis reliquæ pares ſunt, & tamen nulla conceptio ſubſequitur.

III. *CAUSÆ.*

1. *Generalis.*

1) Hæc vitia ordinarie accidunt in *utero materno*, & dependent

a) A matris depravata imaginatione.

b) A perverſa fœtus in utero formatione.

2) Rarius ab *aliis morbis* prægreſſis hæc vitia producuntur, e. g. ab exulcerationibus, poſt quas partes illæ, quæ apertæ eſſe debent, cum vicinis coaleſcunt.

2. *Speciales.*

1) *Oculorum* coalitio dependet

a) Modo a nativitate.

b) Modo ab ambuſtionibus.

c) Modo ab ulcerationibus, præcipue poſt *variolas.*

d) Modo ab excreſcentia fungoſa, in angulis proveniente.

e) Modo ab acribus & corroſivis collyriis.

2) *Meatum auditorium* obſtruit modo *membrana*, modo *caruncula.*

3) Sic

3) Sic etiam *anum* occludit
   a) Modo *membrana*, a reliqua cute distincta; quo casu nullum ani vestigium, præter *maculam lividam*, observamus.
   b) Modo *excrescentia carnea*, qua intestini recti extremitas obducitur.
4) Idem sentiendum est de *penis* imperforatione.
5) Uteri occlusio a sequentibus causis derivatur:
   a) A mala conformatione.
   b) A vulneribus, contusionibus, inflammationibus & exulcerationibus.
   c) Unde partes vel sponte sua vel adstringentibus adhibitis coalescant.
   d) Ab *urina acri*, labia corrodente, ut purulenti quid sudent, unde illa a sanie exsiccata conglutinantur. *Vid. Becklin. libr. I. obs. 25.*
   e) Speciatim *vaginæ* imperforatio dependet
      α) Vel ab *hymene* nimis arcto, utplurimum crasso & quasi carnoso.
      β) Vel a *membrana* hymeni superaddita, ejusque *orificium* prorsus claudente.
      γ) Vel ab *alia membrana*, *profundius* sita.
      δ) Vel a *coalitu* ipsorum vaginæ *parietum*.
   f) Occlusio *oculi uterini* quoque dependet vel a *coalitu*, vel a *membrana* illud cooperiente.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Ἀγκυλοβλέφαρον, seu oculorum symphysis, difficilis est affectus, & cœcitatem, ad minimum visus defectum, plerumque inducit, præcipue quando *cornea* tunica cum palpebris simul coaluit, & ab *ambustione* originem duxit.
2. *Meatus auditorius* quando vel membrana vel caruncula in *principio* sui obstructus est, facilius operationem admittit. Quando autem malum profundius hæret, frustra curatio suscipitur. Tentarunt quidem nonnulli obstaculum hoc per infusa acria erodere, sed non sine periculo.
3. *Glandis* imperforatio est affectus periculo pleniſſimus, præcipue quia ægri tales urinam emittere non possunt; cujus suppressio funesta symptomata inducit. Tacemus, quod ad matrimonium inhabiles sint.

ſint. Non minus etiam illi, qui *ſubtus* glandem aperturam habent, in ſterili conjugio vivere creduntur; de qua re tamen dubitat *Polyſius* ephem. nat. curioſ. & alii, qui ad experientiam provocant.

4. *Ani* imperforatio periculoſus itidem eſt affectus, cui cito occurrendum.
   1) Nam fæces in inteſtino recto coacervantur, & contrario motu verſus ſuperiora ducuntur, unde gravia ſymptomata proveniunt.
   2) In puellis quidem non tam ſubito, neque tam frequenter funeſtum eſt hoc malum, quam in pueris, nihilominus tamen vaginam uteri interdum corrodit, & tunc fæcum excretio per talem aperturam fieri ſolet.
   3) Quando a *membrana* tantum imperforatio dependet, vel anus ex parte tantum clauſus eſt, facilius malum tollitur.
5. *Uteri* imperforatio ſequentia ſymptomata inducit.
   1) Ante tempus menſtruæ eruptionis incommoda non adeo præſto ſunt, niſi quidem urethræ occluſio ſimul adſit, & urinam ſupprimat.
   2) Quando autem menſtruum tempus imminet, ſanguis in antica vaginæ parte accumulatur, & ſub hac mora acrimoniam concipit, abdomen intumeſcit, adeo ut non raro prægnantes cenſeantur.
   3) Dolores inſignes, tenſivi, gravativi, circa regionem pubis accedunt, & tanti quidem aliquando, ut in furorem abripiantur, & in deſperato tali ſtatu violentas ſibi manus inferre cogitent. *Vid. Meckren. cap. 55. p. 260.*
   4) Nonnullæ urinam non, niſi per *cateterem*, emittere poſſunt.
   5) In quibusdam febricula continua accedit & corpus emaciat.
   6) In aliis ſanguis menſtruus vias inſolitas quærit & invenit, e. g. per nares. *Conf. Hildanus cent. III. obſ. 61.*
   7) Ceterum ad matrimonium ſunt ineptæ. Hinc affectus talis ſufficiens cauſa *diuortii* habetur.

V. *METHODUS MEDENDI.*

1. *Symphyſis oculorum* ſequente modo tractatur.
   1) Quando *palbebræ tantum* concretæ ſunt, ut aperire illas æger non poſſit, tum conſideramus
      a) Num veſtigium alicuius aperturæ appareat; id quod in angulo ordinarie maiori ſolet obſervari. Quo caſu forfice, cujus al-

altera extremitas *nodulo* prædita eſt, palpebræ diſſecantur, vel *conductor* ſubtiliſſimus præmittitur, & tunc forfice, nullo nodulo prædita, inciſio peragitur.

b) Quod ſi vero nulla prorſus adſit apertura, inciſio prius per *lanceolam* in angulo quodam facienda (ſed omni circumſpectione, ne oculus lædatur) & reliquum forfice, uti modo dictum, incidendum eſt.

2) Quando autem interior palpebrarum ſuperficies cum ipſo *oculi bulbo* ſimul coaluit (id quod experimur, ſi palpebras diſciſſas attollamus, invertamus & ſtylo exploremus) conſiderandum eſt

a) Num cohæſio illa ſit *exigua* & quibusdam tantum fibris hic illic connexa; quo caſu *emplaſtro glutinante* palpebra tenetur aperta, & ſubtili forfice vel lanceola obtuſa fibræ diſcinduntur.

b) Vel an concretio ſit *inſignis*, quo caſu obſervamus

α) Quod, ſi *cornea* tunica cum palpebris concreta ſit, operatio ſine viſus læſione non peragatur.

β) Quando autem *albuginea* tunica concreta eſt, majore fiducia operatio inſtituitur. Levis enim in hac tunica læſio & cicatriſatio viſum ita non lædit. Hinc auctores quidam non tam a læſione tunicæ *albugineæ*, quam interioris tunicæ palpebrarum, dehortantur, præcipue quia *ductus glandulæ lacrymalis*, per hanc tranſeuntes, facile lædi poſſint.

3) Facta palpebrarum inciſione, &, ſi opus fuerit, a bulbo ſeparatione, *nova concretio* cavetur

a) Per *laminam* e *cera* aut *corio* adaptatam, oleo quodam leniente imbutam, & oculum inter atque palpebram modeſte poſitam, ſingulisque diebus renovandam.

b) Per *collyrium*, e cicatriſantibus & leniter adſtringentibus paratum, & pauca portione oculo immiſſum.

c) Per frequentem ope ſtili explorationem.

2. *Meatus auditorius* clauſus ſequente ratione tractatur.

1) Frequens eſt infantibus, recens natis, *membrana* exterior, ſub ingreſſu meatus auditorii poſita; quæ tympanum ab injuriis externis defendit, donec meatus ſufficiens robur acceperit.

2) Quando autem hæc membrana, vel propter nimiam craſitiem, vel ob aliam cauſam tempeſtive non rumpitur, *præter naturalis* evadit.

3) Ad

3) Ad hoc incommodum tollendum auctores modo *causticum potentiale*, modo *actuale*, modo *inciſionem* commendant.

4) Merito autem præfertur *inciſio*; de qua tamen nil magis monendum, quam quod membrana modeſte & cruciatim incidenda ſit. Quo propior autem eſt membrana tympano, eo majore circumſpectione inciſio peragenda eſt. Brevis enim eſt meatus auditorius in infantibus, & facile hinc læditur, quando juſto profundius inciſio inſtituitur.

5) Facta inciſione, meatus *cannula* vel *turunda* apertus ſervatur, donec illius cutis plane coaluerit.

6) Quando autem *caruncula* meatum claudit, & hæc multum extrorſum prominet, extrahi forſan poterit methodo, qua uſus eſt *Hildanus* cent. III. obſ. 1.

3. *Ani* imperforatio.

1) Quando a tenui *membrana* dependet, hæc digiti interdum apice dilaceratur.

2) Quando anus per totum clauſus non eſt, *Scultetus armamentar. chirurg.* dilationem ejus commendat per *penicillos, radice gentianæ* formatos.

3) Eodem loco refert ſimul *encheireſin obſtetricis Batavianæ*, quæ anum imperforatum acicula prius perforare, & deinde dicta radice illum ampliare ſolita fuerit. Sed hæc *dilatatio* eſt dolorifica & curationem protrahit. Hinc alii præferunt *inciſionem*, duobus vel tribus in locis ſcalpello factam. Et licet multi damnent hanc ſectionem, allegant tamen auctores, e. g. *Hildanus*, *ephem. nat. curioſ.* multa exempla, in quibus felici cum ſucceſſu inſtituta fuerit.

4) Inſtituitur autem ſectio cruciatim, & quidem *ſcalpello*, vel *communi* vel *peculiari*, quale *van Hoorn* commendavit.

5) Ad *locum* inciſionis quod attinet, eminentia quædam vel cavitas vel aliud illius veſtigium ſæpe docet, in qua regione inciſio fieri debeat. Quando autem nullum veſtigium veri foraminis appareret, inteſtinum *rectum* vel plane deficit, vel ad inteſtinum usque *colon* coaluit, & priore caſu operationem plane irritam, poſteriore difficillimam reddit.

6) *Roonhuyſen* parvam aperturam ſcalpello fieri, eamque forfice dilatari jubet; quo facto primum flatus, deinde fæces liquidæ, poſtea craſſiores fœtidiſſimæ prodeunt,

7) Quod

7) Quando *nimis duræ* ſunt fæces, per aliquot *clyſteres* emolliuntur, & hac ratione dolores ſimul ſedantur.

8) Contingit interdum, ut extremitas inteſtini *recti* ad locum ordinarium ſe non extendat, & *excreſcentia carnoſa* intermedia viam præcludat. Hinc proſtant exempla, ubi poſt operationem nullæ plane fæces, ſed ſanguinis aliquot guttulæ emanarunt, quia ſcalpellum in cavitatem usque inteſtini adigi non potuit.

9) In hoc caſu, & quando inteſtini coalitus profundior eſt, commendant *cannulam*, acu breviore & acutiore præditam; qua, ubi ad obſtaculum veniunt, illud pertundunt. Deinde acum retrahunt, & cannulam per aliquot dies in loco pertuſo relinquunt.

10) Alii ordinariam, ſed ſatis profundam, & pro re nata ſucceſſivam inciſionem ſuadent; monent autem, ne ſcalpellum verſus *veſicam* vel *uterum*, ſed ad *os ſacrum* dirigatur.

11) Facta inciſione & ſufficiente fæcum eliminatione, *canaliculus* argenteus vel plumbeus, linimento quodam anodyno inunctus, foramini inſeritur & *faſcia Tau* firmatur.

12) *Hæmorrhagia* gravior ſi hanc operationem exciperet, *turunda* remedio ſiſtente imbuenda eſſet.
Alii *turundam duram* præferunt.

13) Poſtea adhibentur exſiccantia e. g. *unguent. de tutia*, aut, ſi inflammatio accederet, *unguent. alb. camphoratum*.

14) Denique inducta cicatrice curatio abſolvitur.

4. *Penis* imperforatio pro circumſtantiarum diverſitate diverſe tractatur.

1) Quando enim *foraminis anguſtia* adeſt, dilatanda illa ſine mora per *turundam minorem*, e *ſpongia* præparatam, vel *e medulla ſambuci* factam & *unguento roſaceo* imbutam.

2) Quod ſi vero *nulla* plane *apertura* adſit, cultelli ope foramen inciditur, cavendo, ne partes vicinæ nimium lædantur & ita periculoſa hæmorrhagia inducatur.

3) Deinde aperturæ *penicillus*, *oleo ovorum* inunctus, tam diu immittitur, donec cicatrix inducta ſit, & urina libere profluat. Tempore autem illo, quo æger urinam excernit, penicillus removetur.

4) Ubi autem *nullum* foraminis *veſtigium* apparet, irrita eſt omnis inciſio & medicatio.

5) Quando glans, quæ in loco ordinario impervia eſt, a *latere frænuli* foramen habet, & per hunc ductum urina ſine aliis incommodis excernitur, res eodem in ſtatu relinquenda eſt.

6) Quando autem æger incommoda ſentit, immittunt *ſpecillum inflexum*, ſuper quo foramen ad extremum usque glandis incidunt. Deinde parti infernæ conſolidantia adhibent, vulneri vero reliquo, quod apertum ſervari debet, ſubtilem cannulam immittunt, donec meatus urinarius cuticula ſuccinctus ſit. Alii *methodum paracentiacam* præferunt.

5. *Uteri* coalitus ſequente modo tractatur.

1) Quando a *ſanie* vel *ſanguine menſtruo* labiorum conglutinatio inducta eſt, ſola dilatatione per digitum, vel medullam ſambuci, ægra finem ſuum aſſequitur.

2) Quando a *tenui membrana* labia pudendi clauſa ſunt, ſpontanea interdum ruptio contingit. *Conf. Bartholin. cap. V. hiſt. 43.* Sin minus, *ſectio* neceſſaria eſt.

3) Hæc ſectio facile ſuccedit, quando humores contenti, e. g. urina, in membranam incumbunt, uti auctores, e. g. *Hildanus*, *Bartholinus*, pluribus exemplis id confirmant.

4) Quando autem *carnea* quædam *ſubſtantia* intercedit (quam applicatio *ſpeculi uterini* & renitentia prodit) inciſio non una vice, ſed *ſucceſſive*, peragenda eſt, ut hæmorrhagia gravior impediatur.

5) Hac autem nihilo minus adveniente, ſanguis immiſſa *ſpongia*, vino tepido imbuta, eluatur.

6) *Inſtrumentum* inciſionis quod attinet, peragitur illa
a) Vel *forfice*, quando hiatus aliqualis adeſt.
b) Vel *cultro falcato*, nullo hiatu præſente.

7) Quando *profundior* eſt clauſura, culter *linteo* obvolvitur, ægra, uti in *lithotomia*, collocatur, ſectio in parte *ſuperna* inchoatur & *deorſum* ducitur, ita ut dorſum cultri ſuperiora ſpectet, & læſio *veſicæ* atque *meatus urinarii* hac ratione caveatur.

8) *Sufficiens* autem eſſe debet inciſio, ne progrediente tempore illius repetitio expoſcatur.

9) Quam primum inſtrumentum in cavitatem penetravit, inſignis copia ſanguinis nigri, grumoſi & fœtidi erumpit, qui plures interdum libras ponderat.

10) Poſt

10) Post hunc effluxum vagina eluitur *aqua hordei*, deinde *hydromel*.

11) Postea remedia sanguinem sistentia *pessariis* applicantur; quorum etiam usus est

a) Ut vaginam *dilatent*, in quem finem e *medulla sambuci* vel *spongia præparata* parantur.

b) Ut vaginam *apertam* servent. Hinc prius omitti non debent pessaria, quam omnis metus conglutinationis cessaverit.

12) Denique *fascia* conveniente omnia firmantur, & abstergentibus atque cicatricem inducentibus curatio absolvitur.

13) Quod si vero *osculum* uteri imperforatum esset, malum haberetur incurabile, quia Chirurgus instrumenta sine vitæ periculo applicare non posset.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. *Ani* clausi sectio inutilis est

1) Quando excrementa vel per vaginam uteri, vel per penem viam sibi jam pararunt.

2) Ubi obstaculum profundius hæret, quam scalpellum attingere potest.

2. *Hildanus cent. 1. observ. 73.* notat, quod de *siccitate alvi* utplurimum conquerantur illi, quorum anus clausus per operationem incisus fuerit.

3. Præterea experientia confirmat, plerosque aliquot post operationem diebus fatis cedere.

4. De *glandis* incisione, loco ordinario instituta, notari meretur, quod speratus effectus non obtineatur, quando urina vel per intestinum rectum, vel per alium locum exitum nacta est.

5. De *apertura perinæi*, quam in plenaria urethræ coalitione aliqui commendant, notandum est, quod auctoritate aliorum non sit confirmata.

6. *Duplex* interdum *hiatus* excretioni urinæ patet; alter in loco naturali, alter in præternaturali; quo casu apertura præternaturalis circumspecte consolidanda est.

7. Quando in *glande* vel per incisionem, hiatu præternaturali institutam, vel per instrumentum, *trocart* dictum, & in naturali loco applicatum, aperturam obtinuit Chirurgus, caveat sibi partim a *futura* labiorum vulneris, quam nonnulli commendant, partim a *causticO*, quo callum penes aperturam absumere suadent.

TABULA LXXVIII.

DE

PARACENTESI.

I. DEFINITIO.

Paracenteſis eſt operatio chirurgica, qua certa corporis regio inſtrumento adaptato perforatur, & humores vitioſi, qui in cavitate pertuſæ partis ſtagnant, evacuantur. Derivatur a παρὰ & κεντέω pungo.

II. *DIFFERENTIA.*

Paracenteſis differt

1. Ratione *loci*, in quo pertuſio inſtituenda eſt.
   1) Modo enim inciſio fit in *thorace*.
   2) Modo in *abdomine*.
   3) Modo in *ſcroto*.
2. Ratione *cauſarum* ſeu *materiarum*, in hac vel illa cavitate contentarum.
   1) In *thorace* enim hoſpitatur
      a) Interdum *ſanguis*; qui a rupto vel inciſo vaſe quodam ſanguifero nunc pectoris nunc pulmonum dependet.
      b) Interdum *ſerum* aut *lympha*, a vaſe lymphatico, eadem ratione læſo, originem ſumens. Quando tale ſerum totum pectus plus vel minus inundat, *hydrops pectoris* appellatur.
      c) Interdum *purulenta* materia; quæ vel ab extravaſato ſanguine, in pus mutato, vel a rupta quadam vomica provenit. Et talis affectus vocatur *empyema*. Hoc *empyema* occupat
         α) Aliquando latus tantum *alterutrum*.
         β) Aliquando *utrumque*, ita ut pulmones in illa materia quaſi natent.
         γ) Aliquando non in cavitatem effunditur, ſed vel in *peluræ* vel *mediaſtini* duplicatura concluditur, vel etiam intra *pulmonum* ſubſtantiam nidulatur.
   2) Sic etiam in *abdomine* continentur
      a) Nunc *ſanguis*, a læſione quadam violenta intra cavitatem effuſus.
      b) Nunc hydropicorum ſtagnatorius *lymphæ* & *ſeri* infarctus, partim

Unable to display this page

Chirurgi proprio consilio hanc operationem non debent susci-pere.

2. Quæ circumspectio in thoracis sectione requiratur, cautelæ docent.
3. *Abdominis* perforatio periculosa etiam fieri potest. Nam propter suffarctum aquosum vulnera talia in ulcus degenerare possunt.
4. In *ascite inveterato* minus felix & consulta est hujus operationis ad-ministratio. Nam abdomen valde distentum est. Hinc partes omentum præcipue, sphacelo facile corripiuntur, inprimis si aqua simul & semel improvide evacuetur.
5. Præterea hæc aquæ evacuatio ad curationem affectus irrita est. Mor-bi enim fundamentum hac ratione non attingitur, sed *productum* duntaxat subtrahitur. Hinc intra unum vel alterum mensem aqua de novo intra abdomen colligitur.
6. Unde sincera confessio cordatorum Practicorum laudanda est, quod per paracentesin paucos, imo nullos, viderint curatos, sed ad tempus tantum levatos.
7. Quando autem major virium deiectio hanc operationem sequitur certa, si non propinqua, mors est. Hinc Medicus tanto maiore cir-cumspectione dijudicare debet, in quibus casibus hæc operatio lo-cum & spem boni effectus concedat.
8. Paracentesis quando *repetitur*, citius intereunt ægri, inquit *Harveus* tractatu de curatione morborum per exspectationem. Reliqua vi-deantur tabula medica de *hydrope*.
9. Ceterum omnis humor, qui in cavitatem corporis insignem effusus est, periculum portendit.
10. *Empyema* a causa interna magis periculosum est illo, quod a causa externa provenit.
11. Melius est, materiam hærere in *pleura*, quam in *pulmonibus*, *pericar-dio* & *mediastino*.
12. Quando in *utroque* latere pus exsistit, difficilior est curatio, quam si tantum in alterutro hæreat.

V. *METHODUS.*

1. Paracenteseos *thoracis*, ubi notamus
   1) Quod in *latere affecto*, e *signis* dignoscendo, incisio fieri debeat. Sin secus, irrita est operatio. *Hippocrates* applicatione cretæ, in pultis formam redactæ, id experiri tentavit.

2) *In-*

2) *Inſtrumenta*, quæ hic adhibentur, non ſunt *cannulæ* illæ *perforatæ* & in extremis acuminatæ, quæ in aliis partibus, ubi paracenteſis inſtituitur, adhiberi ſolent, ſed illa, quibus artificioſam inciſionem facere ſolent. Conf. caut. 5.

3) Ad *locum* quod attinet ſpecialem, eſt ille vel *electionis* vel *neceſſitatis*.

a) *Electio* ſi concedatur, ille locus eligatur, qui eſt declivis & facilem exitum materiæ concedit, ita tamen, ut nullum læſionis periculum partibus internis adferat. Illud autem latus neceſſario eligendum eſt, in quo materia continetur. Quando vero in utroque latere humores ſtagnare judicantur, utrumque latus incidendum, ſed non eodem tempore, quia vires non ſufficerent.

b) Itaque ſi latus ſiniſtrum incidendum eſt, plerumque hoc fit inter ſecundam & tertiam coſtam veram; in dextro autem latere operatio inter tertiam & quartam coſtam inſtituitur. Hepar enim in hac regione diaphragma attollit. Ubique autem ab inferioribus coſtis veris numerando incipiendum eſt. Accidit vero nonnunquam, ut diaphragma altius cum coſtis concretum ſit, & tum etiam operatio altius inſtituenda eſt: videlicet in latere ſiniſtro inter tertiam & quartam, in dextro autem inter quartam & quintam coſtam.

c) In illa autem præciſe regione perforatio inſtituatur, in qua coſtæ incurvantur & exterius gibboſæ ſunt, aut in quam pertingit tertia pars fili, a ſpina dorſi verſus ſternum ducti.

d) Quando autem tumor quidam exterius protuberat, tunc neceſſe eſt, ut in illo loco operatio inſtituatur.

e) Alii in ipſis *coſtis* perforationem inſtituendam putant; de qua re ſub *cautelis* plura dicemus.

4) *Modus* autem *operandi* eſt ſequens.

a) Locus ſecandus atramento notetur.

b) Æger ſellæ inſideat, & quidem erecto, quantum fieri poteſt, corpore. Hac enim ratione omnia in ſitu erunt naturali, & Chirurgus de loco eligendo melius judicare, rectius etiam inciſionem inſtituere, materiamque contentam facilius evacuare poterit, quia inciſio in integumentis facta aperturæ intercoſtali accurate reſpondet.

c) De-

c) Deinde Chirurgus cutim, tam propriis quam miniſtri manibus prehenſam, ſcalpello, linteamine involuto, ſecundum directionem coſtarum, ad quam etiam muſculi inciduntur, ad pleuram usque incidat.

d) Laxata cute, ægrum ab inſpiratione aliquamdiu abſtinere jubeat, & tum muſculos atque pleuram paululum oblique ſecet; cavendo, ne vaſa intercoſtalia lædantur.

e) Inciſa cute & muſculis, Chirurgus digitum in vulnus immittat, ut vel hoc dilatetur, vel variæ pulmonis cum pleura cohæſiones cognoſcantur, iisque cognitis pleura modeſte incidatur, & cyſtis, ſi adeſt, vel eodem inſtrumento aperiatur, vel digito laceretur, ut materia ipſi forte incluſa evacuetur.

f) Quo facto cannula plumbea vel argentea vulneri immittitur, & per hanc materia contenta ſucceſſive evacuatur. Ultra autem tres vel quatuor uncias quavis repetitione evacuare non convenit. Poſtea turundam mollem, obtuſam, filo præditam & balſamo imbutam, applicant.

g) Pro materiæ contentæ craſſitie vel tenuitate foramen vel majus vel minus eſſe debet. Hinc in hydrope thoracis exigua aperitio ſufficit.

h) Injicere quoque ſolent decocta abſtergentia, reſolventia, discutientia, leniter balſamica & conſolidantia.

i) Facta denique ſuper locum affectum embrocatione, vulnus clauditur duplici emplaſtro, majore altero, altero minore impoſitis ſpleniis & faſcia *ſcapulari*.

2. Paracenteſeos *abdominis*.

1) Ante, quam operatio inſtituatur, æger paululum ambulet, vel aliquo modo corpus moveat, ut ſedimentum aquarum e fundo quaſi excitetur.

2) Deinde ſellæ inſideat, vel in lecti ſpondam ita collocetur, ut locus perforandus reliquis ſit declivior.

3) Poſtea miniſter tumorem manibus ſuis premat deorſum, ad augendum reniſum & facilitandum inſtrumenti tranſitum.

4) Denique acus tricuſpidata, cannula argentea munita, Gallis *trocart* dicta, in ventrem quocunque in latere immittatur, & quidem ſine metu læſionis inteſtinorum. Aquæ enim inter hæc & intgume

gumenta multum ſpatii relinquunt. De *umbilico* pertundendo videantur *cautelæ*.

5) Facta perforatione acus extrahitur, cannula autem relinquitur, & per hanc una vel altera libra ſeri quotidie evacuatur, non tamen continuato, ſed aliquoties interrupto curſu. Interea locus perforatus emplaſtro & turunda munitur.

6) Poſt ſingulas aquarum egeſtiones infimus venter faſciis conſtringatur, quo ipſius integumenta viſceribus concluſis admoveantur.

7) Quando aquæ proventus poſt abdominis depreſſionem non magis ſuccedit, fiſtula extrahitur, emplaſtrum duplex & linteamen triplex imponitur. Sic cutis vulnuſculum facile coaleſcit.

3. Paracenteſeos *ſcroti*.

1) De *ſcroti* perforatione tabula de herniis jam actum eſt.

2) Hoc loco adhuc monemus, quod præcipiti auſu non inſtituenda, ſed medicamentorum nervinorum, diſcutientium & roborantium efficacia prius tentanda ſit.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. De ſectione thoracis monendum eſt, ut, ſi opus ſit, mature inſtituatur, antequam viſcera contenta corrumpantur.

2. *Hippocrates* jubet, ut perforatio in *ipſa coſta* inſtituatur, & quidem ob ſequentes præcipue rationes.

1) Ut labia vulneris non collabantur.

2) Ut turunda tanto commodius poſſit applicari.

3) Ut muſculorum & vaſorum intercoſtalium læſio caveatur.

3. Sed vix ullos noſtro tempore habet aſſeclas, graviora enim argumenta contrarium ſuadent, & hinc merito rejicitur.

1) Nonnulli enim coſtas adeo exiguas habent, ut ſine diffractione non poſſint perforari.

2) Foramen coſtæ impreſſum, licet magnum ſit, puri tamen craſſiori evacuando non eſt proportionatum.

3) Vaſa intercoſtalia hac ratione facilius, quam alia, læduntur.

4) Caries oſſis pertimeſcenda eſt.

4. Inciſio fiat potius in *exſpiratione* quam *inſpiratione*, id quod propemodum ſponte fit propter timorem & ſenſum; cavendo, ne inſtrumento, profundius adacto, pulmones, vel vaſa ſanguifera, per inferiorem coſtarum ſciſſuram reptantia, lædantur.

5. Minime autem methodus probatur illorum, qui, ne pulmones lædant, pleuram *ſpecillo obtuſiore* malunt *perforare*, quam *incidere*. Neque illorum, qui *cauterium* ſcalpello præferunt. Si enim rem juſtius conſideremus, paracenteſeos vocabulum ad thoracis operationem incongrue applicatur. Nam hic perforatio, quæ uno actu & ictu fit, non habet locum, ſed artificialis inciſio. Quare temerarius eſt auſus, inſtrumento acuminato thoracem ruditer perforare & læſionem pulmonum non pertimeſcere; cum primis ob frequentem & arctam pulmonum cum pleura concretionem. Convenit itaque, vt artifex poſt cutis & muſculorum dextram inciſionem digitum indicem vulneri immittat, pleuræ ſtatum bene exploret & tum inciſionem ita inſtituat, ut acumen inſtrumenti ſecantis, nempe *biſtouri*, indici digito impoſitum ſit, ne quid de eo, quod conſervari debet, lædatur.

6. Nonnulli, ne forte in vanum operentur, locum incidendum perforant prius acu tricuſpide, quæ circa ſui extremum ita excavata eſt, ut ſpecillum cavum referat; id quod adſtantium caterva non animadvertit. Quando nulla materia effluit, emplaſtrum imponunt; ſin vero exeat, foramen ſcalpello dilatant.

7. Quando tumor prægreſſus locum inciſionis monſtravit, digitus caute immittendus eſt, ne materia coërcita in pectoris cavitatem effundatur.

8. In omni caſu, excepta *ſcroti* perforatione, materia non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive evacuanda eſt, ne vires fatiſcant.

9. Quando pulmones vulneri appropinquant, & puris egreſſum impediunt, ſpecillo excavato, & duplici foramine prædito, removeantur.

10. Vulnus, quantum fieri poteſt, ab *aëre frigido* defendatur.

11. Tentarunt nonnulli materiam purulentam exhaurire *ſyringa*, quæ pluribus in locis tubulum habet perforatum. Sed irritum & noxium fuit conamen.

12. Quando *turunda nimis longa* applicatur, ita ut pulmones tangat, ſymptomata tuſſis, doloris & febrilium commotionum non parum augentur. Ceterum *pectoris* paracenteſis paulo amplior eſſe debet, & præſtat hic facere *vulnus*, quam *vulnuſculum*. Conſolidatio enim, ſi res intus bene conſtitutæ ſunt, ſatis cito obtinetur. In ejusmodi

nego-

negotiis animi præsentia multum sæpius valet, & licet temeritas minime sit laudanda, timiditas tamen etiam laudari non meretur.

13. Quando paracentesis abdominis instituenda venit, & *locus electionis* conceditur, alterutrum latus, trium vel quatuor infra umbilicum, totidemque a *linea alba* digitorum intervallo, eligatur.

14. Necessitate autem urgente, punctio instituenda est in illo loco, quem tumor quidam quasi monstrat.

15. Sic *umbilicus* nonnunquam ita protuberat, ut aquæ concluſæ levissimum duntaxat extenuatæ cutis discrimen objiciant; in quo casu haud difficulter pertunditur, neque alius locus eligendus est.

16. Paracentesis abdominis *tempestive* instituenda est, nempe vel mox in principio, vel augmento; cujus rei vulgo contrarium observatur, dum ad hanc operationem prius non accedunt, quam varia remedia per longum tempus frustra fuerint propinata.

17. Post *scroti* paracentesin convenit adhibere decoctum discutiens, resolvens & carminativum, uti sub *herniis* diximus. Conducunt in hunc finem rad. vincetox. irid. Florent. herb. chærefol. hyssop. scord. absinth. flor. rosar. rubr. melilot. chamomill. sem. fœnicul. carv. siler. montan. anisi; quæ species in vino coquuntur, ad lenem madorem exprimuntur, & quater per diem calide applicantur.

18. Apertio ipsa in parte *inferiore* est instituenda, ut promptior transitus fiat humoris.

19 Vulnus tractatur unguento digestivo usitato, nempe e vitello ovorum, conquassato cum terebinthina; cui parum aut nihil mellis, & paucæ guttæ balsami Peruviani aut Capaivæ admisceri possunt.

20. De *empyematis* paracentesi speciatim adhuc notamus, quod evacuata aliqua materiæ portione nequaquam inutile sit decoctum aliquod vulnerarium, mundificans & corruptionem inhibens tepide injicere, & ita absterſionem ulceris atque roborationem partis promovere. Laudantur præ aliis myrrh. mel. rosat. cum tantillo balsam. Peruvian. item decoctum scabios. hyperic. scord. pyrol. veronic. heder. terrestr.

21. Ultimo loco notamus, quod rariores quidem sint collectiones puris inter musculos abdominis & peritonæum, interea tamen in auctorum nonnullorum observationibus occurrant. Exonerantur autem

ſimplice ſectione, quæ ad ipſam cavitatem non debet penetrare. Præterea vel in loco declivi ſectio inſtituenda, vel ſitu deinceps ita ſuccurrendum eſt, ut evacuatio commode ſuccedat.

TABULA LXXIX.

DE CAUTERISATIONE SEU USTIONE.

I. DEFINITIO.

Uſtio ſeu *cauteriſatio* eſt operatio chirurgica, qua vel inſtrumento candente, vel remedio cauſtico, partibus modo carneis, modo oſſeis, eſchara inducitur, eum quidem in finem, ut vel ulterior corruptio caveatur, vel ſanguinis fluxus ſiſtatur, vel fonticulus, veſica &c. excitetur.

II. *DIFFERENTIA.*

Cauteria dividuntur in

1. *Actualia*, quæ ſunt ferramenta candentia, quibus uſtio peragitur, & in

2. *Potentialia*, quæ ſunt remedia *cauſtica*, ſive *potenter alcalina*, ſive *concentrata acida*, quibus partes ſine peculiari ſenſu poſſunt inuri, non quidem momentanee, ſed intra 4-6 horas. Talia remedia corroſiva ſeu cauſtica ſunt varia, e. g.

1) *Butyrum antimonii.*

2) *Lapis cauſticus*, e calce viva & cineribus clavellatis paratus.

3) *Lapis infernalis.*

4) *Corroſivum Sutorianum*, cujus ſecurum effectum laudare jam poſſumus confidentius, cum beatus auctor paucis ante obitum annis ejus præparationem nobiscum communicaverit.

3. Ad

3. Ad cauteria, & quidem *actualia*, referre etiam poſſumus *Indorum moxam*, quam ex *artemiſiæ lanugine*, poſt herbæ exſiccatæ contritionem remanente, parare, & podagræ inprimis opponere ſolent. *Conf. cautelæ.*

III. *USUS.*

1. Uſum uſtionis generalem ſub *definitione* jam indicavimus, reſtat, ut per ſpecies nonnulla adjiciamus.
2. Uſtio *actualis* tantum non in omnibus affectibus melius cedit, quam *potentialis*.
3. Edit enim uſtio *actualis* repentinum non ſolum effectum, ſed etiam materiam malignam, ſi ſubſit, in momento quaſi corrigit & figit.
4. Dolorem quidem incutit vehementem, ſed plerumque magis repentinum, quam durabilem, præcipue ſi tempeſtive illi ſuccurratur.
5. Unde inanis & noxia eſt formido, quando hanc ab antiquiſſimis temporibus uſitatam operationem, tanquam horribilem, ægri, imo ipſi Medici, e. g. *Helmontius*, *Bontekoe* averſantur, & hinc cauteria *potentialia* ei præferunt.
6. Certe enim *potentialia* cauteria, niſi cum prudentiſſimo moderamine applicentur, majoribus incommodis ægrum exponunt. Præterea effectus illos, ab igne exſpectandos, nequaquam aſſequuntur.
7. Sic e. g. in *carbunculis peſtilentialibus* inuſtio *actualis* plus boni effectus pollicetur, quam ulla *potentialia* cauteria. Corruptelam enim putridam, ſphacelum minitantem, potenter infringit, dum affluxum humorum ad partem affectam promovet, ut materia corruptiva melius & conſtantius emanare poſſit.
8. Digniſſima ſane eſt obſervatio, quæ apud *Scultetum* legitur de carbunculo peſtilente, juxta orificium inteſtini recti cum ægri euphoria proveniente, poſtea autem cum recurſu priſtinæ anxietatis retrocedente. Huic loco cum ferrum candens *eminus* tantum adhibitum fuerit, ita ut æſtus illum afficerit, actu autem non tetigerit, aſſeverat, carbunculum cum maxima ægri euphoria iterum proveniſſe. Plura de uſu uſtionis *actualis* vid. apud *Severinum*; de uſu *potentialis* autem paſſim in tabulis hisce dictum eſt.

IV. *METHODUS.*

1. Uſtio *actualis* fieri debet
   1) Ferramento *proportionato* & ſufficienter *candente*, hell = roth glüend.
   2) Satis *cito*, &, quantum neceſſe eſt, *profunde. Vid. cautel.*
2. Uſtio *potentialis* relinquatur, donec cruſta ſeu eſchara inducta ſit; cui deinde emplaſtr. diapalm. imponitur.

V. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Uſtio *actualis* uti omnino conducit poſt reſectionem partium, ſphacelo corruptarum, partim ad ſanguinis fluxum compeſcendum, partim ad corruptionem ſphaceloſam inhibendam, ita cavendum eſt, ne ex hac uſtione novum periculum *gangrænæ* & *ſphaceli* ingruat. In hunc finem neceſſe eſt, ut inflammationis negotium prudenter conſideretur & provide tractetur.
2. Ubi neceſſitas expoſcit, inſtrumentum candens imprimendum, imo, pro re nata, ſecundo adhuc cauterio prioris effectus promovendus eſt, e. g. in *cancro mammarum*, *carie profunda*. Contra etiam cavendum, ne in iis affectibus, in quibus non neceſſarium eſt, nimium agatur, e. g. quando *fonticulus* in ſubjecto quodam teneriore inurendus eſt, ita fieri debet, ut cutis tantum uratur. Quando autem profundius inſtrumentum intruditur, tendinis læſio pertimeſcenda eſt.
3. *Afri* quidam ſingula exanthemata *ligno candente* adurunt, mit einem angebrandten Höltzgen, ut retroceſſio impediatur, dum major humorum affluxus provocatur. Simplex quidem eſt conſilium, rationale tamen, & hinc ſucceſſu bono non prorſus deſtitutum.
4. *Moxa* tantæ hodie apud nos non eſt æſtimationis, quantæ prioribus annis fuit; quo tempore affectibus arthriticis curandis adhibebatur. Videlicet lanugineam illam materiam, in formam cunei complicatam, loco deſignato cum gummi arabico agglutinabant, deinde in extremitate ſui, inſtar bacilli fumalis (Rauch=Kertzlein) incendebant, & pro re nata repetebant.
5. Uſtio *potentialis* omni circumſpectione inſtituenda eſt, præcipue in locis ſenſibilibus, ne vaſa, nervi, tendines &c, lædantur. Abſtineatur ab *arſenico* & *mercurio ſublimato*.

TABULA LXXX.

DE

EXTRACTIONE RERUM PEREGRINARUM.

I. *DIFFERENTIA.*

Sub *rerum peregrinarum* nomine comprehendimus

1. Omnia illa extranea, quæ ſub actu læſionis cum corpore communicantur, qualia ſunt e. g.
   1) *Sagittæ*, de quibus extrahendis multa in antiquis auctoribus legimus.
   2) *Globuli plumbei*, de quibus recentiores præcipue mentionem faciunt.
   3) Fruſtula *veſtimentorum*.
   4) Extremitates *gladiorum, cultrorum* &c.
   5) *Feſtucæ*.
2. Omnia illa *animalcula*, quæ cavitatibus ſeſe inſinuant, e. g. auribus, oculis, faucibus.
3. Omnes heterogeneitates, quæ a partibus *oſſeis* in corpore corrumpuntur & ſecedunt, e. g. caries, feſtucæ ſeu rami oſſium, a fractura violenta dependentes.

II. *PROGNOSIS.*

1. Res peregrinæ facilius extrahuntur e partibus *mollibus*, quam *ſolidis*.
2. Quo nobilior eſt pars affecta, eo moleſtius heterogenea perfert. In partibus *nervoſis* ingentes dolores & commotiones febriles ab illis excitantur.
3. Quo profundius impactæ ſunt heterogeneitates, eo difficilius illarum extractio ſuccedit.
4. *Globuli plumbei*, pro diverſitate ſitus, per plures interdum annos quieti ſunt. Quando autem alia heterogenea, e. g. fruſta veſtimentorum, ſimul impreſſa ſunt, extractio illorum prudenter conſideranda eſt. Talia enim ægrius in corpore tolerantur. Globuli gravitate ſua ad alia loca interdum deſcendunt, ubi facilius exſcinduntur.

5. *Sagittarum* & *ſpiculorum* infixio hodie apud nos quidem non ita familiaris eſt, quando autem in bellis *Turcicis* talia imprimuntur, extractio illorum multam ſæpe involvit difficultatem; præcipue quando ſagittæ *hamulis* præditæ ſunt, & profunde penetrarunt. Tales enim non poſſunt retrahi, unde exſciſſio illarum requiritur.
6. Heterogenea, quæ cernuntur, tantam non habent in extractione difficultatem, quam quæ occulta ſunt.

III. *METHODUS.*

1. Exæreſis rerum infixarum requirit
   1) Debitum *acceſſum* & rei extrahendæ immediatum contactum.
   2) *Congrua inſtrumenta*, quibus res extrahendæ recte & firmiter poſſint apprehendi.
2. Ratione primi ſcopi ante omnia *tumor*, ſi adſit, corrigatur, *dolor* & *inflammatio* mitigetur.
3. Quando autem vel ob moram, vel alias circumſtantias, foramen juſto arctius factum eſt, illud per *ſectionem* aut *turundam turgeſcentem*, Quell-Meiſſel, dilatandum eſt.
4. Quod ad *inſtrumenta* attinet, conformatio illorum in caſibus ſolemnibus apud auctores chirurgicos delineata occurrit. *Conf. tabul. II. de inſtrumentis.* In caſibus autem ſpecialibus & minus conſuetis, proprio ingenio & ſpeciali phyſico-mechanica aptitudine parari debent.
5. *Globuli ſclopetarii*, quando gravitate ſua & longiore mora profundius deflexerunt, daß ſie ſich geſencket haben, conſultius eſt, in parte oppoſita, ſi nihil obſtet, ſectionem & extractionem tentare, quam per vulnus ordinarium. Germani dicunt: die Kugel ausſchneiden.
6. Quando autem commode attingi poteſt globulus, *duplex*, ad illum extrahendum, in uſu habent *inſtrumentum*, nempe
   1) Vel *terebellum* acutum chalybeatum, germ. einen Kugel-Bohrer, quod globulo infigitur, ut trahendo educatur.
   2) Vel *forcipem* artificioſam, duobus *hemiſphæreis*, utriusque intus cavis, inſtructam, qua globulus comprehenſus extrahitur.
7. Majus incommodum extrahendi occurrit, quando globulus *oſſa* ſimul contingit, a quorum contactu inæqualis reddi ſolet, daß ſich die Kugel breit ſtöſſet. Imo conſideratu dignum, quod globuli, in *carnoſas* tantum partes immerſi, priſtinam rotunditatem amiſiſſe compareant.

8. Non-

8. Nonnunquam globulus *ossi* ita imprimitur, ut trepanatio illius ossis, ad globulum extrahendum, requiratur.

9. Quando globulus non cernitur, quietus tamen jacet, sibi relinquatur, donec commodiorem situm ad sui extractionem ostendat. Inquietus autem *specillo* exploratur.

10. *Sagittæ* quando profundius penetrarunt, & *hamulo* præditæ sunt, in parte opposita scindendo extrahantur. *Simplices* autem, nullo unco instructæ, per illud vulnus, per quod ingressæ sunt, extrahuntur.

Reliqua videantur sub *cautelis*.

IV. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Extractio, quo *maturius*, eo melius instituitur. Mora enim tumorem inflammatorium facile invitat.

2. In profundis læsionibus caveatur, ne loco rerum *heterogenearum* res *domesticæ*, nempe vasa sanguifera, nervi, tendines, comprehendantur; qui error gravissima symptomata, imo ipsam mortem adferre potest. Unde forceps prius non aperienda, quam globulum vel aliud heterogeneum tetigerit.

3. Quando globulus exscindendus est, caute fieri debet incisio, ne vasa, nervi vel tendines lædantur. Hæc impedimenta quando incisionem prohibent, exspectandum, donec per suppurationem ulterius proveniat globulus.

4. Quando sectionem nova *hæmorrhagia* excipit, illa cito non sistenda, sed paululum toleranda est.

5. Interdum *plures* heterogeneitates in uno vulnere latent, e. g. duo globuli, plures festucæ. Hinc Chirurgus visitationem accurate debet instituere, ne quid in vulnere relinquat.

6. Ad explorationem rerum heterogenearum conducit etiam nonnunquam, ut æger eundem situm repetat, quo vulneratus fuit. Alias enim adeps & musculi aditum facile præcludunt.

7. Quando res heterogeneæ enormes dolores *spasticos* vel plane *convulsivos* producunt, extractio matura quovis modo animo sedeat. Quodsi vero graviora symptomata ab incisione metuenda essent, & ita duplicem afflictionem perferre deberet æger, melius foret exspectare.

8. Globulus si in tali corporis cavitate lateret, ad quam securus aditus non conceditur, relinquendus & vulnus consolidandum esset.

Per totam enim vitam ſine multis incommodis globuli ſæpe portantur.

9. Globulus, qui neque per forcipem, neque per terebram extrahi poteſt, tractabilior reddi ſolet, quando ſuppurationis tempus accedit.

10. Globulus, in *articulo* quodam hærens, cito extrahendus eſt, ne gangrænam, ſphacelum, vel cariem inducat, & membri amputationem neceſſariam reddat.

11. Eveniunt interdum inſperatæ difficultates in hoc negotio. Sic e. g. *Stahlius* de nobili quodam milite refert, quod vulnus ipſius, globulo in brachium inflictum, poſt multos dolores conſolidatum fuerit, tempore exiguo cum inflammatione & magna exacerbatione recurſum ſumſerit, poſt aliquot hebdomadas, relicto intus globulo, de novo conſolidatum fuerit, elapſo integro anno ſecunda vice cum duro tumore eruperit, donec tandem fruſtillum *panni coccinei*, quo tempore vulnerationis indutus, per ſectionem extractum & vulnus poſtea cito ac conſtanter conſolidatum fuerit;

12. *Apices* quoque gladiorum magnas ſæpe gignunt difficultates, dum *turundis turgeſcentibus*, mit Quell-Meiſſeln vulnus dilatandum eſt, e. g. medulla ſambuci, fruſtulo ſpongiæ contortæ, oleo frixatæ. Hæc dum per 12. circiter horas vulneri imponuntur, moleſtus ordinarie affluxus & non pauca incommoda provocantur.

13. Hinc in omnibus caſibus, in quibus loci conditio concedit, materia infixa per *ſectionem* optime & certiſſime extrahitur, præcipue in bellis & præliis, in quibus circumſtantiis mora periculum auget.

14. *Feſtucarum & ramorum oſſium*, per violentam fracturam excuſſorum, duplex eſt ſtatus. Modo enim *cum*, modo *ſine* vulnere partium ſuperſtratarum contingunt.

15. *Poſteriore* caſu coaleſcit denuo feſtuca, ſi modo ætas non admodum efflœta, corpus non cacochymicum & tumor non adeo inſignis adſit. Subveniendum autem eſt mature per emplaſtrum repellens & diſcutiens, e. g. per *empl. ad rupturas*, vel, quod lenius eſt, *ceratum ſantalinum*.

16. *Priore* autem caſu non coaleſcunt feſtucæ & ſquamæ, quando a reliquo oſſe inſigniter, nedum penitus, avulſæ ſunt. Sanies enim, pus vel ichor, a mollibus partibus, una læſis, proveniens, tanto præſentius & certius arrodit ipſam denudatam oſſis texturam.

17. Ex-

17. Exſpectanda itaque in tali caſu ſucceſſiva *abſceſſio* ejusmodi oſſiculorum, partim a *perioſteo* & inſtructis *carnoſis* atque *tendinoſis* partibus, partim ab ipſo *reliquo oſſe*, ſi cum hoc quodam modo adhuc cohæreant. Tædioſa autem & longinqua, imo ab omni periculo non aliena eſt talis exſpectatio.

18. Hinc integritati partium mollium ſuccurrendum, & hac ratione corruptio ulterior cavenda eſt per lenia balſamica, non eximie ſarcotica; cujusmodi ſunt tum ipſe *ſpiritus vini*, tum cum ipſo parata *eſſentia ſuccini*, quæ ſimul oſſiculorum ſeceſſionem quodammodo promovent.

19. Præſentiſſime vero perpetratur feſtucarum & ſquamarum talium ſeparatio, inprimis quando cinerei vel tetri coloris ſunt, per *inſtrumentalem chirurgiam*, ſi vel maxime per ſectionem aliqualem vulnus dilatandum ſit. Hac enim ratione *dolore brevi*, &, ſi cetera paria ſint, non adeo immenſo abſolvitur negotium, quod alias ob diuturnitatem & moleſtorum ſymptomatum concurſum longe diſparem eventum tam dolorum quam periculi ægro minatur.

20. Ante omnia cavendum, ne partes ſuperſtratæ conſolidentur, quam diu feſtuca ſeu ſquamula quantacunque exilis, & a ſanie alterata, præſto eſt. Certiſſime enim nova ulceroſa eruptio in parte ita affecta inde exſpectanda eſt, quæ commode avertitur, & longinqua molimina doloris, inflammationis & arroſionis brevia redduntur per ſimplicem *inciſionem*, ſatis amplam & profundam, nempe ad latentem usque feſtucam; quæ, quando apparet, quovis, quo fieri poteſt, modo ſeparanda & extrahenda. Tunc demum conſolidatio ſecure promovetur. De oſſe *carioſo* extrahendo videatur tabula de *carie*.

21. In illo caſu, quo *diutius* negotium protrahitur, reſpiciatur perpetuo *affluxus*, qui hujus generis ſenſibilibus & durabilibus læſionibus familiaris eſt, & illius diſcuſſio tam per *interna* avertentia & evacuantia, quam per *externa* diſcutientia & roborantia perpetretur.

22. Imo hæc affluxus diſcuſſio etiam poſt jam factam conſolidationem non prorſus negligenda eſt, præcipue circa tempus anniverſarium, quo læſio inflicta fuit; item circa inſignes tempeſtatum mutationes. Hiſce enim temporibus facile dolores, gravitas, impotentia movendi in parte olim affecta perſentiſcuntur, adeo ut decreſcentibus cum ætate viribus notabilis debilitas in illa parte obſervanda veniat; cui

autem incommodo per discutientia, inprimis camphorata, efficaciter occurrere possumus.

23. Si forte palea, festuca, unguis, pulviſculus, musca, vel quæcunque res peregrina in *oculum* illapsa esset, portio *succini* tam diu fricetur, donec calefiat, deinde oculo applicetur, sic extrahit, quod in illo contentum est. Alii *oculum cancri* applicant, & hac ratione humorum affluxum absterſivum promovent. Alii aquam tepidam vel lac oculo infundunt; id quod præcipue conducit, quando humoris acris vel spiritus acidi guttulæ quædam in oculum illapsæ essent.

24. His non sufficientibus palpebra invertenda, & res peregrina conveniente instrumento, non lædente, extrahenda est. Postea oculus tractatur, uti in *ophthalmia*.

25. De heterogeneis ex *auribus* trahendis sequentia notamus:

1) Accidit interdum, ut infantes *lapillum*, *pisum*, *nucleum* &c. in aures intrudant, quo casu *helleborus* naribus admoveatur, vel, ad lubricandum meatum, *oleum* quoddam tepidum instilletur, & deinde cochleari subtili id, quod illapsum fuit, extrahatur.

2) *Cerumen* emollitur vel per *lac* aut *oleum* tepidum, vel per injectum *liquorem* convenientem, vel per admissum *vaporem* decocti alicujus. Facta emollitione, per cochlear subtile evacuatur. Hac ratione nonnullorum surditatem paucis quasi momentis sublatam novimus.

3) *Insecta* quando auribus sese insinuarunt, extrahuntur vel forcipe subtili aut cochleari, vel, si profundius immersa sint, decoctum amarum, aut oleum amygdalarum, olivarum &c. tepidum injicitur. Amara enim plurima, & oleum omnia talia insecta enecat, ut deinde facilius extrahi possint. Hac injectione decocti amari enecantur etiam vermes, qui in meatus auditorii ulceribus prognascuntur. Alii ad talia insecta extrahenda applicant *spongiam*, stylo ferreo alligatam, & resina terebinthinæ imbutam.

26. Peregrina, quæ in *faucibus* nonnumquam hærent, e. e. ossicula, acus, nuclei prunorum &c. multa incommoda, imo subinde pericula afferunt. Hinc maturius & quidem sequente modo succurrendum.

1) Deglutitur *frustulum panis*, vel *haustus cerevisiæ* sumitur. Hac enim ratione sæpius malum removetur.

2) Sin

2) Sin secus, lingua deprimitur, &, si fieri potest, heterogeneum forcipe adaptata extrahitur.

3) Quando autem extractio illius ob profunditatem non habet locum, *excutia*, Magen-Bürste, spongia prædita, vel cera proportionata, mit einem dicken Wachs-Stock, detruditur.

27. De extractionibus reliquarum heterogeneitatum e. g. *secundinarum*, *fœtus mortui* &c. inferius specialiter agetur.

TABULA LXXXI.

DE

AMPUTATIONE PARTIUM CORRUPTARUM ET SUPERFLUARUM.

I. DEFINITIO.

Amputatio est operatio chirurgica, qua partes sive superfluæ, sive sphacelo aut carie correptæ, congruis instrumentis auferuntur, ut progressus corruptionis inhibeatur & vicinæ partes hac ratione defendantur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Chirurgico-medica* ablatio partium corruptarum quomodo instituenda sit, tabulis de *sphacelo*, *cancro* & *carie* indicavimus.
2. Hoc loco de *chirurgico instrumentali* amputatione dicendum est.
3. Instituitur hæc præcipue in *artubus*, videlicet *brachiis* & *pedibus*; item in *mammis cancrosis*.
4. Huc etiam spectat amputatio partium *superfluarum* e. g. quando in pede vel manu sex digiti a nativitate reperiuntur.

III. *SIGNA.*

Quomodo partes sphacelo vel carie corruptæ agnosci possint, suo loco indicavimus.

IV. *CAUSÆ.*

Amputationem instrumentalem sequentes circumstantiæ exposcunt.

1. *Sphacelus* præ omnibus aliis cauſis.
2. *Caries* & *ſpina ventoſa*.
3. Corruptio *cancroſa*, id eſt ſphaceloſo-ulceroſa, præcipue in *mammis*.
4. *Vitium naturale*, e. g. quando plures, quam decet, digiti adſunt.
5. His addimus, quando profunda *læſio arteriæ* e. g. *cruralis*, *brachialis*, hæmorrhagiam lethalem minatur; vel pars quædam enormi *contuſione* ita conquaſſata eſt, ut nulla illius reſtitutio ſperanda ſit, quales caſus toto die occurrunt, e. g. a glandibus & bolidibus igniariis, von Granaten und Bomben, &c.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Per vulgus notum eſt, quod amputatio artuum ſontica non ſolum incommoda, verum etiam pericula involvat. Unde etiam multi ægri ab hac operatione ita abhorrent, ut morti potius, quam amputationi ſeſe ſubmittant.
2. Periculoſiſſima omnium eſt amputatio *femoris*, & quo altius femur abſcindendum eſt, eo majus periculum imminet ob vaſtiſſimos muſculos & vaſa capacia arterioſa.
3. Quoniam autem per hanc operationem vita nonnunquam ſalvatur, *anceps* potius, quam *nullum* remedium commendatur & adhibetur.

V. *METHODUS ET REMEDIA.*

1. *Generalis*, ubi conſiderantur
   1) *Inſtrumenta*, quæ cum univerſo apparatu ante operationem ad manus eſſe debent, nempe
      a) Machina illa compreſſoria, *tourniquet* dicta, qua ſanguinis ex arteriis affluxus debite intercipitur, & dum nervi hac ratione comprimuntur, dolores ſimul minuuntur.
      b) *Culter magnus falcatus*, quo muſculoſæ partes diſcinduntur.
      c) *Culter faſtigiatus* & *bipennis*, quo diſcinduntur illæ carnoſæ partes, quæ inter duo oſſa e. g. ulnæ & radii, poſitæ ſunt.
      d) *Serra*, quæ ſatis acuta eſſe debet, ne ſub oſſis diſſectione diuturna agitatio ægri anxietatem augeat vel feſtucas producat.
      e) Remedia *ſanguinem ſiſtentia* e. g. ſpiritus vini rectificatiſſimus, pulvis ſtypticus. Conferatur tabula de *hæmorrhagia* vulnerum. Huc etiam ſpectat *veſica*, & quod *Angli* & *Galli* magis in uſu habent, *emplaſtrum glutinans*, ita diſſectum, ut crucis formam

quam

quam *Ordo Melitenſis* gerit, referat. Item *forceps* cum *acu, filo* prædita, ad arteriam, ubi fieri poteſt, comprehendendam & deligandam.

f) Reliquus *deligationis apparatus*, præcipue ſufficiens *linteum carptum*, multa *ſplenia*, & *faſcia*, quæ decem circiter ulnas longitudine, latitudine autem tres fere digitos habeat.

2) *Locus*, in quo amputatio fieri debeat De hoc diſſentiunt quidem auctores, uti ſub *cautelis* indicabimus, interea tamen ſequentes *regulæ generales* de hac re notandæ ſunt.

a) Os *femoris* quo profundius verſus genu amputari poteſt, eo ſecurius hoc peragitur.

b) *Tibia* paulo infra genu amputatur, licet corruptio ſupra malleolum tantum ſeſe extendat. De ſententia in contrarium ſub *cautelis* dicemus.

c) *Brachium* quo profundius amputationem concedit, eo minorem deformitatem infert.

3. *Modus operandi.*

a) Corpus debite præparetur, & æger corpore atque animo reficiatur.

b) Sana cutis cum carne ſubjecta ſurſum trahatur, & ſub operatione in firma tali extenſione ſervetur. Hoc obtinetur, quando paululum ſupra locum inciſionis, cute cum carne ſuperius tracta, ligamen ſericeum vel aliud circumducitur & nodo firmatur. Idem fit infra locum inciſionis.

c) Inſtrumentum compreſſorium, *tourniquet* dictum, applicetur, & quidem ad duorum digitorum latitudinem ſupra locum inciſionis.

d) Deinde pars amputanda inter duo ligamina, quæ partes firmiter tenſas tenent, *cultro falcato* per circulum celeriter & æqualiter incidatur.

e) *Perioſteum* ab oſſe abradendo mox ſeparetur.

f) Quando *duo* oſſa amputanda ſunt, caro & ligamentum intermedium cultro bipenni ſimul ſeparentur.

g) Poſtea ſerra acuta *os* eadem celeritate & dexteritate præſcindatur. Quando duo oſſa adſunt, conjunctim diſſecentur.

h) *Hæmorrhagia*, uti ſuo loco dictum eſt, prudenter tractetur.

Unable to display this page

carpi decutiebant; qua autem encheiresi festucæ facile producebantur.

b) *Recentiores serra* amputationem instituunt, & quoniam ossicula *carpi* & *ligamentosæ* illius partes serrationem ægre tolerant, in ossis *cubiti* infima regione operationem suscipiunt; uti jam dicetur.

3) *Cubiti* seu *brachii inferioris*.

a) Quando necessaria requisita ad manus sunt, æger humili sellæ imponitur.

b) *Chirurgus* stat ante vel intra pedes ægrotantis.

c) *Minister*, post tergum collocatus, ægri corpus firmiter tenet.

d) *Alius minister* brachium supra locum amputationis comprehendit, & partes carnosas sursum stringit.

e) *Tertius* manum illius brachii tenet.

f) Applicato instrumento *tourniquet*, minister *quartus ligneolum* ad æqualem strictúram servandam, vel, pro re nata, paululum relaxandam, comprehendit.

g) Præterea Chirurgus, ne sub incisione carneæ partes relaxentur, & sic amputatio *inæqualis* reddatur, immediate supra & infra locum amputationis *funiculum*, ut supra monuimus, circumvolvit, & acu illum firmat.

h) Sub hisce præparatoriis haustus *vini generosi* ægro porrigitur.

i) His præmissis Chirurgus cultro *falcato* incisionem facit circularem, & sic omnem carnem ad ossa usque discindit.

k) Deinde per cultrum *fastigiatum* & *bipennem* interstitium illud carnosum & ligamentosum, quod est inter *ulnam* & *radium*, dissecat.

l) Postea debita celeritate *periosteum* ab ossibus raspando separat.

m) *Duo ministri*, qui brachium tenent, vel duo illa ligamina, de quibus supra bis jam diximus, sursum & deorsum carnem retrahunt, ut ossa detegantur & sic tanto impeditius dissecari possint.

n) Speciatim ille minister, qui brachium superius tenet, *linteo* quodam, ad medietatem *fisso*, & vulneri intruso, retractionem suam perficit, ut amputatio magis versus superiora, quam inferiora vulneris labia instituatur.

(o) Sub initium paululum *lentius*, deinde *celerius* ac *fortius*, & ita quidem ſerrandum eſt, ut *ulna* & *radius* non ſucceſſive, ſed *coniunctim* diſſecentur. Sin ſecus, diſſectio facile fit *inæqualis*, vel in uno oſſe *fiſſura* & *feſtucæ* contingunt.

p) Jubent etiam auctores, ut inter ſerrandum duo miniſtri brachium ita incurvent, ne ſerra hæreat, daß ſich die Säge nicht klemme. Sed vix opus eſt hac encheireſi, quando ſerra in *tergo* ſuo paululum *tenuior* fabricata fuit.

q) Facta oſſium diſſectione *tourniquet* nonnihil *relaxatur*, ut ſanguis proſiliens arteriarum capacium aperturam oſtendat, & ſic *ſtyptica* immediate illis applicari poſſint. Optimi autem operatores ſtypticis hic longe præferunt harum arteriarum deligationem. Satis enim capaces ſunt rami, e. g. radialis, cubitalis.

r) Impoſitis pulveribus ſtypticis *ſplenia* exigua, ſpiritu vini rectificatiſſimo imbuta, applicantur.

s) Ad oſſa autem a *carie* defendenda *ſplenia*, eſſentia *ſuccini* & *maſtichis* madida, illorum extremitatibus imponuntur.

t) Hiſce omnibus multum *lintei carpti*, & huic *crepitus lupi* copioſe imponitur.

u) Hæc tegit *ſplenium craſſum* & *rotundum*, cui *veſica bubula* madida vel *emplaſtrum glutinans* imponitur.

w) Denique *ſplenium magnum*, quod crucis *Melitenſis* formam refert, applicatur, & ſex illius extremitates, quæ brachium commode tegunt, per faſciam circularem firmantur.

x) Facta deligatione æger in lectum reponitur, *analepticis emulſivis* reficitur, ſanguinis orgaſmo *temperantia* ſubjunguntur, &, ſi in plethoricis *venæſectio* indicetur, hæc ſine formidine inſtituitur. Valet hoc etiam præcipue, quando poſt conſolidationem plethora, ob defectum totius membri amputati, reliquum corpus aggravat.

y) Per integram hebdomadem *excubitores* conſtituantur, qui inſtrumentum compreſſorium, *tuurniquet*, ad manus habeant, ut, ſi nova hæmorrhagia accederet, hoc inſtrumento inhiberi poſſet. Primus autem poſt amputationem cuſtos manum ſuam trunco amputato per aliquot horas admoveat; quo tempore *tourniquet* ſenſim relaxatur.

z) Quan-

z) Quando autem ſanguis apparatum deligationis penetrat, *tourniquet* de novo applicatur, deligatio removetur, & arteriarum trunci cum forcipe adaptata protrahuntur & colligantur. Alii *cauterium actuale* applicant. *Conf. tab. de hæmorrhagia vulnerum.*

aa) Tertio vel quarto die (niſi gravia ſymptomata prius id urgeant) deligatio modeſte & per partes ſolvitur; ſtyptica autem, quæ cum linteo carpto immediate applicata & ordinarie agglutinata ſunt, tam diu relinquuntur, donec ſequentibus deligationibus ſponte decidant.

bb) Convenit autem ſub prioribus deligationibus inſtrumentum *tourniquet* prius applicare, quam apparatus removeatur.

cc) Deligatio poſt decurſum unius hebdomadis ſemel quotidie repetitur; de reliquo autem vulnus, ut moris eſt, digeſtivis, temperatis balſamicis, & in ambitu diſcutientibus tractatur.

dd) Quando poſt aliquot hebdomadum decurſum novæ hæmorrhagiæ periculum evanuit, non opus eſt integrum deligationis apparatum porro adhibere, ſed ſufficit talis deligatio, quæ aliis vulneribus convenit.

ee) *Caries*, quæ oſſa amputata nonnunquam infeſtat, tractatur ſecundum methodum, ſuo loco commendatam.

4) *Oſſis humeri* ſeu *brachii ſuperioris.*

a) Hæc operatio cum præcedente in omnibus fere convenit.

b) Interea, quia *arteria brachialis* in hac regione longe maior eſt, quam in brachio inferiore, hæmorrhagia tanto gravior & contumacior eſſe ſolet.

c) Hinc tanto magis commendant auctores *arteriæ ligaturam*. Alii, ne ligatura avellatur, acu, filo prædita, arteriam prius *perforant* & deinde ligant. Alii non arteriam, ſed adjacentes carnoſas partes acu perforant, & hiſce arteriam poſtea ligando ſtringunt.

d) Ceterum quia hoc loco unicum tantum os amputandum eſt, ipſa *operatio*, minorem, quam præcedens, habet difficultatem.

5) *Pedis.*

a) *Antiqui* pedem corruptum, æque ac manum, vel *ſcalpro* majore & *malleo* decutiebant, vel forcipe acuta decerpebant.

b) *Recentiores* autem, licet in *tarso* tantum vel *metatarso* corruptio sit, *tibiam* tamen amputant, & quidem non in parte ejus inferiore, sed superiore, nempe sex fere digitorum latitudinis infra *patellam*. Hac enim ratione non solum commodiorem gestationem pedis artificialis obtineri putant, sed & deformitatem, a longo trunco incurvato dependentem, cavere volunt. *Conf. cautelæ.*

6) *Tibiæ.*

a) Hæc operatio prorsus convenit cum amputatione *cubiti*.

b) *Tourniquet*, ad *arteriam cruralem* comprimendam, applicatur vel in superiore, vel inferiore femoris parte.

c) De nova methodo, quam *Verduyn* commendat, sub cautelis dicemus.

7) *Femoris.*

a) Ossis huius amputatio uti omnium periculosissima, & hinc nullo modo instituenda a nonnullis judicatur, ita bene notandum, quod, quo magis in parte illius inferiore operatio locum habet, eo major spes sit felicis successus.

b) *Tourniquet* applicatur in parte femoris superiore.

c) Facta amputatione, uti superius dictum, hæmorrhagiæ compescendæ præ omnibus aliis ratio habenda est. Et quoniam vix ullum aliud remedium, quam *arteriæ deligatio*, sufficit, omnis nervus intendendus est, ut hæc dextre instituatur.

d) Reliqua cum amputatione *tibiæ* conveniunt.

8) *Mammæ cancrosæ.*

Amputationem *mammæ cancrosæ* tabula de *cancro* jam docuimus.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Quo paucioribus ferræ ductibus os amputatur, eo melius est. Licet enim ab hac ossearum partium dissectione nullus ægro dolor obtingat, angit tamen illum formido, uti & dolor ille, quem a musculoso-tendinosarum partium dissectione, modo prægressa, adhuc sentit. Præterea tarditas huius operationis noxam adferre potest, quando hæmorrhagia, quæ dissectionem carnearum partium excipit, largior existit. Hæc ad mentem plurimorum auctorum. Ast recentiorum quidam ad partes quidem caneas secandas & periosteum removendum celeritatem commendant, ad ossa autem, præcipue si duo sint inæqualia, patientiam requirunt & quia pauciores ferræ ductus impe-

tum

tum efficiunt, qui damna adferre ſoleat, illos reiiciunt. Hæmorrhagiam largiorem tarda hac operatione non timent, iudicantes, vaſa maiora ab inſtrumento *tourniquet* comprimi, minora autem tantum abeſſe ut exceſſum faciant, ut potius in plethoricis, facta operatione, hæmorrhagiæ pauliſper indulgendum ſit. Sie wollen, der Sturz ſolle rein ausbluten, um die inflammation zu verhüten.

2. Quæcunque autem adminiſtrationis ineptitudo accedat, neceſſarium eſt, ut *balſamum* quoddam bonum, e. g. *Stahlianum* mox applicetur, quo accidentia, quæ irritationes tales conſequuntur, iterum corrigantur.

3. Amputatio in parte *corrupta* & *mortua* prorſus reiicitur. Sphaceloſæ enim reliquiæ celeriter ſe diffunduut,& ita ſperatum effectum fruſtrantur. Quando autem reliquias corruptas *cauterio actuali* removere intendunt, os prominens impedimento venit, & novam amputationem expoſcit.

4. Non minus improbatur amputatio, quæ fit in *juncturis*, quia multa incommoda inde emergunt.

5. In ſolis *digitis* faciunt exceptionem, & plurimi hodie credunt, quod hi in ſuis juncturis optime amputentur, *ſcalpra* autem & *forcipes* oſſicula ſæpe diffringant, unde varia ſymptomata, præcipue autem caries, metuenda. Non deſunt autem ſententiæ in contrarium. Obſervarunt enim, quod conſolidatio in cartilagine difficulter obtineatur, & alia proinde amputatio ſive per forcipem, ſive per ſcalprum inſtituenda ſit. Recentiores hanc difficultatem removere intendunt, iubendo, ut digiti inſtrumento *biſtouri* diſſecentur, cartilagini autem extremitatis, quæ relinquitur, parcere debeat operator, aciem ſcalpelli verſus partem exſcindendam dirigendo. Hac ratione facilem ſperant conſolidationem, nec ſecundæ per forcipem vel ſcalprum amputationis neceſſitatem timent.

6. Nova tibiæ amputandæ methodus, quam *Verduyn*, Chirurgus *Amſtelodamenſis* tradidit, pauciores aſſeclas nacta eſt. Non ſolum enim operoſior exiſtit, ſed ſua incommoda ſecum ducit. Oſſa enim amputata tempore *acuta* fieri obſervata ſunt, unde carnem ſubſtratam moleſtius pungere & dolores inflammatorios excitare ſolent. Sequente autem ratione operationem inſtituere commendavit.

1) Inciſio carnis non fit *circulariter*, ſed *ſura* cultro ab oſſibus tibiæ ſeparatur, & quidem usque ad illum locum, in quo oſſa amputanda ſunt.

2) Sura ſeparata verſus poplitem reponitur & a miniſtro tenetur.

3) Interſtitium carneo-ligamentoſum, quod utraque oſſa intercedit, conſueto more ſeparatur.

4) Deinde oſſa diſſecantur & ſura teguntur, ſubjunctis emplaſtris glutinantibus & reliquo deligationis apparatu.

5) Hac ratione arteriæ compreſſionem, hæmorrhagiæ ſine ſtypticis inhibitionem, oſſium amputatorum integumentum, cariei præcautionem, celerem ſuræ cum oſſibus coalitionem, imo, ob pulvinar hoc ſubſtratum, commodiorem pedis artificialis applicationem, ſine trunci incurvatione, obtineri poſſe auctor contendit.

7. Eandem methodum nonnulli recentiorum adhibendam docent in *brachio ſuperiore*, & quidem eum in finem, ut *arteria brachialis* illæſa maneat, & gravior hæmorrhagia hac ratione avertatur.

8. Minorem applauſum invenit rudis illa *methodus Botalli*, qui amputandis artubus ferrum acutum, magni ponderis, ex alto immittere & ſic membrum unico graviore lapſu, ſine præviis ſectionibus & ſerrationibus, removere docuit.

9. Non raro accidit, ut per *tormenta bellica* brachium vel pes removeatur; quo caſu ante omnia feſtucæ oſſeæ, vel aliæ oſſis inæqualitates ſive ſerra, ſive forcipe, ſive alio conveniente inſtrumento, auferendæ, deinde hæmorrhagia, quæ ob inductam eſcharam poſt aliquot demum dies ingraveſcere ſolet, ſedanda, & læſio, uti decet, deliganda eſt.

10. Quando *tibia* ob pedem corruptum amputanda eſt, *Solingen* non *ſub patella*, ſed *ſupra malleolos* operationem inſtituere, & deinde pedem artificioſum ita præparare docet, ut trunco, non incurvato, ſed recto æger incedere poſſit.

11. *Pedes* tales & reliqui artus *artificioſi* parantur modo e ligno, modo ex argento, & cum *naturalibus* eandem formam referunt. Conf. *Hildanus*, *Paræus*, *Solingen*. Pauperes contenti ſunt *pedamentis ſimplicibus* mit Stützel-Füſſen.

12. *Hæmorrhagiæ gravioris* felix inhibitio uti præcipuum in hac operatione eſt momentum, ita tanto magis commendamus cautelas, quæ *tabula de hæmorrhagiis* indicatæ ſunt.

13. De *globulis vitriolicis*, Vitriol Knöpffen, goſſypio involutis, & aperturis vaſorum impoſitis, notamus, quod per ſanguinem allabentem vitriolum humectetur & ſolvatur. Unde eſchara, æque ac a *cauterii*

actu

actualibus inducitur; &, hac decidente, hæmorhagia nova non raro recrudescere observatur.

14. Ultimo loco cautelam adjicimus de *opiatis*, quæ plerumque post operationem ad somnum obtinendum propinantur. Dicunt enim: der Patient müsse seine Schmertzen verschlafen: Quo infelici autem successu *narcotica* talia sæpius exhibeantur, experientia confirmat. Hinc loco talium, minus fidorum remediorum, *temperantia*, præcipue *nitrosa*, commendamus.

TABULA LXXXII.

DE

SUTURIS GENERATIM.

I. DEFINITIO.

Satura est operatio chirurgica, qua vulneris labia, longius disjuncta, uniuntur. Germanice dicitur eine Heftung.

II. DIFFERENTIA.

1. Suturam dividere solent in
   1) *Actualem* seu *cruentam*, quæ acu triangulari atque filo cerato peragitur, & in
   2) *Potentialem*, seu *incruentam*, vulgo *siccam*, quæ fit emplastris glutinantibus.
2. *Antiqui* multas futurarum actualium *species* in usu habebant, e. g. futura *Celsi*, *sartoris*, *sutoris*, item quæ *pennis*, *annulis ferreis*, *fibulis* &c. conficiebatur.
3. *Recentiores* autem pauciores species in usu habent, nempe
   1) Suturam *nodosam*, seu *interscissam*, Gall. *l' entrecoupée*, Germ. die Knopf-Nath, ob plures nodos, quos habet; item die unterbrochene Nath, hodie præ aliis usitatam.
   2) Suturam *pellionum*, die Kürschners-Nath. Ita vocatur, quia eadem prorsus ratione, qua pelliones pelles consuunt, perficitur. Usu præcipue venit in *abdominis* & *intestinorum* læsionibus.

3) Su-

3) Suturam Gallis *l' entortillée* dictam, Germ. die umgeſchlungene Nath. Filum enim acubus, in vulnere relictis, circumvolvitur. Hanc ſuturam in operatione *labii leporini* adhibere ſolent.

4) Suturam *tendinum*, quæ vel una, vel, ſecundum *Nuckium*, duabus acubus perficitur.

III. *CAUSÆ.*

1. Suturam *actualem* expoſcunt recentia illa vulnera,
   1) Quorum labia ita dehiſcunt, ut faſcia vel ſutura *potentiali* commode non poſſint uniri.
   2) Huc pertinent ea, quæ *oblique* facta ſunt.
   3) Item vulnera *angularia*.
   4) Speciatim quæ *naſo*, *auribus externis* & *digitis* profundius inflicta ſunt. Falluntur autem, qui talibus partibus prorſus diſciſſis ſuturam adhibent: quidquid enim agamus, non coaleſcunt.
   5) Reliqua tabulis, quæ ſequuntur, ſpecialibus indicabimus.
   6) Contra ſuturæ locum non habent in vulneribus,
      a) In quibus ingens portio carnea abſumta eſt, e. g. in *ſclopetariis*.
      b) Quæ *diris ſymptomatibus* ſtipata ſunt, e. g. inflammatione, gangræna, gravi hæmorrhagia, convulſionibus, inſigni contuſione.
      c) In *venenatis*.
      d) In *complicatis* cum *fracturis*.
      e) Quæ cavitatem penetrarunt & multum ſanguinis in illam effuderunt.
2. Suturam *potentialem* requirunt vulnera,
   1) Quæ labiis non adeo longe remotis dehiſcunt.
   2) Quæ in *facie* contingunt.
   3) In quibus emplaſtra glutinantia labiis contrahendis ſufficiunt.
3. Cauſa autem *finalis* ſuturæ tam *actualis*, quam *potentialis*, eſt promovere conſolidationem & cavere cicatricis inſignis deformitatem.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Suturæ ſuam omnino habent utilitatem in vulneribus ſub *cauſis* notatis.
2. Ubi autem neceſſitas hanc operationem non urget, abſtinendum eſt ab illis. Re vera enim bona balſamica faciunt, ut dolorificahac & ſenſibili operatione in multis caſibus ſuperſedere poſſimus.

V. *ME-*

V. *METHODUS.*

1. *Suturæ actualis.*

1) Sutura *nodosa* seu *interscissa* sequente modo perficitur.

a) Quo *profundius* est vulnus, eo magis *curva*, *fortis* & *acuta* debet esse *acus*, filo capaci, vel duplici, cerato prædita. In minoribus vulneribus acus *recta* sufficere potest.

b) Hac acu labia vulnerum æqualiter pertunduntur in illa regione, qua digiti fere latitudinem ab extremitatibus distant.

c) Has labiorum extremitates minister quidam in naturalem quasi & pristinum situm iungit & comprimit.

d) Chirurgus filum extremitatibus suis comprehendit, &, substrato linteo convoluto, (daß der Knote nicht ins Fleisch komme) super hoc nodum nectit.

e) Pro vulneris conditione hæc pertusio sive *semel* tantum, sive *bis* vel *ter* instituitur.

f) Facta sutura balsamica temperata linteo carpto vulneri imponuntur, emplastra glutinantia applicantur, cum spleniis & fasciis deligatio absolvitur.

g) Repetitur deligatio quovis propemodum die, donec vulneris labia coaluerint; quo tempore fila removentur.

h) Emplastris autem glutinantibus & temperatis balsamicis plenaria consolidatio promovetur.

2) De sutura *pellionum*, tabula de *gastrorhaphe* dicemus.

3) Sutura, *l' entortillée* dicta, exhibebitur tabula de sutura *labii leporini.*

4) Sic & suturam *tendinum* peculiari tabula tractabimus.

2. *Suturæ potentialis.*

1) Glutinantem effectum exhibent varia emplastra e. g. *catagmaticum diapalmæ* cum terebinthina mixtæ, &c.

2) Talia emplastra super corium vel linteum capax ducuntur, & deinde in longa ac tenuia frusta discinduntur.

3) Ante autem, quam emplastra imponuntur, balsamum temperatum vulneri immittitur.

4) Postea tot emplastrorum frusta, quot necessaria, uni vulneris lateri affiguntur, &, quando labia unita atque compressa sunt, in altero quoque latere firmantur.

5) Quo majus est vulnus, eo plura requiruntur frusta, quæ vel iuxta se invicem, vel cruciatim affiguntur.

6) Nonnulli emplastris glutinantibus filamenta annectunt, ut horum beneficio vulnus possit colligari. Tacemus antiquorum emplastra glutinantia, quæ *hamulis* prædita fuerunt.

VI. *CAVTELÆ.*

1. Suturæ caute sunt instituendæ, præcipue in illis locis, ubi partes tendinosæ adsunt, ne tendines lædantur.

2. Chirurgorum quidam *ipsarum tendinum* suturam suadent, sed re vera inutilis utplurimum est operatio, ob tractum fibrarum longitudinalem. Interea tamen nonnulla suo loco hac de re dicemus.

TABULA LXXXIII.

DE

SUTURA LABII LEPORINI.

I. *DEFINITIO.*

Labium leporinum est vitiosa huius partis conformatio, quæ labium ita fissum & decurtatum exhibet, ut *leporinum* satis manifeste referat.

II. *CAUSÆ.*

Oritur vel

1. A *mala* in utero materno *conformatione*, quæ plerumque natales suos ducit ab imaginatione matris; vel

2. A causis *externis*, ictu, casu &c. quando labia finduntur & negliguntur.

III. *SIGNA.*

1. Hæc per se oculis patent.

2. Notandum solum est, quod plerumque *superius* labium, rarius *inferius* ita affectum reperiatur.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Est quidem hoc vitium sine periculo, impedit autem, quo minus in-

fan

fantes tenelli fugere, & adultiores facti bene loqui valeant. Tacemus maximam, quam infert, deformitatem.

2. Quando *inferius* affectum est labium, curatio eius admodum difficilis deprehenditur, ob serositates ad partem affectam continuo affluentes.

3. Si fissura enm magna substantiæ jactura conjuncta sit, & hiatus amplior existat, eadem difficultas curationem premit, imo præstat in tali casu abstinere ab operatione, quia e nimia tensione major metuenda est deformitas, sic, ut extrema vix adduci, vel adducta conservari queant. Unde postmodum fissura longe major fit propter callosarum extremitatum reserationem.

4. In *senioribus* vel *cachecticis* subjectis &c. satis periculosa quoque est operatio; de qua re notabile exemplum sub *cautelis* allegabimus.

5. *Duobus* in locis quando fissum est labium, vix unquam malum curatur.

V. *METHODUS.*

1. *Ante operationem* considerandum est

1) Utrum labium *uno*, an vero *duobus* in locis fissum sit.

2) An hiatus adsit *magnus*, & substantiæ insignis deperditio.

3) An *divisum* sit labium.

4) An *gingiva* cartilagine, tumore &c. obsessa sit.

5) An *dentes* promineant aut absint.

6) An *ozæna* naris adsit, vid. *cautel.*

7) An corpus *bene* vel *male* dispositum sit; quibus *Roonhuysen* addit,

8) Ut infans 10. vel 12. horas ante operationem vigilet, quo post illam diutius quiescat.

2. *Modus operandi* hic est.

1) Ægro conveniente in situ collocato, chirurgus labii fissi partem interiorem a frænulo cultello separat, & cavet, ne gingivæ lædantur.

2) Deinde locus labii affectus in medio ab inferiori ad superiorem extremitatem forsice incisione vnica dissecatur.

3. Postea utrique vulneris oræ cruentæ applicatur *volsella*, ad hanc operationem fabricata, ut oræ labii deformes & callosæ æquali forficis incisione removeantur.

4) *Volsella* lineam rectam & normam forfici vel scalpello exhibet, ut sectio æquali linea absolvi possit. Debet autem illa ad marginem

calloſum proxime applicari, ne plus, quam par eſt, de labii ſubſtantia ſectione auferatur.

5) Deinde cruentas vulneris oras exacte ſibi reſpondentes operator adducit, easque acu vel una, vel duabus, vel tribus, pro vulneris longitudine, transfigit, gingivis vero laminam plumbeam imponit, ne acuum extremitate lædantur. Sutura ſequenre modo peragitur:
   a) Primum punctum infimo vulneris loco, ibique præciſe, ubi cutis craſſior deſinit, & tenuis rubicundaque incipit, infligitur.
   b) Secundam acum ſemi-digitum transverſum altius immittit.
   c) Ubi vero tres adhibentur, æquali a ſe invicem diſtantia collocantur.

6) Deinde fiat ſutura *intorta*, filum primo in orbe, deinde *decuſſatim* volvendo, & ab infima acu incipiendo.

7) Poſtea reſectis forcipe acuum extremis, ſpleniisque ſuppoſitis, vulnus vino calente eluit, & plumaceolum, balſamo vulnerario imbutum, imponit.

8) Pro ſutura firmanda emplaſtrum glutinoſum, ab una ad alteram genam exporrectum, applicat.

9) Tandem faſcia, quæ *funda* dicitur, deligatio abſolvitur.

3. *Poſt operationem.*

1) Finita operatione, *quieti* traditur æger, & *nares*, ob reſpirationem, liberæ ipſi ſervantur.

2) Secundo die tollitur quidem apparatus, ſed deligatio ſtatim reiteratur; ita ut filum in acu media, ſi tres, aut in ſuperiore, ſi duæ tantum adhibitæ fuerint, paululum laxetur.

3) Singulis diebus ſequentibus hæc, fili evolutio reiteranda eſt.

4) Sexto autem vel octavo die, quo vulnus ferme conglutinatum eſt, acus media, ſi tres immiſſæ fuerint, eximitur, & paulo poſt, quando vulneris oræ non amplius hiant, ſecunda, & ultimo loco tertia etiam extrahitur.

5) Quo facto ulteriore deligatione & emplaſtro conveniente vulnus ad plenariam conſolidationem deducitur.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Noſtris temporibus hæc operatio utplurimum inſtituitur ſine acuum adminiculo, ſola ſutura, *interciſa* dicta.

2. Plerique diſſuadent, ut hæc operatio in ætate tenerrima ſuſcipiatur, vel propter vagitus & ejulatus continuos, vel ob cutis mollitiem,

vel

vel etiam ob impeditum uberis fructum. Hinc malunt exſpectare, donec 2. vel 3. annos habeat infans. Alii e contrario hanc curationem aggrediuntur bono cum ſucceſſu in lactentibus, qui tantum 3. vel 4. menſes habent.

3. Factum eſt nuper, ut ſutura labii leporini, quæ in aliquot annorum infante dextre inſtituta erat, rumperet. Poſt accuratiorem inquiſitionem in nare illius regionis deprehendebatur *ozæna*, cujus acres excretiones in ſuturam defluebant, ob deligationis apparatum ibidem ſubſiſtebant, inflammatoriam partium arroſionem & ſuturæ diſſolutionem efficiebant. Hoc exemplum ſuppeditat cautelam, ne operatio eo tempore ſuſcipiatur, quo fluxus narium catarrhalis præſto eſt. Tacemus ipſam *ozænam*, hæc enim in milleſimo exemplo vix unquam iterum occurret.

TABULA LXXXIV.

DE

SUTURA ABDOMINIS SEU GASTRORHAPHE.

I. DEFINITIO.

Gaſtrorhaphe eſt operatio chirurgica, qua gravia abdominis & partium incluſarum vulnera conſuuntur. Derivatur a γαστὴρ venter, & ῥαφὴ ſutura.

II. DIFFERENTIA.

Vulnera abdominis, quæ ſuturam requirunt, differunt

1. Ratione *partium læſarum*, ubi
   1) inſtrumentum modo *cutim* tantum ſtringit,
   2) modo *muſculos*,
   3) modo ipſum etiam *peritonæum* penetrat, & quando hoc contingit, viſcera contenta nunc læduntur, nunc illæſa manent.
2. Partes læſæ iam in abdomine *latent*, iam *foras* protuberant.

3. Humores, e vasis læsis exeuntes, vel *in* abdominis cavitatem, vel *extra* illam effunduntur.

III. *SIGNA.*

Hæc sunt vel

1. *Sensibilia*, quæ sensibus percipiuntur e. g. visu, ubi partes læsæ ex abdomine prolapsæ sunt, & oculis examinari possunt; vel
2. *Rationalia*, quæ non nisi ratiocinio colliguntur, e. g.
   1) A *situ* & *loco* vulneris inflicti,
   2) A *materiis*, quæ per vulnus effluunt, e. g. si alimenta semicocta *ventriculum*, si bilis *hepar*, si urina elabitur, *vesicam* læsam esse, hariolamur.
   3) Ab *actione* vel impedita vel læsa; sic *hepar* læsum esse colligimus, quando icterus vulneri supervenit; *ureteres* aut *renes*, si urina suppriматur.
   4) A *qualitatibus mutatis*, nam color flavus per totum corporis habitum diffusus *hepatis* læsionem indicat.
   5) A *symptomatibus* gravioribus, quæ in hisce vulneribus frequentissima sunt; e. g. hæmorrhagia, inflammatio, dolor, febris, cui nonnunquam superveniunt convulsiones, &, si omentum vel intestina foras propendeant, gangræna; de quibus, ut & aliis, videantur tabulæ de *vulneribus*.
   6) Ab *acccidentibus propriis* e. g. ubi sensus & motus partis vulneratæ e vestigio aboletur, *nervum* discissum, ubi vomitus aut singultus succedit, *ventriculum* afflictum esse conjicimus.

IV. *PROGNOSIS.*

Signa prognostica pro symptomatum varietate differunt.

1. Hæc enim si magna, gravia & multa sint, vulnus etiam grave, periculosum imo lethale reddunt & vice versa.
2. Vulnus abdominis per se lethale est, ubi omentum foras prominet gangræna correptum, intestinum insuper læsum, atque arteria insigni dissecta est.
3. Plura vid. tabula de *lethalitate vulnerum*.

V. *METHODUS.*

1. Vulnerum intestinorum curatio ita instituitur.
   1) Supinus æger collocatur, coxis erectioribus, si infra umbilicum pectore vero magis elevato, si supra eundem vulnus existat.

2) Præterea in latus oppositum leviter reclinandus est æger.
3) Postea vulnus *futura pellionis* consuere docent, nempe
   a) Chirurgus in una & minister in altera vulneris extremitate intestinum manu tenent.
   b) Chirurgus acu subtili, filo prædita, futuram eodem modo, quo pelliones solent, perficit.
   c) Observando tamen, quod post primam pertusionem fili extremitas, quæ ad spithamæ longitudinem extra vulnus propendere debet, firmanda sit.
   d) Facta futura, ultima fili extremitas, itidem firmanda, abscinditur; prima autem manet; ut hac post separationem universum filum extrahi possit.
   e) Alii futuram *pellionum* eam ob causam reiiciunt, quod intestina tot perforationes ægre tolerent. Hinc futuram *nodosam* præferunt.
4) Quodsi vero *penitus* discissum sit intestinum, eius extrema inferne & superne assuenda sunt integumentorum marginibus. Sic enim fistulam ad egerendas alvi fæces relinqui, in aliquibus experientia comprobavit.

2. Quo facto *omentum* etiam examinandum est, in quo si quid demortui appareat, vinculo prius injecto, illud excidi debet. Fit autem sequente ratione:
   1) Pars omenti sana acu trajicitur, & filum tam supra quam infra hanc trajectionem variis orbibus circumvolvitur, atque ad præcavendam hæmorrhagiam constringitur, mediocriter tamen, ne vinculum partem vel abscindat, vel citius abscedere faciat.
   2) Tum pars emortua cum aliquali sanæ portione, unius digiti transversi spatio infra ligaturam, *forfice* rescinditur; filum autem foras propendet, cujus ope postmodum decidua omenti portio eliminatur.

3. Ubi vero vulnus *angustius* est, quam ut partes elapsæ commode introrsum reponi possint, neque intestina, flatibus distenta, fomentis calidis & discutientibus satis detumescunt, incidendum illud est eo usque, donec satis pateat, & quidem *deorsum*, si superioribus, *sursum* vero, si inferioribus abdominis partibus inflicta sit plaga, a *linea alba*, quantum fieri potest, semper recedendo. Fit autem incisio sequente modo:

1) Mi-

1) Miniſter provolutas partes, ad vulneris latus leviter inclinatas, ſple nii, vino calido imbuti, interjectu continet.

2) Chirurgus ſiniſtra manu ſpecillum ſulcatum, *gall. ſonde creuſe*, i abdomen huc illuc volvendo immittit, diligenter cavens, ne peri tonæum inter & ſpecilli extremum inteſtini portio comprehen datur.

3) Deinde manu dextra ſcalpellum curvum impellit, quo cuncta in tegumenta æqualiter inciduntur.

4) Quod ſi vero nimia vulneris anguſtia aut partium elapſarum niſu ſpecilli introductioni reluctetur, Chirurgus indicem ſiniſtræ manu dilatando vulneris angulo propius admoveat, & ſcalpello recto ſupra impulſi digiti unguem, angulum leviter incidat.

5) Ampliato vulnere inteſtina, fomentis idoneis prius corroborata indicibus utriusque manus alternatim ſic intus reponere debet ut, quæ poſteriora & ultimo prolapſa ſunt, primo repellat loco

6) Quo facto abdominis vulnus clauditur ſutura, eaque *interciſa*, qua *Cornelii Celſi* methodo ita inſtituitur.

a) Unius fili extrema duabus acubus inſtruuntur.

b) Tum Chirurgus ſiniſtræ manus indicem in abdomen demittit.

c) *Peritonæum* autem ſimul conſuendum eſt, ne inteſtina, fora tendentia, herniam *ventralem* forment.

d) Cum manus ſiniſtræ indice, peritonæo ſuppoſito, cavet, ne ſub jecta inteſtina acu pungantur.

e) Vulneris oram alteram una acu, & oppoſitam altera profunde transfigit, eadem cautela adhibita.

f) Simili modo tot fila injici debent, quot vulneris amplitudo po ſtulat, pergendo ad utrumque ejus extremum, non detracto priu indice, quam omnia fila traducta ſint.

g) Tandem, dum miniſter plagæ oras utrimque adducit, ſingula fila nodis ſuis devinciuntur ea, qua diximus, ratione, & vulnus convenientibus medicamentis curatur; adhibitis faſciis debi tis, quæ nihil aliud ſunt, quam linteamen, quo noſtro tem pore menſæ accumbentes uti ſolent, *Gall. une ſerviette.*

4. Æger primis diebus ſupra ipſum vulnus, laneo circulo ſuffultum, de cumbat, maxime ſi inteſtina fauciata fuerint, quo facilius vicinis par tibus agglutinentur. Hæc enim, tanquam ſubſtantiæ membranaceæ, alium conſolidationis modum non admittunt, atque per ſe & cum ſe invicem non coaleſcunt.

VI. *CAU-*

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Inteſtinorum vulnera non niſi diuturna fere fame curantur.
2. Neque curationem certa & indubia fiducia incipimus, ſed ideo tantum, quia *dubia ſpes certo interitu potior eſt.*
3. Ut plurimum enim irrita omnis medicina eſt, quando inteſtinum *lividum* & *nigrum* deprehenditur; licet nonnulli abſciſſis plurimis inteſtinorum orbibus præter omnium expectationem evaſerint; ubi vero ſolum rubicundum & a putredine immune eſt, magna cum feſtinatione ipſi ſuccurrendum.
4. Præſtat fila, quibus inteſtinum & omentum ligatur, *diuerſi coloris* adhibere, vt illa facilius diſtinguere poſſimus; poſterioris autem citius, quam prioris filum extrahendum eſt.

TABULA LXXXV.

DE

SUTURA TENDINIS.

I. *DEFINITIO.*

Sutura tendinis eſt operatio chirurgica, qua artuum tendines ſubcutaneos ſauciatos vel penitus abſciſſos reunire & continere, atque hac ratione motum abolitum reſtituere Operatores intendunt.

II. *DIFFERENTIA.*

Vulnera harum partium differunt

1. Reſpectu *partis læſæ*, ubi
   1) alia *neruo*,
   2) alia *tendini*,
   3) alia *ligamentis* infliguntur.
2. Ratione *inſtrumenti*, quo reſpectu
   1) vel *inciſione*,
   2) vel *punctura*,
   3) vel *contuſione* fiunt.
3. Ratione *accidentium*, quæ admodum diuerſa ſunt, nempe

1) *leviora*, ubi totus nervus detruncatus est.
2) *graviora*, si tendo lædatur.
3) *gravissima*, si tantum portio eius discissa sit.

III. *SIGNA PROGNOSTICA.*

1. Si tendo *penitus abscissus*, nulla symptomata, præter abolitionem motus, adsunt.
2. Si *ex parte* tantum, grauissima sequuntur, e. g. dolor atrocisimus, febris ardens, convulsiones, inflammatio, gangræna. Novimus exemplum, in quo tendo per flexuram brachii excurrens dimidiam tantum partem incisus erat, & nulla symptomata primis diebus accedebant. Cum vero nono die omnia salva iudicarentur & brachium hactenus incurvatum extenderetur, tum mox convulsiones aderant, & lethalem exitum promovebant.
3. Leviora autem sunt hæc symptomata, ubi *minor* aut *minima* portio instrumento secante læsa est.

IV. *METHODUS.*

1. *Ante operationem* considerandum
   1) Utrum *recens* vulnus sit, an vero *aliquot dierum*. Posteriore casu callositates, si adsint, auferendæ sunt.
   2) An tendo læsus *flectendo*, an vero *extendendo* articulo inserviat.
   3) Num ejus extremitates valida *contractione*, in se facta, longius subcute recesserint. Quando enim resilierunt extremitates, vel prehendi non possunt instrumentis, vel nimia tensio, ut illæ sibi invicem admoveantur, facienda est.
   4) Num denique tendo *penitus*, an vero *ex parte* tantum rescissus sit.
2. *Operatio*, quæ unice in *incisione* tendinis locum habet, sequentem in modum instituitur.
   1) Membro læso eum in situm collocato, qui tendinis extrema sibi invicem applicat, quique impedit, quo minus musculus sit in contractione, Chirurgus propria partim, partim ministri cuiusdam manu utrumque tendinis extremum, quam *minime* fieri potest, involucris suis nudatum, firmiter apprehendat; vel, si hoc non possit, emollientibus antea partes flexiles reddat; cavendo, ne oleosa aut multa pinguia adhibeantur.
   2) Tunc sutura instituenda est, vel

3) Nu-

a) *Nuda* & *ſimplex*, in qua *ſolus* tendo acu transfigitur, vel unica, vel ſecundum *Nuckium* duabus.

b) *Compoſita*, ubi *cutis* una conſuitur, hanc illi duas ob rationes præferunt.

α) Quia filum, inprimis intenſione magna, facile ſeſe ſubducit, extremaque verſus principia reſiliunt.

β) Quia hac methodo cutis tendinem tegit, & loco plumaceoli atque emplaſtri eſt.

3) Quare acum tenuiorem, curvam, duplicem, & filum cannabinum fortiſſimum adhibeat Chirurgus, hocque illis immittat.

4) Ex his unam tendini primum, deinde cuti infigat, & incipiendo a parte interiore, exteriora verſus conſuat.

5) Alteram eadem methodo parti oppoſitæ immittat.

6) Vbi per cutim tranſiit, filum trajiciendum etiam eſt utroque in loco per *ſpleniolum*.

7) Quo facto extrema ſibi invicem adducat, non vero usque ad immediatum contactum, nempe in prima deligatione, ne a nimia tenſione ſymptomata excitentur.

8) Sequentibus vero diebus ſenſim arctius conſtringitur ligatura, donec unum extremum alteri incumbat.

9) Si una cum tendine vaſa læſa fuerint, illa eodem modo liganda ſunt, quem ſub *amputatione membrorum* indicavimus.

10) Imponuntur deinde ſpleniola, non pinguibus, ſed balſamicis & ſpirituoſis imbuta, aut etiam ſicca, quia nulla in his partibus ſuppuratio, vti in carnoſis, contingit, ſed ſolum lympha quædam exſtillat.

11) Membrum per totum curationis decurſum debito in ſitu ſervetur, nempe ubi tendo *extenſorus* læſus eſt, extendatur; ubi *flexoris*, flectatur, ne muſculi ſint in contractione. Hoc enim ſi fiat, omnis opera irrita eſt, hinc applicantur chartæ multiplicatæ, firmæ, aut capſulæ ligneæ, usque dum reunio facta ſit.

12) In læſione & ſutura tendinis *Achillei* ægrotus abdomini incumbat, pronusque ſemper jaceat, etiam illo tempore, quo ex uno in alterum locum transfertur.

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Suturam tendinum improbat *Galenus*, & quidem ob hanc rationem, quod hac curatione nulla reunio obtineatur, bene vero convulſiones

excitentur. Interea tamen historia medica testatur, quod hæc operatio 400. fere abhinc annis, feliciter a *Guidon* administrata sit.

2. Posteri illam iterum rejecerunt, vel neglexerunt, nostro autem tempore in usum iterum vocata est.

3) Fatendum interea est, quod, licet omnes circumstantiæ probe observatæ sint, nihilominus hæc vulnera, quidquid promittant auctores, raro & difficulter curentur.

4. Notandum etiam est, dissecti tendinis oras non coalescere, uti aliorum, glutine quodam *affuso*, sed eodem veluti *circumfuso*, unde *nodulus* molestus succrescit, qui motum partis sufflaminat & *ganglion* vocatur.

5. Ceterum auctores commendant, ut, si tendo *ex parte* læsus sit, Chirurgus, ad gravia symptomata avertenda, illam etiam portionem, quæ continua adhuc est, dissecare atque rescindere debeat.

TABULA LXXXVI.

DE

TREPANATIONE.

I. DEFINITIO.

Trepanatio est perforatio cranii, cum instrumento, *trepanum* dicto, eum in finem instituta, ut vel sanguis extravasatus, vel alius vitiosus humor evacuetur, vel festucæ, cerebrum lædentes, per foramen hoc, arte factum, eximantur, vel vehemens cranii depressio tollatur.

II. DIFFERENTIA.

Trepanatio sumitur

1. Vel sensu *latiore*, quo intuitu de cuiuscunque ossis perforatione dici potest, e. g quando *ossis sterni* pars inferior terebra perforatur, ut abscessus, intra *mediastinum* collectus, evacuetur, sterni trepanatio vocatur. Quæ vero difficultates sterni perforationem premant, *tabula de vulneribus thoracis* dictum est.

2. Ve

2. Vel ſenſu *ſtrictiore*, quo ſoli cranio tribuitur.

III. *CAUSÆ.*

1. Non quævis læſio capitis, quantumcunque gravis, trepanationem indicat, ſed tantum ſequentes.

1) Quando *ſanguis extravaſatus* & *putreſcens* vel collectio *ſeri* ſub cranio vel interdum ſub *dura matre* hæret; non obſtante, quod cranium interdum integrum appareat. Cognoſcitur hoc malum e diuerſis illis ſymptomatibus, quæ tabula de *vulneribus capitis* indicavimus. Conferatur *Tulpius* libr. I. obſerv. 2. Item *Scultetus* obſerv. 8.

2) Quando magnæ cranii *depreſſiones*, cerebro incumbentes, aliis remediis corrigi non poſſunt. Aperta enim calvaria commodius applicantur inſtrumenta illa, quæ *vectium* nomine veniunt.

3) Quando *externa* quidem cranii tabula integra, *interna* autem fiſſa vel carie affecta eſt. Unde ſanies, ſub cranio collecta, ſui poſtulat evacuationem. Conferatur tabula de vulneribus capitis de *fiſſura* & *contrafiſſura*.

4) Quando poſt violentam cranii *contuſionem* fragmenta oſſium ſeparata partes interiores pungunt, & pro his extrahendis cranium non ſatis patet.

2. Antiqui *internis* etiam capitis morbis trepanationem obiiciebant. Credebant enim, quod vitioſi in cerebro vapores per foramen hoc artificioſum commodius poſſint exhalare. Sed rejectum hodie eſt tale conamen.

IV. *PROGNOSIS.*

1. *Anceps* quidem remedium eſt trepanatio, & plures poſt, licet non propter, talem operationem, dextre inſtitutam, moriuntur; interea tamen nullo modo reformidanda eſt, quando ſufficientes adſunt indicationes.

2. Si enim *mature* adminiſtretur, nulla apparet ratio, cur hæc *voluntaria* & *artificioſa* cranii vulneratio, ſi vel maxime *meninges* ſimul lædat, plus difficultatis habere debeat, quam quæ *fortuito* & majore immodeſtia per cranium & ipſam duram matrem contingit; quales læſiones, uti toto fere die obſervantur, ita non raro etiam curantur.

3. Hinc non *ipſi operationi*, ſed *materiæ latitantis* noxio effectui tribuimus, quæ de trepanationis difficultatibus auctores tradiderunt. *Vid. Bohnii* diſſertatio de hac materia.

4. *Moralia* impedimenta, nempe ægri timor, impatientia, inobedientia & Chirurgi imperitia, majorem, quam reliquæ circumſtantiæ, adferunt formidinem.

5. Materia, ſub calvaria contenta, quando *penitus* non evacuatur, ægroti levamen quidem per aliquot dies poſt operationem perſentiſcunt, relicta tamen portio brevi tempore corruptionem ſuam diffundit & ægrum jugulat.

V. *METHODUS ET CAVTELÆ.*

1. Præſentibus indicationibus, *ante operationem* Chirurgus ponderare debet ſequentes circumſtantias, nempe

1) *Tempus*, quod eſt

a) Vel *electionis*, cujus tantum rationem habere convenit in affectibus non adeo urgentibus. In his luna decreſcente operatio inſtituitur.

b) Vel *neceſſitatis*, ubi

α) Nonnulli vix ante tertium diem trepanationem inſtituendam eſſe cenſent.

β) Alii, graviora prius ſympromata, e. g. febrem, delirium &c. exſpectanda eſſe eas ob cauſas ſibi perſuadent, quod periculoſa ſit trepanatio, & plures tales læſiones ſine hac operatione curentur.

γ) Alii vero rectius mox, & ante quam talia ſymptomata apparent, hoc remedium applicant. His præivit *Hippocrates*, qui ſtatim intra triduum perforare iuſſit; niſi forſan in tali loco fieri debeat, in quo ſine notabili periculo adminiſtrari nequit, v. g. in *temporibus*.

δ) Quibus ſuppoſitis patet, quod ſecundo, tertio, imo, ſi periculum urgeat, ipſo primo die trepanum admoveri debeat; niſi quidem hæmorrhagia obſtet. Præcipuus enim hujus operationis nervus conſiſtit in *temporis opportunitate*, ut nempe mature fiat, antequam ſinguis admodum ſit corruptus, & alias vicinas partes ſimul corruperit.

ε) Interea hæc tamen operatio ſequentibus diebus & hebdomadibus non debet prætermitti, quando Chirurgus ſero vocatus fuit; ſi modo vires ægri valde non ſint proſtratæ, & periculi indicatio præceſſerit.

2) Lo-

Unable to display this page

rum ossa in casibus desperatis perforantur. Vide auctores sub littera ϐ) allegatos.

ζ) In *infantibus*, ob calvariæ mollitiem.

3) *Corporis præparationem*, quæ potissimum consistit

a) In *alui* procurato successu.

b) In *roboratione* & *refectione ægri* per analeptica temperata.

2. *Ipsa operatio* involvit

1) *Incisionem cutis* musculosæ cum *pericranio*, quæ, absente vulnere, necessaria est, præmissa capillorum abrasione. Notandum autem de hac incisione

a) Ratione *loci*, quod non facile fieri debeat

α) *Prope futuras*, nisi ipsam futuram fractura afficiat, aut *duram matrem* simul læsam esse constet.

ϐ) *In musculo temporali*. Quando autem fractura & fragmentorum subjacentium extractio urget, operatio etiam hoc in loco administrari debet. Testantur enim auctorum scripta, quod cum successu felici nonnunquam instituta sit. Vid. *Borellus* cent. II. observ. 2. Idem *Voorde* leuchtende Fackel der Chirurgie p. 481.

b) Ratione *figuræ*, quod tres præcipue illius species in vsu sint, nempe

α) *Crucialis*, quæ in formam crucis seu decussatim fit, & litteram X. refert. Hæc omnium quidem est convenientissima, in illa tamen capitis parte tantum fieri potest, quæ a futura remotior & nullo musculo prædita est. Non autem duobus sed tribus ictibus fieri debet, semper scilicet a parte integra ad primam incisionem tendendo, & inferiorem prius faciendo, ne sanguis e superiori profluens inferiorem incisionem turbet. Idem etiam in *vulnere extendendo* observandum est.

ϐ) Literam T. repræsentans; quæ figura locum habet

1) In *futura sagittali*, cujus alter ictus secundum tractum dictæ futuræ infligatur, atque a temporibus ad primam sectionem ascendat.

2) *In fronte*, si scilicet requiratur prope *futuram coronalem* sub qua & secundum ejus tractum cutis transversim incidatur, & altera incisio fiat secundum musculum frontis.

γ) *Tri*

γ) *Triangularis*, seu literam V. referens. Hæc convenire videtur, si in *temporis* musculo incisio requiratur; ita quidem, vt *basis* huius trianguli, si fieri queat, in superiore potius quam inferiore parte constituatur. Quando autem vulnus cutaneum jam dum adest, hoc vnum sectionis tractum formet.

c) Ratione *modi*, quod huius respectu

α) Incisiones fiant manu firma & stabili, ita ut portio cutis incidenda cum pericranio uno ictu dissecetur.

β) Quando autem effracturam & cranii in plura fragmenta conquassationem suspicamur, aut inter secandum deprehendimus, tunc manu magis suspensa operandum est.

γ) *Pericranium* quando per primam incisionem non æque in omnibus locis fuit divisum, maiore postea circumspectione incidatur.

d) Ratione *magnitudinis*, quod

α) Certa quidem regula complecti non possit, consultius tamen sit, in aliquali defectu, quam excessu peccare. Requirunt plerumque, ut cranium ad antiquioris thaleri magnitudinem nudum conspiciatur.

β) Paucis: necessaria est talis magnitudo, quæ fissuram sufficienter detegat, & instrumentorum usum, sine labiorum contactu, admittat.

e) Ratione *deligationis*.

α) Peracta incisione *labia* vulneris a subjecta calvaria instrumento separatorio ea cautela avellantur, ne instrumentum illorum substantiam lædat, apex potius versus cranium magis dirigatur. Recentiores statuunt, labia vulneris relicta nil nisi incommoda chirurgo, ægro autem insignes dolores per totum curationis tempus creare, & tamen suppuratione successiva absumi. Quapropter ad faciliorem partis sanationem & ægri commodiorem conditionem hæc vulneris labia sectione mox auferunt.

β) Deinde *plumaceoli* vel *simplices*, vel, si hæmorrhagia urgeat, *pulvere stegnotico* imbuti, labiis supponantur, ut diducta serventur.

γ) *Oris* autem eorundem *ſtuppæ*, digeſtivo tepido inunctæ, applicentur.

δ) Reliquum vulneris ſpatium *plumaceolis ſiccis* repleatur.

ε) Emplaſtrum conveniens imponatur.

ζ) Partes vicinæ oleo quodam diſcutiente e. g. *oleo camphoræ* inungantur.

η) His ſacculus e discutientibus, in vino coctis, vel emplaſtrum defenſivum imponatur.

ϑ) Denique faſcia conveniente hæc omnia firmentur.

2) Ipſam *trepanationem*.

a) Inciſa cute muſculoſa & hæmorrhagia non obſtante aut ſedata trepanatio ſuſcipitur, & quidem vel mox, vel pro re nata poſt 8-12. horas. Priore caſu non indigemus prædicta deligatione.

b) Adhibetur in hunc finem peculiaris *terebra*, Græcis τρύπανον dicta, quæ modiolum cavum, dentibus ferratis inferius inſtructum, refert, ut hac ratione agitando & verſando portio cranii, inſtar triobuli (wie ein Dreyer groß) exſcindatur.

c) Duplicem autem terebellam adhibere ſolent, quarum altera in medio ſui fulcrum quoddam & quaſi aculeum obtuſum habet, ut in cranium altius penetrare non poſſimus, quam centratus ille ſtilus ſeu fulcrum permittit. Vulgo *trepanum* ſeu *modiolus mas* vocatur. Altera terebra ſine tali fulcro eſt parata, & *trepanum fœmina* dicitur. Præferunt autem hodie trepanum *Hildani*.

d) Æger ita collocetur, ut pars capitis perforanda ſuperiora ſpectet, id eſt, trepano *perpendiculariter* ſupponatur.

e) Labia vulneris, niſi ſufficienter hient, emplaſtris glutinatoriis aliquantum retrahantur.

f) Ne vero labia a ſcobe oſſis, inter operandum decidua, lædantur, linteolis muniantur.

g) Quæ vulgo docent de auribus bombace obturandis, ne ſtrepitum dolorificum æger perſentiſcat, de illis tantum valent, qui ſub operatione ſenſu adhuc præditi ſunt. Teſtatur autem experientia, plures hanc operationem vix ſentire.

In-

Interea tamen hæc aurium obturatio non poteſt nocere. Conferantur ea, quæ infra ſub *fiſſura* hac de re diximus.

h) Itaque in loco conveniente applicetur primum *modiolus mas*, cujus cuſpis cranio firmiter admoveatur, manu ſiniſtra trepanum fortiter teneatur, manu autem dextra tam diu circumducatur, donec circulus mediocriter profundus factus ſit.

i) Tum *mas* quieſcat, & *fœmina* laborem abſolvat.

k) Sanguis, quando apparet, ſignum eſt, quod tabulam ſecundam trepanum penetraverit, & tum lenius premendum eſt, ne forte modiolus altius calvariam penetret, & *duram matrem*, quæ cranio circa *bregmata* ſatis arcte adhæret, ſimul lædat; unde mors poteſt accelerari.

l) Inter operandum trepanum frequentius tollatur, ut profunditas & æqualitas perforationis exploretur & ſcobs modiolo ac circulo inciſo inhærens auferatur. Nonnulli hunc etiam finem reſpiciunt, ne per nimiam incalefcentiam inſtrumentum hoc hebetius reddatur, & oſſi ſimul detrimento ſit. Hinc inſtrumentum aquæ frigidæ vel lacti ſæpius immergere iubent. *Fallopius* præfert quidem *oleum roſatum*, ſed, quia pinguia oſſibus non conveniunt, de hoc iure abſtinendum.

m) Præterea *ſcobs*, dentibus modioli inhærens, ſæpius detergatur.

n) *Profunditas* perforationis nonnumquam exploretur, quod fit

α) Per *ſpecillum*, quo experimur, qua in parte ſegmentum orbiculare plenarie ſeparatum ſit, & ubi cum cranio adhuc cohæreat.

β) Per *coloris* in ſcobe *mutationem*. Quando enim ad meditullium cranii ferramentum penetravit, ſcobs cruenta, uti ſuperius jam diximus, apparet.

γ) *Fallopius* addit inſtrumenti *ſonum*, quem, ſi ad *vitream* tabulam pervenerit, edat.

o) Trepanum neque *nimis*, neque *minus* deprimatur. Priore enim ratione inſtrumentum libere non circumducitur; poſteriore vero calvariam vix penetrat. Suſpenſa tamen ma-

gis manu operetur, si mox in principio læsionis operatio instituatur, hoc enim tempore dura mater arctius adhuc cranio adhæret, progressu autem temporis secedit.

p) Quando osticulum *vacillare* incipit, vectem inter crepidines inserunt, has prorsus dissolvunt, & frustum *volsella* vel *terebella* infixa eximunt. Nonnulli ultimam penetrationem cultello, obtuso acumine prædito, commode absolvunt. Scissio enim immensum quantum minus irritabit, si omnino duram matrem tangeret, quam laceratoria vellicatio. Nonnunquam portioni cranii exsciſſæ dura mater adhæret; quo in casu instrumento decussorio modeste deprimenda est.

q) Post terebrationem omnes eminentiæ & festucæ, ab actu trepanationis resultantes, & cranio adhærentes, cultello *lenticulari* studiose auferantur, ne meninges pungant.

r) Ut sanguis concretus vel sanies exire possint, dura mater instrumento decussorio modeste prematur; id quod felicius adhuc succedet, si æger, sibi adhuc constans, spiritum cohibeat. Sanguis autem omnis, quantum fieri potest, evacuetur. Hunc in finem conducit decocta abstergentia injicere, quibus sanguis, circumcirca hærens, abluatur. Talia decocta parantur cum vino ex herbis cephalicis, conservativis, corruptionem caventibus & corrigentibus.

s) Præcipue refocilletur pars læsa per bona balsamica, nihil pinguia, neque ex pingui acria, linteo concerpto applicanda. Laudatur ad hunc scopum *essentia succini*, cum minore quantitate *essentiæ myrrhæ* remixta, quæ talem effectum præstat, qualis a quocunque exotico vel specioso medicamine non exspectandus est. Addi potest his essentiis modicum *spiritus terebinthinæ*. Quando autem plus justo additur, metum facit facilioris inflammationis & copiosioris suppurationis.

t) Contingit sæpe, ut una & simplex perforatio non sufficiat; in quo casu trepanum bis vel ter admoveri potest. Imo *Stalpart van der Wiel cent. I. obseru. 8.* exemplum Comitis cujusdam Nassovienſis allegat, in quo trepanatio vicesies septies adhibita fuerit.

u) De-

u) Denique non infrequens eſt, ſanguinem extravaſatum & materiam ſanioſam ſub dura matre deliteſcere; in quo caſu Chirurgus non dubitet, illam incidere. Urgente enim neceſſitate *præſtat anceps remedium*, ſecundum *Celſum*, adhibere, *quam plane nullum*. Experientia quoque teſtatur, meningem hanc, *caſu* vulneratam, interdum coaleſcere. Cavendum autem in hac apertura, ne *pia mater* vel vas quoddam notabile incidatur, atque ita nova hæmorrhagia inducatur. Ceterum prodit ſe ordinarie hic ſanguis per prominentiam duræ matris.

3. *Poſt operationem* ſequentia obſervanda ſunt:

1) Capiti applicentur *ſaccali* e diſcutientibus, roborantibus, nervinis e. g.

a) Ex *radicibus* imperator. valer. caryophyll. zedoar. irid. Florent. ſigill. Salom. cyper. rotund.

b) Ex *herbis* betonic. ſalv. ſerpill. hyſſop.

c) Ex *floribus* lavendul. anth. lilior. convall. roſar. rubr. til. ſambuc. ulmar. ſtæchad. Arab. calendul.

d) Ex *ſeminibus* fænu græc. anis. nigell.

e) Ex *lignis* ſaſſafras, ſantal. citrin.

2) In *ambitu* partis perforatæ inſpergi etiam poteſt *aqua vel ſpiritus majoran. ſerpill. lil. convall.* aqua *epileptica Langii*.

3) *Cranium* a labe ulceroſa defendatur per plumaceolum bono ſpiritu vini humidum. Ad promovendam exfoliationem contribuunt rad. irid. Florent. & ariſtol. rot. ſed magis in eſſentia quam pulvere.

4) *De eſſentia balſamica* ſuperius jam diximus, cui pauxillum *balſami Peruviani* addere licet. Solum autem hoc balſamum adhibere nocet.

5) *Supra cranium* ponatur *emplaſtrum de betonica*, *emplaſtr. ſaponat. Barbette*, vel *emplaſtr. ad rupturas*. Malaxetur autem tale emplaſtrum cum pauciſſima quantitate olei cujusdam aromatici, e. g. cinnam. caryophyll. lign. rhod.

6) Præſente in calvaria *ardore*, applicari poteſt ſpiritus vini camphoratus.

7) Hæc omnia faſcia, *couvre-chef* dicta, firmentur.

8) *Interne* conveniunt temperantia nitroſa, abſorbentia, ut & alexipharmaca temperata.

4. *Regimen.*
1) *Alvus* ſemper ſit libera.
2) *Ventriculus* cibis multum non repleatur.
3) *Eſculenta* crudiora & *aromata* calida fugiantur.
4) Quoties æger deligatur, ab *aëre frigido* tam calvaria, quam dur mater defendatur. In hunc finem deligatio in cubiculo calid fiat, & inter deligandum manu calida vel linteis mollibus vulnu tegatur.

5. *Fiſſura.*
1) Hæc quandò appareat, atramento imbuatúr, & caput per aliquo horas deligatum relinquatur.
2) Deinde *ſcalpro*, modo plano, modo incurvo os radatur, & qu dem una vel pluribus vicibus, donec omne veſtigium fiſſuræ di paruerit.
3) Ne vero æger a raſura moleſtiam percipiat, aures ejus obturentu & labia vulneris linteaminibus mundis tegantur.
4) Ne *ſcalprum* ex attritu longiore *incaleſcat*, permutetur vel cu alio, vel immergatur interdum lacti aut aquæ roſarum.
5) Quando autem *rima* ad *meditullium* usque deſcendit, ad trep nationem potius deveniendum erit, licet alia ſymptomata nc adſint.
6) Oſſi vero raſo vel non raſo inſpergantur eſſentiæ e ſang. dra myrrh. rad. ariſtol. rotund. irid. Flor. paratæ.
7) Tum extremis labii applicetur unguentum digeſtivum e g. *matu tivum* illud uſitatum, quod in omnibus capitis vulneribus per a ditionem *gum. elemi* magis ſit appropriatum.
8) Vulnus vero tegatur emplaſtro conveniente.

6. *Contuſio.*
1) Quando ſine depreſſione, aut in infantibus cum depreſſio ſit, non niſi reſolventium & diſcutientium applicationem p ſtulat.
2) Quando autem multum ſanguinis ſub cranio colligitur, feſtuca membranam pungit, vel in adultis depreſſio ſimul ſ eſt, cranium itidem perforandum & ſimul elevandum eſt.

7. *Fractura* utramque laminam penetrans.
1) Quando pro ſanguinis vel ſaniei egreſſu ſatis patens eſt, & oſſa

cta ſcalpri uſu eximi poſſunt, ſufficit eadem applicatio ſcalprorum, modo raſoriorum, modo exſciſſoriorum. Idem valet in *ſede*, quæ unam tantum tabulam afficit.

2) Quando autem *fractura* minus patet, aut *ſedes* usque ad meditullium calvariæ deſcendit, *modiolo* opus eſt, ita tamen, ſi cranium ſimul depreſſum ſit, per inſtrumenta elevatoria in locum naturalem reſtituatur.

8. *Si dura mater* ſimul læſa fuerit, tum

1) Ante omnia hæmorrhagiæ ſiſtendæ ratio habeatur per *pulveres ſtegnoticos* ex aloë, thure & molliſſimis pilis leporinis præparatos, cum albumine ovi exceptos, & linteis mollibus applicatos.

2(Quod ſi vero vel e vulnere vel e contuſione notabilem inflammationem contrahat, inſtilletur illi *oleum roſaceum* vel *commune*, vel *omphacinum* tepidum, aut, niſi cerebrum ſimul læſum fuerit, *oleum lumbricorum* terreſtrium, aut *ſanguis* ex ala *columbæ*; quibus etiem aliquid *ſpiritus vini*, ſive *ſimplicis*, ſive *camphorati* addere licet.

3) Si corrumpi aut ſuppuraſcere incipiat meninx, prædictis addi poſſunt magis *detergentia*, e. g. linimentum e melle roſaceo, farina hordei & ſucco chelidonii factum.

4) In majore autem putredinis metu, addantur unguentum *Ægyptiacum* cum aquaplantaginis, loco aceti, paratum, *balſam. Peruvian.* *oleum* e vitello *ovorum* & *mercurius præcipitatus*.

5) Quando poſt ſeptimum circiter diem inflammatio & color ceſſavit, *oleum hyperici*, *maſtichinum* vel *abietinum* ſubſtituatur.

6) Tandem, ſi pus laudabile appareat, neglectis oleis, ſolo *ſyrupo* vel *melle roſaceo* deterſio fiat.

9. In *piæ matris* & *cerebri* læſione iisdem fere remediis operandum, ſemper autem a pinguibus abſtinendum eſt. Plura de omnibus hiſce læſionibus videantur *tabula de vulneribus capitis*.

10. *Caro luxurians*, per aperturam cranii facile procreſcens, impeditur lamina ferrea, foraminulis prædita, quam *Belloſte* excogitavit, impoſitis ſpleniis. Quando autem tale jam augmentum ſumſit, ut extra cranium protuberet, tunc vel deligando vel deſcindendo exſtirpatur.

II. Omnibus tandem mundatis, & interioribus consolidatis cranii hiatus cum vulnere externo occludendus est; id quod in subjectis junioribus, & nisi major fuerit effractio vel exsciſſio, callo fit, & quidem utplurimum intra 40. dies. In majore vero hiatu & ætate per carnem, quæ ex oris ossis fracti progerminat, perficitur.

TABULA LXXXVII.

DE

OPERATIONIBUS IN OCULIS.

I. *SYMPHYSIS SEU ANKYLOBLEPHARON.*

De hoc affectu actum jam est Tabula de *apertione partium, præter naturam clausarum.*

II. *LAGOPHTHALMOS ET ECTROPIUM.*

1. *Differentia.*

1) Quando superior palpebra ita extrorsum convertitur, ut tunica interior rubicundo suo calore appareat, *Lagophthalmos seu oculus leporis* vocatur.

2) Quando autem *inferior* ita constituta est, ectropium appellatur ab ἐκ & τρέπω.

2. *Causæ.*

1) Cum trichiasi easdem habere solet causas *antecedentes*, inprimis autem *ambustiones* palpebrarum ansam dare *observantur*. Nonnunquam vitium est a *nativitate*.

2) Causa continens est palpebræ contractio & abbreviatio. In palpebra inferiore peccat subinde paralytica *musculi orbicularis* affectio.

3. *Prognosis.*

1) Quo magis inveteratum est malum, eo minor spes restitutionis, hinc

2) In-

2) Incurabile fere judicatur, quod eſt a *nativitate*.

3) Operatio, quæ extendendis palpebris deſtinatur, non habet locum, quando *muſculus orbicularis* tono ſuo privatus eſt. In hoc enim caſu non contractio, ſed potius relaxatio palpebræ peccat.

4. *Curatio.*

1) Hæc tentatur prius emollientibus, oleoſis, mucilaginoſis &c. & ſubiunctis manualibus palpebrarum *extenſionibus*.

2) Quando autem hæc cicatricem non molliunt, neque palpebram extendunt, *operatio* inſtituenda eſt.

3) In caſu relaxationis *muſculi orbicularis*, vbi nulla cicatrix adeſt, tonica & nervina applicentur.

4) Ipſa autem *operatio* ſequente modo perficitur.

a) Sola cutis palpebrarum circumſpecte & per *ſemi-circulum* inciditur.

b) In minore contractione ſemel, in majore bis vel ter, ita tamen, ut una inciſio ab altera diſtet paululum.

c) In *ſuperiore* palpebra ſemi-circulus ſeu arcus *ſurſum*, in inferiore autem *deorſum*, ducitur.

d) Facta inciſione linteo carpto vulnuſcula adhuc magis diſtenduntur.

e) Palpebra *ſuperior* emplaſtro glutinante deorſum trahitur, *inferior* autem, quando peccat, *ſurſum* tollitur, ita ut tale emplaſtrum in fronte firmetur.

f) De reliquo oculus conveniente & repetenda deligatione tegitur, donec poſt octo circiter dies vulnuſcula expleta ſint.

III. *VERRUCÆ.*

Oculorum verrucæ quomodo exſtirpandæ ſint, tabula de verrucis diximus.

IV. *GRANDO ET HORDEOLUM.*

1. *Differentia.*

1) Quando tuberculum mobile & preſſioni cedens in ſuperiore palpebra concreſcit, Græc. χαλάζιον, Latine grando, Germanice ein Hagel-Korn vocatur, quanquam alii differentiam inter chalazium & grandinem admittant.

2) Quando in piloſo palpebræ margine tuberculum durum, rubicundum & immobile occurrit, hordeolum, Germ. ein Gerſten-Korn appellatur.

2. *Prognosis.*
   1) Hæc tubercula non facile afferunt periculum.
   2) *Hordeolum* vel discutitur, vel abit in abscessum, & sponte utplurimum rumpitur.
3. *Curatio.*
   1) *Grando*, si pedunculo pendeat, id quòd sæpe contingit, deligatione, quæ quotidie arctius constringenda est, exstirpatur.
   2) Sin secus, tractatur ut *tumor tunicatus.*
   3) *Hordeolum incipiens* discutitur facile, quando *cadmia* cum aqua rosarum in pulticulam redigitur & imponitur.
   4) Quando autem in abscessum abit, & sponte non rumpitur, capitulum albicans acu aperitur, materia exprimitur, & emplastrum cicatrizans imponitur.

V. *HYDATIDES.*

1. Hæ exoriuntur plerumque in parte palpebræ interna.
2. Deligatione interdum possunt exstirpari.
3. Sin secus, mature aperiendæ, & deinde albumen ovorum conquassatum cum aqua rosarum applicandum, cavendo, ne palpebra & oculi tunica concrescant.

VI. *TRICHIASIS.*

1. *Definitio.*
   Trichiasis est pilorum conversio, pungentem sensum & graviora denique symptomata inducens. Derivatur a θρὶξ capillus.
2. *Differentia.*
   Ad trichiasin sequentes ordinarie species referuntur, a nonnullis autem auctoribus aliter explicantur.
   1) *Distoichiasis*, quando duplex pilorum ordo in palpebris apparet; Derivatur a δὶς duo & στοῖχος, ordo.
   2) *Phalangosis*, quando cilia introrsum ita conversa sunt, ut oculos hastarum instar pungant. Derivatur a φάλαγξ acies.
   3) *Ptosis*, quando superior palpebra turgida & ita suspensa est, ut non solum punctorius a pilis sensus inducatur, verum etiam visus impediatur. Derivatur a πίπτω cado. Germ. Abhangung des Augenliedes. Merito autem distinguimus ptosin ab *œdematoso illo tumore*, qui palpebram non raro infestat; Hic enim a congestione humorum simplice dependet & medicamentis tam internis, quam externis, facile profligatur.

3. Cau-

3. *Cauſæ.*

1) *Phalangoſis* ortum ſuum utplurimum ducit a prægreſſa & male curata palpebræ læſione e. g. a vulnere, abſceſſu.

2) Ptoſis dependet

a) Modo a membranæ nimia relaxatione.

b) Modo a muſculi elevatoris paralytica plane affectione.

4. *Prognoſis.*

1) *Diſtoichiaſis* & *phalangoſis* leves quidem videntur affectus, graviora tamen ſymptomata, quando ſibi relinquuntur, inducere ſolent, nempe dolores inflammatorios & viſus detrimentum.

2) Sic & curatio, ut mox dicemus, ſuas habet difficultates.

3) *Ptoſis*, quando diu jam duravit & tumor ingens conſpirat, inſanabilis cenſetur. Facile enim poſt operationem recrudeſcit. Caſu autem recentiore ſpes eſt reſtitutionis.

5. *Curatio.*

1) Varia tentarunt artifices ad hæc pilorum incommoda tollenda.

2) Simplex pilorum abſciſſio brevi tempore malum reddit gravius. Pili enim acutiores & rigidiores prognaſcuntur.

3) Glutinatio illorum, quam emplaſtro ſurſum & deorſum facere ſolent, multum impeditur per motum palpebrarum.

4) Univerſæ oræ abſciſſio eſt quidem certiſſimum huius mali remedium, ob deformitatem autem, quam affert, prius non commendatur, quam ſi viſus periculum immineat, & quæ ſequuntur, conſilia, ob ægri ſenſibilitatem locum non habeant.

5) Optimum, ſed & ſenſibiliſſimum eſt, ut tales capilli forcipe tenerrima *ſucceſſive evellantur*, & quævis illorum regio, unde de novo procreſcere poſſunt, *acu candente* tangatur.

6) Quo plures autem tales adſunt intorti capilli, eo magis neceſſarium eſt, ut hæc operatio per temporis intervalla abſolvatur.

7) Quod *ptoſin* ſpeciatim attinet, curatio eius tentatur prius per tonica & nervina, quo nomine nonnulli prædicant *oleum tartari nigrum*, cera in formam *emplaſtri* redactum.

8) His autem non ſufficientibus operatio inſtituenda eſt.

9) Antiquorum methodus, quæ cutem exſuperantem forfice vel cultello abſcindebat, & deinde labia per ſuturam adunire commendabat, hodie rejecta eſt, ob difficultatem & deformitatem, quam labiorum ſutura hoc modo adfert.

10) *Recentiores* inſtrumento orichalceo, quod in ſuperiore ac inferiore ſui parte foraminulis præditum eſt, tumorem palpebræ apprehendunt, & cum trochlea, quam ſimul habet, adſtringunt.

11) Deinde tot acus, quot tumoris capacitas requirit, per inſtrumenti foramina transfigunt, & fila illorum utrimque ſuſpenſa relinquunt.

12) Poſtea tumorem forfice vel cultello præſcindunt, inſtrumentum modeſte removent, cum relictis filis labia contracta nectunt, & vulnus, ut moris eſt, tractant.

13) Denique perſpecta labiorum coalitione filum, quod in medio eſt, primum, & ſequentibus diebus reliqua extrahunt.

14) De inventoribus talium inſtrumentorum adhuc notamus, quod *Bartiſchius* primum excogitaverit machinam ejusmodi ligneam, trochlea quidem, ſed nullis foraminulis præditam; qua cutem exſuperantem tamdiu compreſſit, donec tumor, ob defectum nutrimenti in corruptionem abiret & ſecederet. Conferatur hujus Chirurgi tractatus, qui *ophthalmodulia* ſeu Augen-Dienſt inſcriptus eſt.

15) Noſtris autem temporibus Chirurgus quidam Amſtelodamenſis, *Petrus Adrianſon*, ex orichalco fecit inſtrumentum foraminulis præditum, ut tumor abſcindi, labia conſui, & ſic omnia breviore tempore abſolvi poſſint.

16) Denique hoc inſtrumentum D. Rau, *Profeſſor* Lugdunenſis, aliquo modo mutavit, eoque ipſo *Ruyſchium* contradicentem ſibi habuit.

VII. *EXTRACTIO RERUM HETEROGENEARUM.*

De heterogeneis ex oculis removendis ſuperius jam actum eſt.

VIII. *ENCANTHIS.*

Excreſcentia hæc in cantho majori, quomodo tractanda ſit, *tab. de excreſcentiis* docuimus.

IX. *EPIPHORA SEU OCULUS LACRYMANS, ANCHILOPS, ÆGILOPS.* Vide tab. de fiſtula lacrymali.

X. *LEUCOMA SEU ALBUGO.*

1. Eſt tumor albicans in tunica cornea proveniens, & formam perlarum repræſentans; Unde etiam a nonnullis vocatur die Perle im Auge.

2. Quan-

2. Quando tumor mediocris eſt, ſæpius curatur.
3. Videlicet inferior tumoris pars acu aperitur, & ſic materia in illo contenta evacuatur.
4. Deinde aqua ophthalmica applicatur. Conf. tab. med. *de affectibus oculorum.*
5. Nonnulli ſubtili cauterio hunc tumorem curandum commendant.

XI. *UNGUIS* ein Fell.

1. *Differentia.*
   1) Quando hæc pellicula, quæ corneam tegit, & viſum impedit, unguem digitorum æquat, unguis vocatur.
   2) Quando alam papilionis refert, pterygium dicitur.
   3) Quando autem panni inſtar mollis eſt, pannus apellatur.
2. *Curatio.*
   1) Quod ad tractationem hujus affectus pharmacevticam attinet, ſequentia notentur:
      a) Præmittantur laxationes, eæque, ſi opus ſit, repetantur. In hunc finem ſal Anglicanum præcipue laudatur, ſubiunctis pediluviis.
      b) Plethora imminuatur per venæſectionem & ſcarificationem.
      c) Pterygium ſeu pellicula emolliatur per pinguedines recentes (antiquæ enim vim habent colliquantem) e. g. pingued. piſcis, ſerpentis, anſeris.
      d) His per 2-3 dies adhibitis ſeptica in uſum trahantur, quæ pelliculam exedant.
         α) Primum leniora, e. g. mel in vaſe cupreo tam diu liquatum, donec virideſcat. Item tutia, nihilum album, teſtæ ovorum.
         β) Deinde paululum efficaciora, e. g. ſuccus Chelidonii majoris, conchæ calcinatæ, fel lucii piſcis, vel, teſte *Ludovici*, quodlibet aliud.
         γ) Denique efficaciſſima, e. g. vitriolum Cypreum aqua roſarum ſolutum; item lithargyrium, crocus metallorum.
      e) Ad ulteriorem affluxum præcavendum repetantur ſingulis menſibus laxationes, & luna quidem decreſcente.

2) Quaudo autem remedia non ſufficiunt, operatio inſtituenda eſt ſequente ratione:

a) Pellicula ſubtili *hamulo* prehenditur, vel pro re nata *acu* interpungitur & filo nectitur, ut hoc extenſio fieri poſſit.

b) Deinde connexio, quam pellicula cum tunica cornea habet, lanceola circumſpecte diſſolvitur, & quidem ad canthum usque majorem, unde plerumque ortum ſuum ducit, cavendo, ne caruncula lædatur.

c) Dantur autem caſus, in quibus pellicula cum tunica cornea ita firmiter concreta eſt, ut ſeparatio ſine tunicæ hujus læſione fieri non poſſit. Hinc præſtat craſſiorem pelliculæ portionem in illis caſibus tantum removere, & reliquias ophthalmicis ſepticis conſumere. Alias ex hiſce reliquiis nova pellicula procreſcere ſolet.

d) Facta pelliculæ per forficem abſciſſione, fibrarum reliquiæ per convenientem aquam ophthalmicam, vel unguentum illud, de quo tab. med. *de affectibus oculorum* diximus, abſumuntur.

e) Materia mucoſa ſi tantum *corneam* tegat, non indiget operatione; pharmaceuticis enim auxiliis cedit.

f) Nonnunquam pellicula exſtirpatur, quando penes caruncularam vaſcula ſanguifera, quæ nutrimentum ipſi afferunt, diſcinduntur, & deinde lenia ſeptica ſubſtituuntur.

XII. *HYPOPYUM.*

1. De hac materiæ purulentæ retro corneam collectione eadem valent, quæ num XI. de ungue ſub curatione litt. a) & b) diximus.

2. Hypopyo ſponte rupto lenia ſeptica adhibeantur, ad vulnuſculum mundificandum, ne materia ad pterygii geneſin remaneat. Faciunt hoc teſtæ ovorum, conchæ calcinatæ, tutia, pomphol. nihil. album, os ſepiæ præparatum, crocus metallorum, aquæ ophthalmicæ cum modo dictis pulverulentis mixtæ, e. g. roſar. flor. cyan. euphraſiæ. Saccharum in vaſe cupreo ad cœruleum fere colorem tritum, ope ſucci chelidonii vel aquæ hyſſopi; Oleum laterinum iuſta cautela adhibitum, ſaccharum Canarienſe albiſſimum in forma ſicca inflatum. Nam aqua roſarum prius ſolutum minus efficax eſt.

3. Quando autem remedia non ſufficiunt, tum operatio eſt inſtituenda,

4. Vi-

4. Videlicet tunica cornea, *extra iridem*, in parte sui inferiore lanceola pertunditur, ut materia ibidem collecta cum humore aqueo profluere possit.
5. Promovetur materiæ exitus, si necessarium fuerit, per blandam bulbi compressionem.
6. Deinde *collyrium* applicatur, ut vulnusculum, corneæ inflictum, consolidetur. Plerumque parant hoc collyrium ex aqua plantaginis, cum albumine ovorum conquassata, & momento croci ac sanguinis draconis.
7. Humorem aqueum post operationem restaurari observatum est.
8. Quando cicatrix oculum reddit deformem, aliud collyrium subjungunt, nempe ex aquæ plantaginis part. VIII, sachar. cand. alb. part. ij, tut. præparat pj. lap. calam. part. semis.
9. Cavendum, ne incisio nimis profunde fiat. Ad hanc evitandam *Meckren* peculiarem lanceolam parari curavit. Sufficere autem potest ordinaria lanceola, si emplastro quodam obex ponatur.

XIII. *PROPTOSIS.*

1. Quando tunica *cornea* vulnerata est, & uvea in illud vulnus procidit, atque eidem accrescit, proptosis generatim vocatur.
2. Pro diversitate autem graduum diversa nomina sortitur: e. g.
   1) Quando procidentia minor est, & muscæ caput tantum refert, *myocephalon* vocatur.
   2) Quando instar acini procidit, *staphyloma* dicitur, a σταφὶς uva.
   3) Quando exiguum pomum repræsentat, μῆλον appellatur.
3. Visus detrimentum ordinarie affert. Pars enim prolapsa facile abit in corruptionem.
4. Operatio magis instituitur, ut deformitati quid detrahatur, quam ut verum auxilium adferatur.
5. Nempe hæc excrescentia circa sui radicem acu trajicitur, & filo appendente ligatur. Deinde vel forfice præscinditur, vel spontanea illius secessio exspectatur.

XIV. *CATARACTA.*

De hoc affectu, qui multa consideranda involvit, sequente tabula seorsim agemus.

XV. *STRABISMUS.*

1. Est distorsio seu deflectio oculi versus unum aut alterum latus. Germ. vocatur das Schielen.

2. In-

2. Interdum unum, interdum utrumque oculum occupat.
3. Plerumque infantilem ætatem, ob musculorum debilitatem infestat. Quando musculus *abducens* paralysi affectus est, tunc oculus canthum majorem respicit; si vero *adducens*, versus canthum minorem deflectit.
4. Sequentes autem præcipue causæ ansam dare solent.
   1) *Cunæ* ita locatæ, ut lucem vel candelam oblique aspicere infantes cogantur.
   2) *Paralytica* musculi affectio.
   3) Repentinus *terror* vel *fulgur*.
   4) *Convulsiones* epilepticæ, eæque præ aliis frequentius.
   5) Suctio *unius* mammæ.
   6) Recentiores accusandum etiam interdum censent vitium retinæ, putant nimirum, si illa tunicæ regio, quæ pupillæ opposita sit, labem contraxerit, ægrum alio modo videre non posse, quam oculis distortis.
5. Principiis obstare, & infantem ita collocare convenit, ut directe lucem aspiciat.
6. Quando enim hoc malum jam inductum est, difficulter tollitur.
7. In infantibus quidem, ubi mala tantum consuetudo affectum hunc induxit, facilius adhuc tollitur.
8. Quando autem paralysis musculi, vel vitium retinæ subest, strabismus inemendabilis censetur, maxime omnium in adultis.
9. Interea tamen in paralytica causa probari possunt tonico nervina.
10. Ceterum *larvam* infantibus applicant, quæ duobus foraminibus, oculorum regioni directe oppositis, prædita est, ut ita tenelli quævis objecta per lineam rectam aspicere teneantur. Videantur harum larvarum delineationes apud *Scultetum & Solingen*.

XVI. *OCULI EXSECTIO.*

1. Hæc rarius instituenda occurrit, requirit autem animi promptitudinem in Chirurgo & ægrotante. Non minus artificiosum instrumentorum apparatum. Exemplum est in observat. Hildani cent. 1. observ. 1.
2. Præcipue autem exsectionem nonnulli commendant *in proptosi* seu *hydrophthalmia* oculi Germ. Elephanten-Auge; id est, quando oculus extra orbitam ita prominet, ut a palpebris non amplius possit tegi.

3. *Par-*

3. *Paræus* exemplum oculi ità turgidi, vt dehiſcere debuerit, recenſet.
4. Inducitur hoc malum vel a congeſtionibus inflammatoriis, vel a læſionibus externis.
5. Ante plenariam oculi exſectionem præmittere commendant
   1) *Fotus diſcutientes.* His autem non ſufficientibus
   2) *Paracenteſin*, in parte oculi inferiore inſtituendam, ut humores aquoſi educantur; vel caſu magis urgente
   3) *Inciſionem transuerſalem* ſatis amplam, ut contenti humores eliminentur; ſubjunctis palpebrarum compreſſionibus per conuenientem deligationem.
6. Quando autem, his præmiſſis, palpebræ oculum prominentem nondum tegere poſſunt, forma inſuper oculi & viſus perierunt, oculus ab orbita ſeparari & exſcindi debet; ſubjunctis balſamicis & deligatione compreſſoria, ne caro luxurians ex orbita procreſcat.
7. *Hildanus* commendat *cultellum curuum;* quoniam autem hic ſufficienter acutus reddi non poteſt, *rectum* alii præferunt. Exſtirpatio per deligationem, quam nonnulli commendant, eſt periculoſa.
8. Raro opus eſt, vt totus oculus exſcindatur, niſi ulcus cancroideum orbitam profundius occupet. Sufficit, ſi anterior oculi pars eo usque abſciſſa ſit, ut *oculus artificialis* ſubſtitui & palpebræ tegere illum poſſint.

XVII. *OCULUS ARTIFICIALIS.*

1. Quando oculus naturalis quocunque modo perditus & exſciſſus eſt, oculum artificialem artifices ſubſtituunt.
2. Paratur nempe hæmiſphærium aliquod, e *vitro* liquefacto confectum, & ita coloratum, ut cum naturali oculo prorſus conveniat. Hoc quando intra palpebras adaptatur, eodem modo, ut naturalis oculus movetur.
3. Parare etiam ſolent talem machinam ex *argentea* vel *aurea* lamina excavata, & vitrea cruſta obducta, ſed hæ machinæ pondere ſuo moleſtum ſenſum, congeſtionem humorum, lippitudinem, imo ſitus oculi depreſſionem inducunt. Præterea colorem ſuum facilius, quam vitreæ, mutant.
4. Verſus ſomnum oculus talis artificialis eximitur, & ſæpius abſtergitur, ut tanto diutius colorem ſuum ſervet.

5. Ceterum æger, qui oculum vitreum geſtat, quam maxime cavere ſibi debet, ne caſu, ictu, vel quocunque alio violento modo machina intra orbitam diffringatur.

TABULA LXXXVIII.

DE

CATARACTA.

I. DEFINITIO.

Cataracta eſt oculi læſio, quæ colorem pupillæ naturalem, ordinarie nigricantem, in album, gryſeum vel alium mutatum exhibet, & cum affecti oculi cæcitate conjuncta eſt. Derivatur a καταῤῥάσσω, turbo, vel, ut alii volunt, a καταῤῥέω, defluo. Dicitur etiam *ſuffuſio*, germ. der weiſſe oder graue Staar.

II. DIFFERENTIA.

1. *Cataracta*, uti magnam convenientiam habet cum *glaucomate*, ita diſtinguenda tamen eſt ab hoc affectu. Hic enim in humoris *vitrei* opacitate conſiſtit, & obſcuritatem ſuam longe *profundius* retro pupillam oſtendit. Præter ea rarius occurrit, & pro inſanabili habetur. Derivatur a γλαυκὸς, cæſius, virideſcens, aquæ marinæ ſimilis.
2. Differt etiam quam maxime *cataracta* ab *amauroſi*, germ. ſchwartzen Staar, ubi quidem plenaria viſus privatio adeſt, nullum tamen in oculo vitium, præter pupillæ immobilitatem & ſolito majorem amplitudinem, apparet. Vocatur etiam hic affectus *gutta ſerena*, ob guttam quandam obſcuram, quam antiqui e cerebro in *neruum opticum* defluere & viſum hac ratione deſtruere fingebant.
3. *Cataracta* differt etiam a *nyctalopia* & *hemeralopia*, ubi ægri noctu vel interdiu vident.
4. Variæ illæ differentiæ, quas auctores prioribus temporibus de cataracta introduxerunt, e. g. de *diuerſa pelliculæ denſitate*, de cataracta *ante* vel *poſt* pupillam generata, ſponte hodie cadunt, poſtquam re-

recentiores cauſam hujus affectus clarius detexerunt. *Vid. cauſæ.* Hinc illas prætermittimus & neceſſarias tantum atque genuinas hic allegamus.

5, Dividitur nempe *cataracta* ratione *temporis*
1) in *recentem*, quæ nuper exorta eſt, &
2) in *inveteratam*, ſeu quæ multum temporis duravit.

6. Ratione *graduum* dividitur
1) in *incipientem*, in qua aliqualis tantum viſus impedimentum obſervatur. Hanc nonnulli *ſuffuſionem* ſpeciatim vocant. In eo autem differt *incipiens* cataracta a *recente*, quod illa interdum multos annos ſine plenaria cæcitate durare, hæc autem brevi nonnunquam tempore omnem viſum adimere poſſit & ſoleat.
2) in *confirmatam*, in qua plenaria pupillæ opacitas conſpicitur, & æger nullos colores, ſed aliquam tantum differentiam lucis a tenebris diſtinguere poteſt.

7. Reſpectu ad *operationem* dividitur
1) in *maturam*, quæ plenariam pupillæ obſcuritatem exhibet & operationem admittit, &
2) in *immaturam*, in qua plenaria pupillæ opacitas nondum adeſt, & hinc operatio locum non habet. Huc non ſolum *incipientes* & plurimæ *recentes*, verum etiam illæ cataractæ, quæ multos quidem annos jam durarunt, perfectam autem opacitatem nondum oſtendunt, pertinent. Dantur enim, quæ nunquam ad maturitatem perveniunt.

8. Reſpectu *coloris* cataracta dividitur
1) in *albicantem* & *gryſeam*; quo pertinet color perlarum.
2) in *flaveſcentem*.
3) in *virideſcentem*.
4) in *cæruleam*.
5) in *variegatam*, ſeu diverſis coloribus conſpicuam, daß er wie gemarmort ausſiehet. De cujus quidem variationis cauſa nil certi conſtat, vero tamen ſimile eſt, quod *inæqualis* opacitas humoris *cryſtallini* hanc colorum diverſitatem inducat.
6) Huc referenda adhuc eſt *cataracta lactea*, der Milch-Staar, nempe quando inter cryſtallinum humorem & membranulam ejus liquor quidam lacteus colligitur, membranula autem hæc ſub ope-

Unable to display this page

5. Quo magis ad perfectam opacitatem cataracta accedit, eo magis *confirmata* & *matura* judicanda est.
6. Quæ cum *amaurosi* complicata est, ex eo dignoscitur, quod æger ne lucem quidem claram a tenebris possit discernere.
7. Cataractæ *concretionem* cum *iride* docet plerumque pupillæ coarctatio & inæqualitas, a rotunditate abscedens, item *iridis* seu pupillæ immobilitas, ita ut neque in tenebris amplior, neque in clara luce angustior appareat, & post frictionem cum digito nulla dilatatio vel constrictio observetur. Præter ea cataracta concreta indicatur, quando pupilla a latere aspicitur, & circulus niger cataractam inter & *iridem* non intercedit.
8. Denique notandum, quod cataracta per *universum* humorem *crystallinum* utplurimum formare se incipiat, ita quidem, ut *totius* pupillæ nigrities sensim mutetur in albicantem colorem. Nonnunquam autem pars tantum pupillæ afficitur, e. g. puncta albicantia vel striæ hic illic cernuntur. Præterea tales cataractæ modo in peripheria incipiunt, & vel semilunarem vel triangularem vel aliam figuram exhibent: modo in centro ortum sumunt & tales ægri omnia objecta tanquam *perforata* tunc temporis aspiciunt.

V. *CAUSÆ.*

1. Pro causa *proxima* cataractæ auctores in hunc usque diem accusarunt *pelliculam*, in humore *aqueo* genitam, foramen pupillæ claudentem & radiorum ingressum impedientem.
2. Et hanc pelliculam antiqui quidem a vaporibus, e ventriculo ad caput elevatis & condensatis, recentiores autem ab humoris *aquei* vappescentia & condensatione derivarunt.
3. Sub initium autem hujus sæculi Galli quidam, inter quos *Brissæus* eminet, hanc sententiam rejecerunt, & pro causa proxima cataractæ *opacitatem humoris crystallini*, modo majorem, modo minorem, statuerunt. *Pelliculam* autem in rarissimis tantum exemplis, insuper non solam, sed cum opacitate humoris *crystallini* conjunctam, nonnulli detexerunt.
4. Hæc doctrina, licet prorsus nova non habenda sit (multis enim prioris sæculi scriptoribus e. g. *Borello*, *Rolfincio*, *Blegny* &c. aliquo modo cognita fuit) plures tamen nacta est impugnatores; de quo certamine legi potest *Heisteri tractatio de cataracta*. Quamquam autem hanc de

de cataracta ætiologiam ad mentem *Briſſæi* hic tradiderimus: luben ter tamen confitemur, non omnia dubia, quæ a contraria parte mo ventur, nobis eſſe ſublata. Cum enim Briſſæani concretionem cata ractæ doceant, tum non poſſumus concipere, qua ratione hæc catara ctæ cum *iride* concretio fieri poſſit, ſi cataracta in opacitate humori cryſtallini ab iride remoti conſiſtat. Tacemus *membranam* in de mortuis teſte *Briſſæo* fuiſſe repertam. Præter ea, ſepoſito auctorita tis præiudicio *Wolhuſius*, qui *Briſſæo* fortiter ſe oppoſuit, non omn fide privandus videtur. Eſt enim non ſolum vir doctus, verum et iam in tali conditione conſtitutus, in qua uberrimam habet occaſio nem, *ophthalmoduliam* exercendi, quia antiſtes eſt noſocomii cujusdan *Pariſienſis*, in quo 300 partim cæci, partim aliis oculorum morbis af flicti, ſumtibus Regis aluntur.

5. Cauſa autem *continens* hujus in humore cryſtallino opacitatis ſecun dum veri ſimilitudinem conſiſtere videtur modo in *obſtructione* vaſcu lorum ſubtiliſſimorum, quæ humorem cryſtallinum componunt modo in *concretione* illorum. Hac enim ratione minor redditur hu mor cryſtallinus & pori immutantur, ita ut radios transmittere non poſſint.

6. Cauſæ *antecedentes* & *remotæ* ſunt

1) Vel *internæ*, nempe ſuppreſſæ evacuationes naturales, præcipue ſanguinis, e. g. hæmorrhagiæ narium, menſium, hæmorrhoidum. Unde facile pertinaces verſus caput congeſtiones, inflammationes, ophthalmiæ, proveniunt. Huc etiam pertinent frequentes ca tarrhi gravedinoſi, prægreſſæ variolæ, habitus corporis cache ctici.

2) Vel *externæ* e. g. neglectio evacuationum artificialium adſueta rum, præcipue venæ ſectionis & ſcarificationis. Item ulcera manan tia, porro: ſpectatio fulguris, præmaturus uſus teleſcopiorum, veneris abuſus. Denique omnes violentiæ externæ, quæ tenera vaſa lentis cryſtallinæ deſtruunt.

V. *PROGNOSIS.*

1. Omnis cataracta eſt quidem res moleſtiſſima, ſed non periculoſa.
2. Rariſſime *ſponte ſua* cedit.
3. *Incipiens*, quæ in ſubjecto boni habitus & mediæ ætatis reperitur, per *ſola* interdum *medicamenta* curatur. Sed rarius, quæ enim re-

remedia in hunc finem paſſim extolluntur, ſine effectu ſæpiſſime adhibentur.

4. *Inueterata* non niſi *operatione* curatur; ſed hæc ita anceps eſt, ut cataracta, quæ ſigna optimæ ſpei oſtendit, maximas in operatione, ut ut dexterrima, difficultates obiiciat, atque hinc ſperatum effectum fruſtretur.

5. Contra feliciter nonnunquam operatio ſuccedit in cataracta, quæ multum difficultatis minabatur.

6. Præter ea, licet operatio dextre inſtituta fuerit, & æger viſum recuperaverit, non raro tamen exigui tantum temporis eſt ſolatium, quia malum ſæpius recrudeſcit; præcipue quando cauſæ antecedentes non removentur, e. g. congeſtiones humorum verſus caput, habitus corporis cachecticus.

7. Quoniam autem operatio neque vitæ periculum involvit, neque ſtatum deteriorem reddit, ſine prægnantibus cauſis non debet prætermitti.

8. *Ætas media* huic operationi eſt commodiſſima. *Infantilis* & *puerilis* actum facile turbat. *Senilis*, niſi adhuc vegeta ſit, operationem diſſuadet: in hac enim oculi naturali curſu hebeſcunt.

9. In omnibus ſuffuſionis ſpeciebus illa, quæ ad *perlarum* colorem accedit, id eſt *alba* & *gryſea*, optimam facit ſpem reſtitutionis. Reliquorum colorum cataractæ leguntur quidem etiam reſtitutæ, ſed rarius & difficilius.

10. *Gryſea* intra quinque vel ſex menſes ſæpe fit matura.

11. *Alba* ante annum ſextum non facile matureſcit. Si citius operatio inſtituatur, diſſolvitur. Hinc nullo modo *immatura* cataracta eſt deponenda.

12. *Viridis flava* uti cito matureſcit, ita cito deponi poteſt.

13. *Cærulea* tardius fit matura, frequenter occurrit, & curatu difficilis eſt. Remanet etiam poſt operationem major viſus imbecillitas.

14. *Lactea*, quia *humorem aqueum* multum turbat, dubiæ eſt operationis. Interea tamen reſtituta paſſim commemoratur.

15. *Variegata* & quaſi *feneſtrata*, id eſt, quando humor cryſtallinus hic opacus, illic pellucidus apparet, rarius curatur. Ad maturitatem enim non facile pervenit. Huc pertinet etiam, quæ in *centro pupillæ* incipit,

16. Pau-

16. Paucis: cataracta *vera & ſimplex* faciliorem curationem promittit, quam *ſpuria* & *complicata*. Quæ a perlarum colore multum recedit, difficilius curatur.

17. Quæ cum dolore capitis, ſive præſente, ſive præcedente, conjuncta eſt, difficilis, ſecundum *Celſum*, eſt curationis.

18. *Amauroſis*, quia vitium eius vel in *retina*, vel in *nervo optico*, vel in ipſo *cerebro* hærere videtur, eludit omnem operationem, non autem omnia medicamenta. Conſtat enim, quod partim per *ſalivationem*, dextre inſtitutam, partim per efficacia tonico-nervina reſtituta ſit.

19. *Glaucoma*, ſeu ſic dicta *ſplendens* cataracta, quæ profundius in humore *vitreo* opacitatem habet, pro malo deſperato habetur. Neque enim operationi, neque medicamentis cedit. Quando autem humor *cryſtallinus glaucum* colorem obtinet, malum non eſt inſanabile.

VI. *METHODUS MEDENDI.*

1. Remedia *pharmaceutica* num in cataracta *incipiente* quid valeant, & quæ ab auctoribus paſſim commendata ſint, ſub *cautelis* evolvemus.

2. Hoc loco de operatione tantum chirurgica, nempe de *cataractæ depoſitione*, germ. vom Staar-Stechen dicemus. Hæc operatio Celſi temporibus jam cognita fuit.

3. *Ante operationem* conſiderandum,
   1) Num cataracta ex illarum numero ſit, quæ operationem admittunt; id quod ex ſupra dictis patebit.
   2) Speciatim, num *matura* ſit & *ſimplex*, vel ad minimum e numero talium *complicatarum*, quæ viſus recuperandi aliquam ſpem faciunt. Item num *vires* & *ætas* ægri reſpondeant.
   3) Perſpectis hiſce circumſtantiis corpus per univerſalia præparetur. Rectius enim monet *Galenus*, *oculum non ſanandum eſſe ante totum caput, neque caput ante totum corpus*.
   4) Convenit præcipue blande aliquod *purgans* e *maſſa pilular. de ſuccino Cratonis, extracto panchymag. Crollii* & mercur. dulc.
   5) In plethoricis *venæ ſectio revulſoria* in pede locum habet.

4. *Ad operationem ipſam* requiruntur
   1) *Operator ambidexter*, ut dato caſu in utroque oculo cataractam de-

po-

ponere poſſit. E regione enim anguli majoris naſus aditum non concedit. Præterea ab Operatore deſideratur, ut ſtructuram oculi habeat perſpectam, manu firma & acie oculorum prædi-tus ſit.

2) *Duo miniſtri*, quorum alter a tergo ſtans, caput ægroti immobile & reſupinum ſuſtinet, alter apparatum porrigit.

3) *Acus* ad hanc operationem ſatis commoda. *Smaltzii acus duplex* meretur laudari, magis *Albini*, maxime *Briſſæi*, cujus commodus uſus melius demonſtratur, quam deſcribitur.

4) *Acetum roſaceum*, *lavendulatum*, vel aliud excitans, ad deliquium animi cavendum.

5) *Collyrium*, ex aqua roſarum, albumine ovorum conquaſſato & momento ſacchari ſaturni atque camphoræ paratum.

6) *Splenium* molle.

7) *Faſcia* ſuo loco deſcripta.

8) Luna decreſcens, dies ſerenus, horæ poſt meridiem, quibus æger non plane jejunus eſt & quietem nocturnam habet proxi-miorem.

9) Præſentibus hiſce requiſitis *æger* in ſellam humilem collocetur, ver-ſus lumen *obliquum*, ne radii ſolis perpendiculariter in oculum in-cidant & pupillam nimis contrahant.

10) *Oculus ſanus*, quando adeſt, ſplenio & faſcia deligetur, ne com-moto hoc affectus oculus ſimul in motum concitetur.

11) *Oculum affectum* ad angulum majorem ſeu naſum ægri tor-queat.

12) *Operator* ſella paululum altiori e regione ægrotantis ſedeat.

13) Acum per pannum laneum ſæpius transmittat, vt ab aſperitate qualicunque liberetur & paululum calefacta faciliorem ingreſſum habeat.

14) Deinde manu ſiniſtra, quando dexter oculus, dextra autem, quando ſiniſter affectus eſt, palpebræ aperiantur. Nonnulli *ſpeculo oculi* hoc præſtant.

15) Vt manus quieſcat, oſſi *jugali* imponatur.

16) Acus ſtraminis diſtantia ab *iride* infigatur & per tunicam *albu-gineam*, *ſcleroticam* & *choroideam* in cavum oculi ſenſim recta & ea cautela adigatur, ne conſpicua vena vel *proceſſus ciliares* læ-dantur.

Unable to display this page

tem ſplenia, quæ ſicca ſua duritie teneris partibus incommoda adferre poſſent, collyrio ſæpius imbuere.

6) Poſt aliquod ab operatione dies humor cryſtallinus fundo oculi ordinarie ita ſe jungit, ut non facile reſurgat; quamquam nil certi hac de re aſſeverari poſſit.

7) Octavo circiter die, quo inflammationis metus evanuit, in conclavi obſcuro, deinde mediocriter luminoſo, religatis oculis æger obambulet, donec lumini ferendo ſenſim adſueſcat.

VII. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Multum diſſentiunt auctores, num *remedia pharmaceutica*, tam interna, quam externa, in cataracta *incipiente* efficaciam aliquam præſtare poſſint.

2. Licet autem non deſint, qui prorſus illa rejiciant, teſtantur tamen multi fide digni Practici, quod *incipiens ſuffuſio* per talia remedia ſæpius ſit reſtituta.

3. Confirmat etiam hoc ratio a *priori*. Quando enim ſecundum recentiores conſideramus, quod cataracta non *extra*, ſed *intra vaſa* conſiſtat, facile concludere poſſumus, humores viſcidos, in hiſce vaſculis ſtagnantes, æque ac alibi, per efficacia reſolventia & diſcutientia prima ſui origine poſſe profligari.

4. In illis quidem cataractis, quæ a *violentiis externis* originem ſuam ſumſerunt, ita ut vaſa humoris *cryſtallini* rupta & in fibras concreta ſint, nihil præſidii e penu pharmaceutica proferendum erit; quando autem a *cauſis internis* productæ ſunt, *incipientes* medicamentis interdum profligantur.

5. Hoc aſſertum cum gaudio obſignamus ſequentibus verbis, quæ ab ægroto quodam, & hoc quidem die, quo de hac materia ſcribimus, literis conſignata exhibentur: Der Schattte im lincken Auge iſt nicht mehr ſo merckllch, fällt auch im Leſen nicht mehr ſo hinderlich. Der dunckele Circul, ſo ſich ſonſten præſentirete, wenn ich auf eine weiſſe Feder-Spule ſahe, wird ſchmäler, und das helle centrum darinnen gröſſer &c.

6. Non opus autem eſt, ut remedia illa, quæ in ſalutarem hunc effectum laudantur, ad *arcanorum* cenſum referamus. Quando enim cauſas remotas, & præcipue negotium ſanguinis e. g. menſtrui, hæmorrhoidalis, juſte conſideramus, atque hæc vitia prudente & con-

ſtante methodo removemus, jactatis paſſim arcanis carere poſſumus.

7. De *topicis ophtalmicis* legatur tabula medica XXI. Præter ea

8. Allegabimus, & ulteriori conſiderationi, dijudicationi & experientiæ trademus nonnulla remedia, tam interna, quam externa, quæ a quibusdam auctoribus commendantur.

9. *Riverius* aſſerit, quod nonnullæ cataractæ ſola curatione *univerſali* & *veſicatorio* intra duas hebdomadas reſtitutæ ſint.

10. *Reusnerus* commemorat, quod *Crato* monachum viderit, qui per *radices fœniculi*, in vino coctas oculis applicatas, intra novem dies a cataracta incipiente liberatus fuerit.

11. Sic etiam frequens maſticatio *ſeminis fœniculi*, *aniſi*, *corticis cinnamomi*, *nucis moſchatæ* in omni viſus hebetudine a multis laudatur.

12. *Claudinus* corticem nucis moſchatæ tenuiorem, *macis* dictum, & cum *euphraſiæ conſerva* exhibitum, laudat.

13. *Timæus* & *Severinus* extollunt *ſal volatile viperarum*, aqua ſimplice ſolutum. Modo dictus autem *Claudinus decoctum viperarum* cum aquis ophthalmicis commendat. *Wedelius* laudat *pinguedinem viperarum*, palpebris illatam.

14. *Schenckius* narrat, quod effectus *mercurii* caſu quodam detectus ſit, dum in ægro, lue venerea affecto, præter omnem exſpectationem cataractam, qua ſimul laboraverit, curaverit.

15. *Boyleus* ſpecifice laudat *millepedum* uſum, nempe ſuccum expreſſum, a tribus ad novem aſcendendo & deſcendendo.

16. *Riverius*, ſupra jam allegatus, laudat ſuccum *anagallidis aquaticæ*, oculis per aliquot dies inſtillatum; conjungit autem cauterium in *ſutura coronali*.

17. *Fella* animalium *Galeni* jam temporibus in uſum recepta fuerunt. Speciatim *eſſentia fellis lucii*, ſpiritu vini parata, a quibusdam laudatur. *Scultetus*, præmiſſo purgante & veſicatorio, *fel lucii*, modico ſacchari miſtum, applicat.

18. *Sanguis columbinus*, calide inſtillatus, a multis laudatur.

19. *Cardilucius* tanquam indubium remedium laudat *ſpiritum vini*, linteis exceptum, quater per diem repetitum, & per integrum menſem impoſitum. *Timæus* requirit, ut ſpiritus vini *herbis ophthalmicis* adfundatur; nos autem, ut *camphora* potius imprægnetur.

20. *Boer-*

20. *Bœrhavius ſpiritum ſalis armoniaci*, ex anguſto vaſis collo oculis admotum, admodum deprædicat.

21. Ceterum de *topicis ophthalmicis* notari adhuc meretur, quod *lenia* non penetrent, valde *acria* autem facile inflammationem producant. Hinc tale moderamen adhibendum eſt, ut a lenioribus ad penetrantiora ſenſim progreſſus fiat, & tunc diſcutientia camphorata ſemper conjungantur.

22. Quid *collyria* variorum auctorum, e. g. *Quercetani*, *Hollerii*, *Zechii*, *Geſneri* &c. poſſint, cuivis experimentandum relinquimus.

23. Pharmacevtica auxilia quando non ſufficiunt, & reliquæ circumſtantiæ depoſitionem cataractæ indicant, hæc operatio ſine formidine inſtitui poteſt. Tantæ enim non eſt difficultatis, quantæ prioribus temporibus judicata fuit. Imo putant nonnulli, quod minoris periculi, quam venæ ſectio, habenda ſit.

24. Æger, quantum fieri poteſt, oculum firmiter teneat, neque præ lætitia *vociferetur*, quando ſub operatione animadvertit, quod viſus reſtauretur.

25. *Acuti dolores* ſi ſub acus intruſione percipiantur, id quod ex punctura nervorum ciliarium *Ruyſchii* dependere videtur, acus extrahenda & alio in loco intrudenda eſt.

26. *Humor aqueus* ſub operatione effluens ne deterreat Operatorem, paucis enim diebus reſtituitur.

27. Quando ſub operatione *multum ſanguinis* in oculum effluit, diſcuſſio illius tentetur per ſacculos diſcutientes, in vino coctos & tepide ſæpius applicatos.

28. *Inflammatio inſignis*, quando accedit, tractatur uti ſuo loco dictum eſt.

29. Quando cataracta in actu ſuppreſſionis valde mollis percipitur, operatio ſecundum *Briſſæum* differenda eſt.

30. Cataracta in *utroque* oculo matura uno eodemque die deponenda eſt.

31. Cataracta, quæ in fundo oculi detineri non poteſt, ſecundum *Celſum* & *Paræum* in plures partes diſſipanda eſt. Quando enim in fruſta diſſiliit, unum poſt alterum deprimi & facilius condi poteſt.

32. Nonnulli post operationem objecta diversi coloris videnda offerunt, sed male. Hoc enim videndi conatu oculus movetur, & cataracta ex oculi fundo facile turbatur.

33. Quando cataracta deposita post aliquot tempus *resurgit*, neque sponte sua rursus cadit, operatio sine formidine repetatur.

34. Cautela illa antiqua, ne humor *crystallinus* sub operatione lædatur, hodie non magis necessaria est.

35. Sic etiam nova, seu potius restaurata pathologia, illam opinionem refutat, quod cataracta nisi accurate circa tempus maturitatis deponatur, duritiem corneam & ad operationem ineptam acquirat. Humor enim *crystallinus* quo majorem habet soliditatem, eo commodius deponitur. Hinc cataractæ *inveteratæ* æque aptæ sunt ad operationem, quam *recentes maturæ*.

TABULA LXXXIX.

DE

OPERATIONIBUS IN AURE.

I. *APERTIO MEATUS AUDITORII.*

De hac operatione actum est tabula LXXVII.

II. *EXTRACTIO RERUM HETEROGENEARUM.*

Hanc operationem vide tabula LXXX.

III. *EXCRESCENTIA IN MEATU AUDITORIO.*

1. Excrescentias tractandas tabulis XXX. ad XXXVI. passim indicavimus.

2. Hoc loco adhuc commendamus cautelam, ne *tympanum* lædatur, quando hæc excrescentia exstirpatur.

3. Quando *excisio* per cultellum vel forficem locum habet, hic eradicationis modus causticis præferendus est.

4. Non-

4. Nonnumquam *deligatio* locum habet. *Vid. Hildanus* cent. III. obſerv. I.
5. Quando excreſcentia profundas habet radices, quæ ſcindendo auferri non poſſunt, lenioribus *ſepticis*, vel, pro re nata, *cauterio actuali* exſtirpandæ ſunt. Sed in ſenſibilibus hiſce locis ſumma opus eſt circumſpectione.

IV. *CAUTERISATIO ANTITRAGI.*

1. Hanc operationem nonnulli auctores deſtinant acerbiſſimis dentium doloribus. *Vid. Nuckii chirurg. experiment. XVIII. de curanda dentagra.*
2. Videlicet *antitragum* cauterio ignito leniter tangunt, ita ut cutis cum ſubjacentibus nervulis, qui a ſecundo pari vertebrali oriuntur, aduratur.
3. Sed licet dolores per hanc operationem ad tempus poſſint profligari, intentioni tamen naturæ non ſatis facit, & remedium ipſo morbo, ſi non gravius, æque tamen dolorificum erit.
4. Hinc non prius admittatur, quam ſi omnia fruſtra adhibita ſint, quæ odontalgiæ conveniunt.

V. *TUBÆ ACOVSTICÆ APPLICATIO.*

1. Status *ſurdaſter*, ſeu *obauditio*, quando medicamentis cedere recuſat, *tuba ſonorifera*, græce *acouſtica*, auri ſolet applicari, ut ſonus diſtinctius percipiatur.
2. Ipſa applicatio facilis eſt, & quivis auribus propriis hanc tubam poteſt adaptare.
3. Præcipuum momentum in machina conſiſtit. Hæc enim niſi ſatis ingenioſe ſit confecta, ſperatus per illam effectus non obtinetur.
4. Quam *Deckerus* præ aliis laudat, ita comparata eſt, ut ſub capillis peregrinis poſſit abſcondi.
5. Commodior dicitur illa, quam, uti relationes ferunt, nuper invenit *Pater Sebaſtianus*, monachus *Pariſienſis*, ordinis Carmelitenſis. Hæc machina auri naturali ſimilis eſſe dicitur, obducta eiusdem coloris capillis, quos homo in capite gerit.
6. Quæ a *Reusnero cent. V. ephemerid. A. N. C. obſ. VI.* deſcribitur, non ſolum difficultati auditus, ſed & ſuſurrui & tinnitui aurium deſtinata eſt. Hac enim machina aër in aure contentus, tan-

tanquam cauſa tinnitus, bis quotidie & per aliquod tempus extrahitur.

VI. *LOBULI PERFORATIO.*

Hanc doceant & diſcant vanitatis miniſtri.

TABULA XC.

DE

OPERATIONIBUS IN NASO ET LABIIS.

I. *POLYPI EXTRACTIO.*

De hac operatione actum eſt tabula XXXIII.

II. *OZÆNA.*

De hac operatione dictum eſt tabula XLVIII.

III. *APPOSITIO NASI ARTIFICIALIS.*

1. Naſum, prorſus abſciſſum, non coaleſcere, tabula LIII. jam diximus.

2. Omnes fere auctores *Taliacotio*, qui defectum naſi aliena carne compenſandum peculiari tractatu docuit, contradicunt. Vocant hanc operationem Jmpffung. *Videatur Purmanni chirurg. magn. p. III. ſq. part. I. cap. 17.*

3. In hoc autem conſentiunt omnes, quod in caſu plenariæ naſi abſciſſionis *artificialis*, ex argento confectus, arte pictoria ad colorem faciei debitum redactus, trochlea & penna, ex chalybe cuſa, præditus, poſſit apponi, & hac ratione nimia deformitas averti. Videatur *Paræus* libr. XXII. c. 2.

IV. CANCER LABIORUM EXSCINDENDUS.

1. Diximus tabula L. quod profundæ cancroſæ labiorum ulcerationes ſummæ ſint difficultatis, & medicamentis non facile auſcultent.

2. Hinc exciſſionem non ſolum ulceratæ ſed & calloſæ portionis au-

ctores plurimi commendant, & deinde vulnus, ut moris eſt, tractandum docent.

3. Nonnunquam ulceratio hæc cancroſa rimam tantum exhibet, & tunc labii leporini inſtar exſcindi & futura vulnus conſolidari poteſt.

4. Quando *ſcirrhus* tantum *cancroſus* labia occupat, a *ſepticis*, quæ nonnulli commendant, cauendum eſt.

5. Exſcinditur potius talis ſcirrhus cancroſus, uti tabula L. jam indicavimus. Præſtat autem portionem labii ſimul exſcindere, quam de radice ſcirrhi quid relinquere.

V. *SUTURA LABII LEPORINI.*

Hanc tabula generaliore LXXXIII. docuimus.

TABULA XCI.

DE

OPERATIONIBUS IN DENTIBUS ET GINGIVA.

I. *PURIFICATIO DENTIUM.*

1. Ad dentium ſordes auferendas multa appropriata inſtrumenta hodie proſtant, quæ peculiari *theca* paſſim circumferuntur.

2. Quoniam autem *metallica* ſunt, a quibus caries facile metuenda eſt, *frequens* horum inſtrumentorum vſus non probatur. Conferatur caut. 16. tabulæ LI.

3. Præſtat principiis obſtare, & dentium impuritates præcavere

1) Per diligentem *ablutionem*, præcipue poſt paſtum, aqua pura inſtituendam.

2) Per *deterſionem* frequentem cum herb. ſalviæ & cochleariæ.

3) Per uſum *pulveris dentifricii*, non quidem frequentem, ſed poſt duas circiter hebdomadas repetendum. Hiſce pulveribus *myr-*

rha utiliſſime miſcetur, nimis acria autem, e. g. ſpiritus vitrioli, facile nocent.

4) Cum hiſce remediis coniungi interdum poteſt mixtura illa, quam tabula medica XCI. ad *ſtomacacen* commendavimus. Hæc enim & *gingivæ* & *dentibus* ſalutaris eſt.

II. *EVULSIO DENTIUM.*

1. Ad dentium extractionem citius plerumq;, quam par eſt, feſtinant Operatores, quoniam autem paucioribus cognita eſt differentia illa, quæ inter *dentes* non ſolum ipſos, ſed & *alveolos*, obſervatur, (tacemus juſtas hujus evulſionis indicationes) operatio non raro infauſte, nonnunquam plane funeſte ſuccedit. Videatur *Bohnius de vulnerum renunciatione.*

2. Dentem *ſanum*, carie non infectum, extrahere, ne atrociſſima quidem odontalgia urgeat.

3. Dentium autem *mobilitas* intra primum ſeptenarium, illorum *caries* cum pertinaci & ſæpius recrudeſcente dolore, *fiſtula* ſub dente quodam deliteſcens, denique præternaturalis & deformis dentium protuberantia, hanc operationem ordinarie indicant.

4. Dentes a *nativitate*, niſi ſuctionem impediant, non ſunt extrahendi.

5. Ad hanc operationem commode inſtituendam varia *inſtrumenta* excogitata ſunt, e. g.

1) *Inciſores* ex alveolis ſuis ordinarie educuntur per *pedem* ſic dictum *caprinum.*

2) *Oculares* ſeu *canini* vulgo extrahuntur per forcipes *dentarias vulgares.*

3) *Molares anteriores* per *pelicanum*, qui *brachia* habet *recta.*

4) *Molares poſteriores* per *pelicanum*, brachiis *curvis* præditum.

5) *Fruſta* dentium per *roſtrum corvinum*, vel *pedem caprinum.*

6. *Operatio ipſa* exercitatum expoſcit Chirurgum, ne vel maxillam concerpat, unde gravia ſymptomata excitantur; vel ipſum dentem ita diffringat, ut radices ipſius poſtea auferri nequeant.

7. Ante autem, quam evulſio ſuſcipiatur, æger in ſellam humilem, capite retrorſum flexo, collocetur, & gingiva, niſi plane laxa vel jam exeſa ſit, ſeparetur.

8. Deinde extractio, non impetuoſe & maxima violentia, ſed modeſtia qualicunque tentetur.

9. Quando dentis evulſionem hæmorrhagia excipit, hæc, uti ſuo loco di-

dictum est, tractetur. *Incisores* quidem, quia minoribus vasculis præditi sunt, hæmorrhagiam excessivam non facile inducunt. Neque *molares*, quæ numerosa quidem, sed non capacia habent vasa. *Canini* autem seu *oculares* ob majora sui vasa largiorem sanguinis excretionem ordinarie pro comite habent. Sufficiunt autem utplurimum lenia stiptica, turunda applicata.

10. *Gravidis* non facile evellunt dentes. Observatum enim est, quod hæc operatio fœtui interdum contraxerit vitium oculorum.

11. Dentes quando modo introrsum modo extrorsum modo deorsum extra seriem prominent, & ita varia incommoda efficiunt, protuberantiæ hæ vel lima conveniente auferuntur, vel forcipe decerpuntur, sie werden abgezwicket. Hæc autem si locum non habeant, evulsio necessaria est.

12. *Caries* dentium quas cautelas requirat, tabula de carie indicavimus.

13. *Molarium* dentium extractio ordinarie impeditur in adultis per radicum divaricationem, quæ maior existit, quam maxillæ foramen, e quo dens prominet. Unde in tali casu maxilla facile dilaceratur. Quando autem dentium *molarium* radices ita varicatæ non sunt, quale quid in fœminis extra ordinem nonnunquam observare licet, extractio facilius succedit.

14. *Molares* dentes, si excavati sint, præstat confringere, quam extrahere. Quando enim ad maxillam usque successivis actibus effracti sunt, carne superincrescente occultantur. Error est, hanc carnem sectione vel cathæreticis exstirpare velle. Licet enim sub initium fungosa atque tuberosa appareat, indurescit tamen ipso vsu, ut non modo stupida, sed etiam firma, successive evadat. Si vero ab effracto dente acumina restiterint, quæ pungendo dolorem & irritationem excitent, lima auferenda & complananda sunt.

15. *Superiores canini*, quos vulgo *oculares* vocant, admodum profunde intra maxillam ad oculi orbitam pertingunt. Hinc, nisi sponte sua jam vacillent, temere non extrahendi sunt. Quando enim nervosæ propagines, quæ ad radices usque horum dentium distribuuntur, extractione violenta convelluntur, immanes dolores & inflammationes, ad bulbum oculi, imo ad ipsam duram matrem pertingentes, suscitantur.

16. *Canini inferiores* inferioris quidem sunt periculi, non contemnenda tamen ne horum quidem est considerationis & evellendi difficultas, propter profundiorem situm & delitescentiam quasi intra maxillam. Præterea quia seminervea medullaris substantia in horum dentium cavitatem, admodum angustam, longius & profundius quasi inserta est, inter evellendum simul laceratur, & sensibiles dolores, sonticas inflammationes & spasmodicas irritationes post se trahit.

17. Evulsionem dentis carioſi *ustio* illius *actualis* interdum avertere potest; cauendum autem, ne ipsa radix, sed ossea substantia uratur.

III. *DENTES ARTIFICIALES.*

1. Quemadmodum *nasi* & *oculi* artificiales in locum naturalium substituuntur, ita etiam res se habet cum dentibus amissis.

2. Quoniam enim dentes sermoni articulando multum inserviunt, artificiales in deperditorum naturalium locum non solum formositatis, sed & loquelæ causa ponuntur.

3. Conficiuntur ordinarie ex *ebore*, sed quoniam hi brevi tempore flavedine tinguntur, illos præferunt, qui e *dente hippopotami* sunt confecti. Nam cortex ejus exterior, qui nivea ordinarie albedine gaudet, hunc suum colorem per integrum annum retinere solet.

4. Dentes hac ratione confecti alveolis, cum quibus proportionem habere debent, immittuntur, &, si opus sit, filo sericeo vel aureo cum vicinis dentibus firmantur.

5. Quando versus somnum evelluntur, & mane renovati alveolis iterum immittuntur, tanto diutius a nigredine & corruptione possunt defendi.

6. Contingit nonnunquam, ut integra dentium series decidat; quo casu ex unico frusto eburneo vel dente hippopotami omnes conficiuntur & applicantur.

IV. *DENTIUM DISIUNCTIO.*

1. Spasticus rigor, tumor inflammatorius & aliæ causæ impediunt nonnunquam, quo minus dentes divelli possint. Vocatur hic affectus germ. die Mund-Klemme.

2. In hisce casibus violentia quadam os & dentes aperiunt, nempe per *speculum oris*, vel per illud instrumentum, quod *trochlea* præditum est, quodque speciatim vocatur Mund-Schraube. Sed male; præstat potius per congrua remedia causas antecedentes & conjunctas removere.

3. Quando autem ob qualemcunque operationem, in cavitate oris insti-

ſtituendam, dentes disjungendi ſunt, inſtrumenta modo dicta uſum præſtant.

V. *INCISIO GINGIVÆ.*

1. Hæc operatio in dentitione difficili ſolet inſtitui, ad gravia ſymptomata, præcipue convulſiua, occupanda vel profliganda.
2. Inciditur nempe per transverſum gingiva in illo loco, quo illius protuberantia eminet & dentem erupturum deſignat.
3. Prius autem hæc inciſio non inſtituenda eſt, quam remedia, in hoc paſſu alias ſalutaria, ſine effectu fuerint propinata. *Conf. tabula medica CXVI. num. 23.*

VI. *EPULIS.*

1. Eſt excreſcentia carnoſa in gingivis, quæ ad intimos dentes molares ſæpius ſe extendit, & non raro apertionem oris & loquelam impedit. Derivatur ab ἐπί & οὖλον, gingiva
2. Exſtirpatur more aliarum excreſcentiarum, de quibus ſuo loco diximus, nempe vel per *deligationem*, vel, ſi hæc locum non habeat, per *exſciſionem*, vbi cavendum, ne nimis profunde illa inſtituatur, alias maxillæ denudatio cariem inducere poteſt. Quando autem caries iam adeſt, tum profunda & ad maxillam usque penetrans exſciſio requiritur.
3. Hæmorrhagia ſiſtitur per colluționem oris cum vino calido, vel ſi hoc non ſufficiat, cum ſpiritu vini.
4. Reliquiæ, ſi adſint, per leniſſima ſeptica auferuntur, & deinde conſolidatio per myrrhata promovetur.
5. *Meckren* peculiarem cultellum ad haſce excreſcentias exſcindendas obſerv. XXVIII. deſcribit.
6. Exſtirpatio per *cauteria actualia & potentialia* in hoc loco non probatur.

VII. *PARULIS.*

1. Eſt tumor inflammatorius in gingiva, odontalgiam ſæpius excipiens.
2. Diſcuſſio tentatur per decoctum, ex reſolventibus & diſcutientibus paratum.
3. Quando autem diſcuſſio non poteſt obtineri, ſuppuratio promovetur per decoctum emolliens, ſubiuncto fruſto caricæ toſtæ.
4. Apertio abſceſſus maturi mature inſtituenda, & mundificatio ſollicite peragenda eſt, ne fiſtula cum vel ſine carie maxillæ exoriatur. Conveniteſſentia myrrhæ cum melle roſato mixta.

5. Fistula exorta dentis evulsionem ordinarie efflagitat.
6. *Miscellanea Berolinensia* p. 143. de talibus tumoribus, epidemice grassantibus, referunt, quod, nisi sub initium apertio facta esset, suppurationis tempus fistulam adduxerit.

TABULA XCII.

DE

OPERATIONIBUS IN LINGVA.

I. *VINCULI* seu *FRÆNULI INCISIO.* German. das Zungen-Lösen.

1. Non necessaria est hæc operatio, quando infans extra oris labia linguam extendere potest.
2. Hinc plurimarum obstetricum opinio, ac si omnibus modo genitis infantibus lingua solvi debeat, rejicitur.
3. Multo magis improbatur actio illa perversa, quæ dictæ opinioni superstructa est, nempe vinculi per unguem disruptio, quam mox post partum digitis suis tentant obstetrices. *Hildanus*, *Horstius*, *Scultetus* & alii de linguæ vinculo, unguibus infeliciter discerpto, testantur.
4. Quando autem lingua frænulo ita ligata est, vt liberum sui motum non habeat, operatio chirurgica necessaria est.
5. Habet hæc strictura suos gradus. Modo enim levior est, & tunc suctioni quidem nullum adfert impedimentum, loquelæ autem vitium postea efficit; modo tanta est, ut infans sugere non possit.
6. Occurrunt nonnunquam *balbutientes*, imo prorsus *muti*, quibus hæc operatio præsentaneum adfert auxilium.
7. Sequente autem ratione instituitur.
   1) Chirurgus manu sinistra, vel peculiari instrumento, quod furcam refert, linguam tollit.
   2) Deinde forfice, satis acuta, tantam frænuli portionem discindit, quantam strictura gradus postulat. Postea melle rosaceo pars læ-

sa

Unable to display this page

lem illam operationem adjiciamus, quam linquæ ca[illegible] in e[illegible] ſtulat.

2. Quamdiu cancer eſt occultus & quietus, relinquatur intactus, mult minus tangantur ſcirrhi illi mucidi & benigni, qui in lingua nonnun quam apparent.
3. Quando autem dolores accedunt, ſcirrhus ille ſanguineus mature ex ſtirpetur, & quidem ad radicem usque. Præſtat enim portionem d ipſius linguæ ſubſtantia exſcindere, id quod ſcirrhus *immobilis* ſæp expoſcit, quam de cancro quid relinquere.
4. Vulneris conſolidatio promoveatur oleo myrrhæ per deliquium.
5. Cancer *ulceratus*, niſi remediis ſuo loco commendatis cedat, matura operationem expoſcit. Quando enim augmenta ſumſit, exſciſſio ac modum eſt periculoſa.
6. Dantur *ulcera* linguæ *benigniora*, quæ linimento, e melle roſaceo liquamine myrrhæ parato, feliciter ſuperantur.

TABULA XCIII.

DE

OPERATIONIBVS RELIQUI IN CAVITATE ORIS.

I. *UVULÆ DESCENSUS.*

1. Uvulæ deſcenſus quando *cum inflammatione* conjunctus eſt, gargariſm te reſolvente & diſcutiente tractatur.
2. In ſtatu *minus inflammatorio* gargariſma adſtringens cum reſolven mox conjungitur. Utrumque gargariſma *tabula medica de angina* e hibuimus.
3. Abſente inflammatione uſum etiam præſtat pulvis piperis, zingiber balauſt. &c. peculiari cochleari uvulæ applicatus.
4. *Capillorum verticalium* retractio in relaxata uvula non probatur. T lerabilius eſt cataplaſma e fermento, ſuccino & ſpiritu vini vertici a plicata.

5. Q

5. Quo magis inflammatio conjuncta eſt, eo magis *internorum* uſus conjungi debet, ne *angina* ſuperveniat. Diſpiciendum etiam eſt, num forſan cauſæ venereæ conſpirent.

6. Quando autem uvula relaxata prædictis non auſcultat, ſed ad arteriam usque aſperam deſcendit, atque ita reſpirationem, deglutitionem & loquelam impedit, operatio neceſſaria eſt.

7. Videlicet tanta uvulæ portio removetur, quanta excedit. Fit hoc

1) Vel *deligatione*, cui inſtrumentum *Hildani*, in hunc finem excogitatum, commode inſervit. Filum quotidie novum alligatur & portio illius, quæ extra os propendet, emplaſtro genæ affigitur.

2) Vel melius *reſectione*, quæ vel longiore forfice, poſt modeſtam linguæ cum ſpatula *depreſſionem*, vel, ſi ad manus ſit, inſtrumento illo abſolvitur, quod *ruſticus* quidam *Norwegienſis* ad hunc uſum excogitavit, & apud *Bartholinum in hiſt. anat. Cent. II. obſervat. 88.* aliosque auctores delineatum & quodam modo emendatum eſt. Hoc inſtrumento non ſolum uvula, inſcio ægrotante, præſcinditur, ſed & eodem actu lingua deprimitur, es wird wie ein Flinten-Schloß abgedrucket.

3) Facta uvulæ amputatione hæmorrhagiæ ſiſtendæ ratio habeatur. Sufficit ordinarie vinum vel acetum calide admiſſum; ſin ſecus, gargariſma adſtringens, vel alumen crudum adhibendum eſt. Antiqui *cauterium*, non *candens*, ſed *calidum* applicabant.

8. Quoniam uvula plurimum ad vocis modulationem contribuit, extra caſum ſummæ neceſſitatis non reſcinditur. Prolongatio enim medicamentis ordinarie cedit.

9. Quando autem corruptione quadam ulceroſa vel putredinoſa uvula afficitur, vel infarctus mucido-viſcoſus in illo loco ſuffocationis metum adfert, operatio requiritur.

10. Obſervant nonnulli auctores, quod affectionibus pectoris catarrhalibus & aſthmaticis præ aliis facile corripiantur illi, quibus uvula reſecta fuerit.

II. *ULCERATIO PALATI.*

1. Ulceratio *ſimplex* tractatur primum decoctis abſtergentibus & mundificantibus, deinde conſolidantibus.

2. Quando autem cauſæ *ſcorbuticæ* vel *venereæ* ſubſunt, tractatur uti tabulis de ulceribus ſcorbuticis & venereis indicatum eſt.

3. Præſente jam *carie* lingua linteo madido tecta modeſte deprimitur, *cauterium actuale* læſioni circumſpecte applicatur, & conſolidatio denique balſamicis promovetur.

4. Quando autem ulceratio *palatum* ad naſi usque cavitatem *perforavit*, ita ut æger diſtincte loqui non poſſit, & liquida potulenta ac eſculenta e naribus prodeant, de *obturatione* foraminis *artificiali* cogitandum eſt. Raro enim *naturalis* obtinetur.

5. Fit hæc obturatio *lamina aurea*, foraminis capacitati accommodata, tubulo perforato ſuperius prædita, cui ſpongia alligatur, quæ naſo intruſa laminam firmiter tenet.

6. Hæc ſpongia quotidie lavanda eſt, ne fœtorem contrahat.

7. *Bonetus* in medic. ſeptentr. T. I. L. 2. S. 18. p. 472. obſervationem habet de ægro quodam, qui a nativitate palatum non habuit, & difficulter hinc verba fecit. Ad loquelam enim requiritur, ut linguæ mucro ad infringendum aërem reſiſtentiam habeat.

III. *TONSILLARUM ET FAUCIUM INFLAMMATIO, ABSCESSUS, SCIRRHUS.*

1. *Inflammatio* tonſillarum eadem ratione, qua *angina*, tractatur. Conferatur tabula medica de hoc affectu.

2. Malo pertinaci *ſcarificationem* in externa tonſillarum regione ſolent opponere. *Angli* hodie laudant *ſcarificationem chirurgicam*, in ipſis inflammatis tonſillis interne applicatam. De ſcarificatione chirurgica legatur tabula LXVIII.

3. Quando autem inflammatoria ſtaſis diſcuti nequit, *ſuppuratio* per *cataplaſmata* externe, interne vero per *gargariſmata* emollientia promovetur, & abſceſſus, quam primum ad juſtam maturationem pervenit, ſequente ratione aperitur.

1) Lingua ſpatula modeſte deprimitur.

2) *Abſceſſus* lanceola longa, emplaſtro ad exiguam usque mucronis partem obvoluta, in loco commodiſſimo inciditur. Proſtat hodie inſtrumentum peculiare, quo & lingua deprimitur, & abſceſſus, inſcio quaſi ægro, aperitur. Refert forma ſua ſpatulam, in qua lanceola deliteſcit, per nodulum autem in conſpectum producitur.

3) Facta apertione & materiæ contentæ eductione decocta primum abſtergentia, deinde vulneraria & conſolidantia ſyringa injiciuntur, omnia autem irritantia tum temporis evitantur, quo etiam pertinent acria medicamenta.

4. In *cynanche*, ubi nullus quidem dolor apparet, inflammatio tamen faucium, lancinatio dolorifica, deglutiendi ſumma difficultas & ſuffocationis metus periculoſum ſtatum exhibent, deliberandum eſt cum ægro & agnatis de ſequentibus difficultatibus.

1) Periculoſum eſt & fortuitum quaſi negotium, apertionem abſceſſus, qui vel circa caput aſperæ arteriæ, vel glandulas, ad caput ejus ſitas, deliteſcit, inſtituere, maxime ob *arterias jugulares* & *venas internas*, preſſe hunc locum prætereuntes.

2) Capacitas chirurgica, ad hanc operationem neceſſaria, non ubique reperitur.

3) Interea tamen ſumme anceps eſt affectus, quando ſine tentamine chirurgico ſibi relinquitur.

4) Operatio ſi decreta fuerit, menſuranda eſt profunditas, quousque nempe ſcalpellum ſit adigendum; id quod pro habitus corporis, tactus, ſenſus & pulſus conditione æſtimandum eſt.

5) Inſtrumentum ipſum ſit ſatis *acutum*, ſed non exquiſite *acuminatum*.

6) Adigatur conſtanti & firmo, ſed non nimio impetuoſo ac veloci impulſu.

7) Præterea non transverſim, ſed ita applicetur, ut altera illius acies ſurſum verſus caput, altera autem deorſum verſus pectus reſpiciat.

8) His obſervatis non facile tangetur arteria, quæ potius inſtrumentum, tali modeſtia adhibitum, a ſe devolvet.

5. *Tonſillarum ſcirrhoſitas*, quæ inflammationem, præcipue incongrue tractatam, nonnunquam excipit, pertinax eſt malum. Uti enim diſcuſſionem non facile admittit, & tamen mole ſua deglutitioni impedimentum ſæpe adfert, ita loci conditio operationes ſatis reddit difficiles.

6. *Corroſivis* enim quando exſtirpatio excedentis portionis tentatur, ſumma circumſpectio requiritur, ne partes vicinæ ſimul lædantur, multo minus potu, cibo vel ſaliva aliquid corroſivi deglutiatur. Hinc neceſſarium eſt, ut æger, adhibito corroſivo, capite pro-

no per plura momenta ſedeat, & ante cibi aſſumtionem aqua tepida os eluat.

7. *Deligatio*, quando locum habet, *Hildani* inſtrumento abſolvitur. Conf. quæ ſuperius de *uvulæ deſcenſu* dicta ſunt.

8. *Antiquorum exſciſſio* hodie improbatur, niſi quidem ſtilo quaſi excedens portio pendula ſit, quo caſu autem *deligatio* præfertur.

IV. *TONSILLARUM EXCRESCENTIA.*

1. Hæc eadem ratione, qua *ſcirrhus*, exſtirpatur.

2. Reſtat, ut temerarius multorum auſus in affectibus glandularum tractandis paucis accuſetur. Nimium enim feſtinant ad ſtaſeos inflammatoriæ maturationem impetrandam, abſceſſum aperiendum, & *totam* tonſillæ ſubſtantiam eradicandam. Re autem vera raro neceſſarium hoc erit, quando inflammatoriæ ſtaſi congruis remediis & juſto tempore occurritur.

3. Quando autem omnino exſtirpatio requiritur in ſcirrhoſitate & excreſcentia, ubique conſiderandum eſt, quod *excedens* tantum portio, non autem naturalis auferenda ſit. Conf. etiam, quæ tabula XXX. & ſequentibus *de excreſcentiis* dicta ſunt.

V. *EXTRACTIO HETEROGENEORUM E FAUCIBUS.*

De hac operatione tabula LXXX. dictum eſt.

VI. *EXCUTIÆ APPLICATIO.*

Hæc operatio uti cito inclaruit, ita etiam mox rejecta eſt. Hinc non opus erit, verba de illa facere.

TABULA XCIV.

DE OPERATIONIBUS IN COLLO.

I. *BRONCHOTOMIA.*

1. *Definitio.*

Bronchotomia eſt aſperæ arteriæ inciſio, eum in finem facta, ut aeris

in

in pulmones in- & egreſſus per viam hanc extraordinariam tam diu obtineatur, quam diu ordinaria via occluſa eſt. Derivatur a βρόγχος, guttur, & τέμνω, ſeco. Vocatur etiam *laryngotomia* & *tracheotomia*.

2. *Cauſæ.*

1) Poſtulat hanc operationem *angina vera*, præcipue inflammatio muſculorum laryngis internorum, quæ ſuffocationis metum incutit, & cui tam interna, quam externa remedia ſine effectu oppoſita fuerunt.

2) Commendant etiam nonnulli hanc operationem ad *res heterogeneas*, quæ in arteriam aſperam prolapſæ reſpirationem impediunt, per talem aperturam educendas.

3) Sic etiam per hanc viam aërem inflare conantur in pulmones illorum, qui *aqua* recenter *ſubmerſi* fuerunt.

3. *Prognoſis.*

1) Rejecta, vel tamen neglecta, hactenus fuit hæc operatio, quoniam autem adeo artificioſam & exquiſitam operam non poſtulat, & aliquando e mortis faucibus nonnullos eripit, præſtat anceps, quam nullum adhibere remedium.

2) Difficultas tamen nulla occurrit circa conſolidationem membranaceæ ſubſtantiæ, præcipue, quando vulnuſculum pro circumſtantiarum ratione diutius apertum debet ſervari.

4. *Methodus.*

1) Reclinatur ægri caput, quantum ob inflammationem fieri poteſt, ad poſteriora, ut annulorum interſtitia, hoc ipſo magis diſtenta, accuratius examinari, atque a ſe invicem diſcerni poſſint.

2) Deinde numerantur circuli cartilaginei; incipiendo ab inferna laryngis parte, ſeu primo annulo, & pergendo in brevioris colli ſubjectis usque ad interſtitium tertii & quarti, in procerioribus vero ad interſtitium quarti & quinti.

3) Huic interſtitio unguis indicis manus ſiniſtræ profunde immittitur, & hujus ductu *phlebotomus* in illud adigitur, ſicque integumenta & membranaceum tracheæ interſtitium unico ictu inciduntur.

4) Poſt hæc *ſtylus* inſeritur, & hujus beneficio *cannula* argentea vel plumbea, hunc in finem fabrefacta, non rotunda, ſed paululum depreſſa, applicatur.

5) Quæ cannulæ pars tracheam intrat, illa aliquatenus recurva eſſe debet, non adeo longa, neque nimis brevis.

6) In altera ſui parte munitur lamella, quæ duobus foraminibus pertuſa eſt, ut filum applicatum circa collum duci, & ſic cannula firmari poſſit.

7) Vulneri imponuntur *emplaſtrum*, *ſplenia* & *faſcia*, quæ omnia fiſſa eſſe debent, aut foramine inſtructa, ut aër libere tranſire queat.

8) Neque *goſſypio* obturandus eſt canaliculus, uti quidam volunt, ſed una cum vulnere apertus ſervandus, donec obſtaculum reſpirationis ſublatum fuerit; id quod impoſitione digiti in cannulæ orificium nonnunquam exploratur. Quando autem ad aërem frigidum arcendum omnino aliquid imponendum judicatur, ſit hoc *ſpongia*, vino calido ſæpius imbuta, & eminus quaſi, non vero preſſe, applicata. Præſtat autem in tali conclavi ægrum degere, quo omne frigus excluſum eſt.

9) Extracto denique tubulo vulneris oræ *ſutura* vel *faſcia uniente* ſibi invicem adducuntur, donec perfectam unionem acquiſiverint. Interea caput magis pronum geſtandum, ut cartilaginum latera eo propius ad ſe invicem accedant.

5. *Cautelæ & obſervationes.*

1) Ante operationem probe examinandum eſt, num reſpirandi difficultas a *laryngis* inflammatione vel ab aliis cauſis dependeat. Quando enim ab inflammatione palati, faucium, pulmonum, vel totius longitudinis tracheæ provenit, irrita prorſus eſt operatio; ut & quando magna pituitæ copia bronchos obſidet.

2) Cum operatione conjungi & ex parte præmitti debent omnia illa remedia, quæ anginæ deſtinata ſunt. Conf. tabula medica XXV.

3) Speciatim *cataplaſmata* reſolventia, *gargariſmata* & *clyſteres* requiruntur. Item *ſectio venæ brachii*, *raninæ*, vel, quæ præſtat, *jugularis externæ*, cujus tamen ligatura, ob majus ſuffocationis periculum, multum non eſt conſtringenda.

4) Pro-

4) Proſtat peculiare inſtrumentum, *trocar* dictum, quo, ſi ad manus ſit, operatio multo commodius inſtituitur.

5) Inciſio, niſi neceſſitas urgeat, fieri non debet in illo loco, in quo tumor inflammatorius jam adeſt notabilis. Quando autem hoc ſcandalum non poteſt evitari, operatio, non quæ *unico ictu*, ſed quæ *ſucceſſive* fit, requiritur.

6) Videlicet Chirurgus infra cartilaginem, *thyroides* ſeu *pomum Adami* dictam, integumentorum facit inciſionem ad pollicis latitudinem. Deinde ſanguinem ſpongia vino calido madida abſtergit, labia vulneris hamulis diducit, & denique interſtitium annulorum membranaceum pertundit.

7) Nonnulli *ipſum annulum* diſcindendum commendant, & hinc commodiorem cannulæ applicationem pollicentur. Sed non opus eſt hac ratione vulneris conſolidationem reddere difficiliorem; niſi quidem *res peregrinæ*, in aſperam arteriam illapſæ, per talem inciſionem educendæ ſint, quo caſu plures annuli ſolent diſcindi, & quando res heterogeneæ forcipe vel hamulo extractæ ſunt, vulnus emplaſtris glutinantibus vel ſutura tractant.

8) Operatio quando in media trachea fit, cavendum, ne venula illa, quæ per fiſtulæ hujus longitudinem decurrit, lædatur. Præſtat hinc ad latus inſtrumentum paululum declinare, ſed non nimium, ne *nervos recurrentes* lædamus, quorum diſciſſio, ob aphoniam inſequentem, majoris, quam dictæ venulæ, eſt momenti.

9) De *tempore*, quo hæc operatio inſtituenda ſit, auctores admodum diſſentiunt. Veteres extrema exſpectabant, & quoniam hac ratione multi ægrotantes mox poſt operationem exſpirabant, hoc remedii genus odio habebatur. Igitur præſtat prius bronchotomiam inſtituere, quam ægri vires exhauſtæ ſint.

10) Tumor laryngis inflammatorius quando ad *ſuppurationem* tranſitum jam feciſſet, apertio abſceſſus, non autem bronchotomia, requireretur.

11) *Aqua recenter ſubmerſis* quando hæc operatio deſtinatur, cannula quo longior, eo commodior eſt ad inſpirationem.

II. *SECTIO STRUMARUM.*

De hac operatione actum eſt tabula XXIX.

III. *SE-*

III. *SETACEUM.*

Videatur tabula LXXII.

IV. *COLLI INCURVATI RESTITUTIO.*

1. *Cauſæ.*

1) Dependet hoc malum utplurimum a vitio muſculi *maſtoidei*, qui, quando trahit, nimis conſtrictus, vel quando trahitur, nimis relaxatus eſt. Prius contingit in ſpaſtico-convulſivis, poſterius in paralyticis affectibus.

2) *Roonhuyſen* accuſat ligamentum aliquod præternaturale, quod caput reclinet.

3) *Ambuſtiones* inducere hoc malum etiam poſſunt, præcipue quando negligenter tractatæ fuerunt.

4) Denique etiam a *nativiate* obſervatur.

2. *Prognoſis.*

1) Incurvatio colli generatim pertinax eſt malum, & quo magis inveteratum, eo difficilius profligatur.

2) In malo, quod *a nativitate* eſt, *oſſium* præcipue mala conformatio vix ullam ſpem reſtitutionis relinquit, quamquam *Roonhuyſen* juvenem 23. annorum reſtitutum commemoret.

3) Reliquarum cauſarum incurvatio prognoſin habet mitiorem.

3. *Curatio.*

1) In malo *recente* partes affectæ bis per diem illinantur, & quidem

a) Muſculus *contractus* linimento quodam *emolliente*, ex oleis lumbric. terreſtr. amygdal. dulc. alth. axung. human. confectum.

b) Muſculus autem *relaxatus* linimento *tonico-nervino*, e ſpirit. formicar. ſerpill. abſtractit. ana part. ij. eſſent. caſtor. ambr. ana part. j. ol. lavendul. majoran. ana part. ſemis.

2) Præterea quater per diem, & quidem quadrantis horæ ſpatio, æger ſuſpendatur de inſtrumento illo, quod a *Nuckio torques* appellatur.

3) Quando autem malum *inveteratum* eſt, *operatio* requiritur; nempe

a) *Tendinoſa* muſculi *maſtoidei* pars, quæ cum *clavicula* conjuncta perſentitur, cultello *falcato* præſcinditur; cavendo, ne vaſa capa-

capacia, quæ illi ſubjacent, lædantur. Obſervarunt auctores, quod diſciſionem hujus tendinis capitis erectio primis momentis exceperit.

b) *Hæmorrhagia*, vt moris eſt, ſiſtitur.

c) Vulnus hians *plumaceolis*, balſamo bono madidis, expletur, & (ſecus ac in aliis vulneribus, in quibus labia adducuntur) *ampla cicatrice* conſolidatur.

d) Eadem inciſio locum habet, quando *Roonhuyſii* præternaturale vinculum malum conſtituit.

e) Durante vulneris curatione adhibetur faſcia, *continens capitis* dicta, vid. p. 35, qua caput æqualiter erectum tenetur.

4) Alii, ad disjungendam muſculi cum clauicula unionem, tendini *cauterium actuale* admovere docent. Sed hæc operatio non ſolum periculoſas convulſiones excitare poteſt, ſed & crudelior eſt ipſa ſectione, quam crudelem accuſant.

5) In cauſa *ambuſtionis* cutis, pro gradu corrugationis, una vel pluribus per transverſum inciſionibus diſcinditur, & *venæ jugularis* læſio, quo fieri poteſt modo, cauetur.

TABULA XCV.

DE OPERATIONIBUS IN PECTORE.

I. PARACENTESIS PECTORIS.

Hanc operationem exhibuimus tabula LXXVIII, qua & ſpeciatim de *empyemate* dictum eſt.

II. *AMPUTATIO MAMMÆ CANCROSÆ.*

Hæc operatio continetur tabula L. de *cancro*. Conferri etiam poteſt tabula LXXXI. de *amputatione partium corruptarum*.

III. *PAPILLARUM VITIA.*

1. Contingit sæpius, ut *papillæ*, præcipue in primiparis, nimium *delitescant*. Extrahuntur autem sequentibus remediis:
   1) *Suctione* sive infantis alius robustioris, sive uxoris cuiusdam, sive catuli, dentibus destituti.
   2) Applicatione certorum *instrumentorum*, in hunc finem fabrefactorum, præcipue *vitri tractorii*, quo calide applicato & papillæ & lac extrahuntur.
2. De *fissuris papillarum* tractandis tabula medica CXV. diximus.

IV. *GIBBUS.*

1. Est luxatoria vertebrarum dorsi distorsio, modo retrorsum, modo antrorsum, modo ad latera facta. Græce vocatur κύφωσις, a κύπτω, inclino, germanice ein Buckel, Hocker.
2. Dependet utplurimum a causis violentis externis, rarius internis.
3. Malum recens sæpius admittit restitutionem, inveteratum nunquam.
4. De hoc affectu tractando diximus jam tabula LXV, vbi de luxationibus vertebrarum actum est.
5. Instrumentum, quod gibbositati avertendæ destinatur, quodque crucis formam refert, ubique hodie notum est.
6. *Cataphractæ* seu fasciæ pectorales, die steiffe Schnür-Brüste, quæ ex osse sepiæ vel laminis ferreis conficiuntur, in recentibus gibbis efficaciter se gerunt.

TABULA XCVI.
DE
OPERATIONE
IN
ABDOMINE SPECIALI
NEMPE
PARTU CÆSAREO.

I. *DIFFERENTIA.*

1. Tractavimus passim in superioribus tabulis plures operationes, quæ in *abdomine* occurrunt, e. g.

1) *Her-*

1) *Hernias* tam proprias, quam improprias tabula XXIX.
2) *Paracenteſin* abdominis tabula LXXVIII.
3) *Gaſtrorhaphen* tabula LXXXIV.

2. Reliquas in ſpeciales claſſes diſtribuemus & ſequentibus tabulis exhibebimus, ubi occurrent
1) Operationes in *veſica* & *urethra*, tabula XCVII.
2) Specialiſſime *lithotomia*, tabula XCVIII.
3) Operationes *in ano*, tabula XCIX.
4) Operationes *in genitalibus virorum* tabula C.
5) Operationes *in genitalibus fœminarum*, tabula CI.
6) Specialiſſime *partus difficilis* & *embryulcia* tabula CII.

3. Et ſic unica reſtat operatio, hac tabula tractanda, quam *partum cæſareum* vel *operationem cæſareanam* vocamus. Eſtque ſectio abdominis & uteri matris, ſive vivæ, ſive mortuæ, ut fœtus, qui per ordinariam viam non poteſt in lucem emitti, hac ratione extrahatur. Nomen accepiſſe dicitur a *Scipione Africano*, qui pro primo huius operationis ſubjecto habetur, Germ. vocatur der Käyſerliche Schnitt.

II. *PROGNOSIS.*

1. Multum diſſentiunt auctores de hac operatione. Alii rejiciunt illam tanquam crudelem; alii contrariam ſententiam tuentur.

2. Periculoſiſſimam eſſe operationem, non facile quispiam negabit. Hinc viva adhuc matre nemo illam temere commendabit, niſi quidem extrema quæque tale remedium extremum poſtulent. Per amicum fide dignum certior factus ſum, quod *Londini* apud D. D. *Cyprianum* fœtum XXII. menſ. vidiſſet, quam ille operatione cæſarea, matrem viuam conſervando, eduxiſſet. Quæ operatio peculiari ſchediaſmate deſcripta eſt.

III. *METHODUS.*

Triplicem hæc operatio habet reſpectum.

1. Quando & *mater* & *fœtus* adhuc vivunt, partus autem per viam naturalem nullo modo ſperandus eſt, dum vel excreſcentia in vagina uteri impedimento eſt, vel fœtus in abdominis cavitate, *tuba Fallopiana* aut *ovario* deliteſcit, operatio ſequente modo inſtituitur.
1) Excretio alvina per clyſterem promovetur & urina emittitur.

2) Deinde inciſio juxta *lineam albam* tanta proportione inſtituitur, quanta ad eximendum fœtum requiritur; cavendo ne inteſtina lædantur.

3) Quando in *ovario* vel *tuba Fallopiana* fœtus continetur, hæ partes circumſpecte inciduntur; quando autem in cavitate abdominis ſitum habet, nulla ulterior inciſio neceſſaria eſt.

4) Detecto hac ratione fœtu hic cum placenta uterina eximitur, ſanguis in cavitatem effuſus ſpongia abſtergitur, & hæmorrhagia ſpiritu vini rectificatiſſimo ſiſtitur.

5) De reliquo vulnus tractatur, uti tabula LXXXIV. de *gaſtrorhaphe* dictum eſt; obſervando, quod *uterus*, ſi inciſus fuerit, ſuturam reſpuat, ejusque conſolidatio ſoli naturæ relinquenda ſit.

6) Præter injectiones mundificantes & balſamicas, quæ externe aliquoties per diem applicantur, neceſſe eſt, ut æger analepticis temperatis reficiatur.

2. Quando mater vivit, *fœtus* autem *mortuus* eſt, & ob impedimentorum ſuperius indicatorum quoddam per viam ordinariam non poteſt excludi, matris vitam ſumme periclitantem conſervare intendunt per eandem operationem & easdem encheireſes.

3. Quando autem *mater mortua* eſt, vitam fœtus ſequente operatione conſeruare ſolent.

1) Ante omnia diſpiciendum, ne ſyncoptica quædam adfectio pro morte habeatur.

2) De vera matris morte quamprimum conſtat, abdomen cruciatim inciditur, & deinde uterus circumſpecte aperitur.

3) Poſt hæc fœtus educitur, & omnia, quæ decent, obſervantur, nempe umbilicus deligatur, & fœtus fovetur.

TABULA XCVII.
DE
OPERATIONIBUS
IN
VESICA ET URETHRA.

1. CATETERISMUS.

1. *Definitio.*

Cateterismus est operatio chirurgica, qua instrumentum quoddám, *cateter* dictum, vesicæ immittitur, & vel urina retenta evacuatur, vel calculus retruditur.

2. *Causæ indicantes* sunt

1) Omnia heterogenea, quæ meatum urinarium obstruunt, & hac ratione eliminationem urinæ impediunt.

2) Speciatim calculus vesicæ, excrescentia in urethra, materia mucido-viscida & coagulata, ab ulceroso renum statu producta, sanguis congrumatus, a mictu cruento vel violenta quadam vulneratione residuus.

3) Contra locum non habet hæc operatio, quando urina vel ob urethræ tumorem inflammatorium, vel ob constrictionem renum aut ureterum retenta est.

3. *Prognosis.*

1) Non poscit hæc operatio peculiarem dexteritatem, modo intrusio per virgam moderate & secundum urethræ situm recte absolvatur.

2) Noti sunt ægri, qui sibi ipsis cateterem sæpissime applicant, & urinam retentam proliciunt.

3) Brevior & latior fœminarum urethra non solum facilius admittit cateterem, sed & hunc non ita longum, subtilem & incurvatum exposcit. Differentes hinc & sexui accommodati cateteres hodie prostant; quamquam præter necessitatem.

4. *Methodus* respicit

1) Ipsum *instrumentum*, quod est

a) Ordinarie *fistula argentea*, *embolo* prædita.

b) Nonnulli ob minorem ſenſum cereolum ſubtiliſſimum applicant, optatum autem finem minore certitudine obtinent. Locum præcipue habet in ſtatu urethræ inflammatorio.

c) Parantur etiam fiſtulæ *argenteæ*, imo *coriaceæ* ſumme *flexiles*, quas filamentis corpori alligant, & per plures dies applicatas relinquunt. Fit hoc in illis ſubjectis, quorum afflictio frequentem cateteris applicationem requirit. Præmittitur autem per aliquod tempus fiſtula ordinaria, quæ viam pararet debet.

2) *Modum applicandi.*

a) Cateter, oleo olivarum vel quocunque alio illitus, in urethram placide immittitur, ne in viris caruncul*æ*, quæ vaſis ſeminalibus adjacent, lædantur. Fœminarum urethram prodit cavitas quædam exigua ſub *mentula*.

b) Quando cervicem veſicæ, ubi urethra virorum incurvata eſt, Operator attigit, cateterem verſus regionem umbilicalem ſurſum dirigit, vt in ipſam veſicæ cavitatem adigatur.

c) Extracto embolo urina per cateterem mox emitti ſolet; ſin ſecus, promovetur illius proventus per blandam abdominis compreſſionem.

II. *URETHRÆ VITIA.*

1. De urethræ *imperforatione* tractanda legatur tabula LXXVII. qua apertionem partium, præter naturam clauſarum, docuimus.

2. De *caruncul*is ſeu *excreſcentiis venereis*, urethram obſidentibus, & urinæ proventum impedientibus, multa paſſim audiuntur, non deſunt autem, qui tales excreſcentias in dubium vocant.

3. Eminet inter hos *Brunnerus*, qui in cadaveribus loco caruncularum magnam cicatricem detexit. Confer. *Dionis oper. chirurg. p. 268. edit. German.*

4. Quocunque autem modo res ſe habeat, eadem methodo diſſentientes hunc affectum tractant. Videlicet

1) in *recentibus* caſibus, in quibus plenaria urinæ ſuppreſſio nondum adeſt, vel *ſolum cereolum*, vel *leniſſimo ſeptico* in apice ſui imbutum ad obſtaculum usque urethræ immittunt, faſcia conueniente firmant, ſub urinæ qualicunque emiſſione extrahunt, & pro re nata de novo illitum ſæpius applicant. Quando plurima portio ablata eſt, aliquid mercurii præcipitati, ad fundum exſtirpandum, addunt. Conf. tab. medic. de gonorrhœa cautel. 29.

2) Hæ

2) Hæc per aliquot menſes patienter & moderate continuanda jubent, ab *acrioribus* autem *ſepticis*, inflammatorios dolores efficientibus, & malum augentibus, merito dehortantur.

3) Quando autem urethra ita occluſa eſt, ut nulla prorſus urina excerni poſſit, violentiorem modum concedunt, nempe.

a) Vel *cateteris* intruſionem, aliquo modo violentam, licet dolorificam. *Paræus* & alii cateteres *acutos* deſcribunt, ſed hi non probantur.

b) Vel *corroſiua acriora* cereolo, in apice paululum cavo, applicanda & ſæpius repetenda.

c) Viam apertam conſervant eodem cereolo, non ſeptico, ſed oleo ovorum imbuto.

4) His omnibus irritis *punctura in perinæo* vel *ſupra oſſe pubis* inſtrumento, *trocar* dicto, commendatur. De hac operatione inferius ſpeciatim dicetur.

5. Extractionem *calculi*, in urethram impacti, ſequente tabula, qua *de lithotomia* agetur, docebimus.

6. *Incontinentia urinæ* quando remediis pharmacevticis non auſcultat, in viris virgæ applicant chirurgica inſtrumenta, quorum, uti varia ſunt, ita commodiſſima illa habentur, quæ *clauſtri* inſtar parantur. In fœminis, quarum meatus urinarius prædicto inſtrumento comprimi non poteſt, aliud, quod veſicæ formam habet, & peculiari oſtio, urinam ſtillantem excipiente, præditum eſt, applicatur.

PUNCTURA PERINÆI.

1. Quando retenta urina, ob quæcunque impedimenta, per cateteris applicationem non poteſt eliminari, operatione veſica aperienda eſt.

2. Optima methodus eſt, ut inciſio in illo loco fiat, quo *frater Iacobus* lithotomiam inſtituere commendavit. Hac enim ratione neque urethra, neque cervix veſicæ læditur. Conferatur tabula ſequens.

3. Prioribus temporibus illum locum eligebant, quo lithotomia ſecundum *magnum apparatum* inſtituitur. Sed hoc modo vaſorum ſeminalium læſio metuenda eſt.

4. Præter ea cultellum bipennem adhibebant, ſed præſtat inſtrumentum, *trocar* dictum, per regionem commendatam veſicæ immittere, & extracta acu urinam per hanc fiſtulam tamdiu eliminare, donec ordinaria via iterum aperta ſit. Hac ratione non ſolum citius & mi-

no-

noribus doloribus operatio absolvitur, sed & vulnus facilius consolidatur.

5. *Conductoris* loco esse potest digitus, intestino recto ante puncturam immissus. Hic enim viam ad vesicam monstrat.

6. Nonnulli recentiorum puncturam tali in loco faciendam commendant, quo lithotomia secundum *apparatum altum* instituitur. Ad minimum *punctura* multo minore periculo, quam *lithotomia*, hoc in loco fieri potest.

TABULA XCVIII.

DE

LITHOTOMIA.

I. DEFINITIO.

Lithotomia est operatio chirurgica, qua calculus per aperturam, incisione factam, extrahitur. Derivatur a λίθος lapis, & τέμνω seco, germ. das Steinschneiden; quamvis ipse calculus non secetur, sed partes continentes.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Calculus* differt

1) Ratione *situs*.

a) Alius enim in *renibus* reperitur.

b) Alius in *vesicæ fundo* libere fluctuat & movetur.

c) Alius in *vesicæ cervice* hæret, & locum non mutat.

d) Alius *urethræ*, quam mora sua dilatat, impactus, & peculiari sæpius cystidi inclusus est.

e) Alius in *vesicæ rugis* delitescit, & circa *ureterum* extremitatem hæret.

2) Ratione *numeri*.

a) Modo enim *unicus* tantum adest.

b) Modo *plures*, iique plerumque *parvi*, adsunt.

c) Unicus calculus quando in *renibus* generatus, novi indies succrescunt. *Conferantur causæ tabulæ medicæ de calculo.*

3) R

3) Ratione *molis.*

Hæc a pisi magnitudine ad ovi gallinacei molem excedit, imo stupenda interdum calculi magnitudo observatur.

4) Ratione *substantiæ.*

a) Alii calculi sunt molles, friabiles, tophacei, gypsei, cretacei, spongiosi & quasi punicei.

b) Alii duritie silices æmulantur.

c) Alii in superficie molles sunt, durissimum autem nucleum fovent.

d) Alii aliam, quam lapideam, substantiam in medio sui gerunt, e. g. globum plumbeum, sanguinis grumos, baccas juniperi.

5) Ratione *figuræ.*

a) Alii sunt æquales & quasi politi.

b) Alii asperi, anguloſi atque spinosi.

c) Alii plani, rotundi, ovales, recurvi.

d) Alii triangulares, quadrangulares, rhomboides, pentagoni, octogoni.

e) Alii formam cordis, pisi, amygdali referunt.

f) Non raro etiam figuræ anomalæ sunt, ita ut murem, catulum, caput infantis, felis, pyrum, crucem, referant.

g) Rarissimi vero sunt calculi illi, qui a natura canali præditi & ita excavati reperiuntur, ut urina perfluere possit.

6) Ratione *coloris*

a) Sunt vel cinerei, candidi, imo crystallini splendoris.

b) Vel rubri, fusci, nigricantes.

2. Ipsa *lithotomia* seu calculi exsectio differt

1) Ratione *sexus:* In viris enim inciditur *perinæum* vel ipsius vicinia; in fœminis autem *urethra.*

2) Ratione *ætatis:* In infantibus enim & pueris minore apparatu operatio instituitur, quam in adultis. Specialia de hac re sub *methodo* dicemus.

III. *SIGNA.*

1. Calculi *renalis* signa, quia ad scopum nostrum, quem hoc loco respicimus, non pertinent, sicco pede prætermittimus. Qui scire illa desiderat, evolvat *tabulam medicam de calculo.*

2. Calculus *urethræ* impactus est modo in *sphincter* vesicæ, modo prope *perinæum*, modo in *urethræ medietate*. Exploratio & dolores satis illum detegunt.

3. Calculi *vesicalis* signa sunt

1) Vel *æquivoca*, quorum præcipua nominabimus.

a) Vaga quædam & oberrans *titillatio* circa pubem & perinæum; quæ in viris ad extremum usque virgæ sese extendit, & quando calculus est *angulosus*, sensus talis exquisitus observatur.

b) Dum calculus augetur, pondus incumbentis *gravitatis* persentitur.

c) Per *loca salebrosa* cum incommodo & dolore tales ægri incedunt; multo difficilius saltus committunt.

d) *Mictio* adest *crebrior*, ita vt assiduo fere mingendi conatu vexentur.

e) Non continua autem, sed *interrupta* hæc est mictio, quæ ob viam a calculo obstructam, *repente* interdum intercipitur.

f) Quando *angulosus* est calculus, urina *guttatim* exit, & *sanguine* plerumque tincta, ob vasorum læsionem.

g) Quando *grandior* factus est, & *diu* in vesica hæsit, *urina alba*, *crassa*, *turbida* & *sabulosa* excernitur, in qua *sedimentum purulentum*, muco narium simile, apparet.

h) Excretionem urinæ excipit *dolor*, modo per universum membrum, modo per solam glandem. Et hic dolor est *exquisitus*, hoc enim concretum, urinæ cursu concitatum, in sphincterem & urethram violentius allidit.

i) Quando autem *nova urina* in vesicam destillat, dolor sensim minuitur.

k) *Crura* collocat æger *decussatim*, ventris inferiora & genitalia manibus subinde premit, unde brevi solamine fruitur,

l) *Priapismo* & penis excoriatione æger sæpe afficitur.

m) Non minus procidentia ani frequente, mingendi enim conatum sequitur desidendi cupido. Hinc *Henricus ab Heer* pathognomonicum calculi signum statuit, quando quis fæces excernendo mingit, & mingendo fæces excernit.

n) Quando calculus *extremo ureteris* impactus hæret, & quasi propendet, nulla mali signa sese manifestant, id quod in quibus-

dam

Unable to display this page

in urethra tantopere non eſt reformidanda, præcipue quia bono quodam balſamo conſolidationis incommodum reſarciri poteſt. Proſtant etiam multæ obſervationes de hac operatione feliciter adminiſtrata.

3. Quamquam autem ſectio *veſicæ* & *urethræ* minoris, quam *renum* ſit conſiderationis, eſt tamen generatim lithotomia operatio periculoſa, quacunque etiam methodo inſtituatur.

4. Interea hoc periculum aliquo modo mitigatum eſt noſtris temporibus, quibus meliores encheireſes & commodiora inſtrumenta detecta ſunt.

5. Calculus *lævigatus* & *mediocris* faciliorem operationem & curationem pollicetur, quam aſper, ſpinoſus, adhærens & prægrandis.

6. Quando poſt operationem reſpiratio facilis, ſitis modica, abdomen non adeo tenſum, lingua madida, febris levior & dolor mediocris reperitur, de bono operationis ſucceſſu ſpem concipere poſſumus.

7. Quando autem contrarium apparet, præterea vulnus hiat, urina per illiud effluit, alvus non reſpondet, vehementes dolores adſunt, faſtidium a cibis permanet, poſt quintum diem febris exquiſita urget, & denique æger in ventrem cubare amat, nihil boni ſperandum eſt.

8. Alia etiam *ſymptomata* facile accedunt, quæ in futurum partim incommoda, partim pericula minantur, e. g.

1) *Fiſtula* in loco inciſionis, quæ, quia urina continuo per illam fluit, & ordinarie calloſitates habet, non facile conſolidatur.

2) *Excretio urinæ involuntaria*, a diſlecto vel lacerato ſphincte re veſicæ.

3) *Generandi impotentia*, ob veſicularum ſeminalium læſionem.

4) *Abſceſſus* in partibus vicinis, præcipue in ſcroto.

9. Hæmorrhagiæ inſignes, inflammatio veſicæ, (quam abdominis tenſio manifeſtat) conatus vomendi aut ipſe vomitus, deliria, convulſiones, ſigna plerumque ſunt funeſta.

V. *METHODUS.*

A. *Generalis.*

Lithotomia *quatuor methodis* fieri poteſt.

1. *Prima methodus* vocatur *ſectio Celſi*, item *methodus cum parvo apparatu* gall. *le petit appareil*, Item *methodus antiqua*.

1) Hæc

1) Hæc a plurimis circumforaneis in hunc usque diem adhuc exercetur.

2) Qui vero operatores sublimioris sunt ingenii, hanc methodum non nisi in pueris & infantibus, aut si in adultis calculus urethræ firmissime impactus sit, hodie exercent.

3) *Instrumenta*, quæ ad minorem hunc apparatum pertinent, perpauca sunt. Præter enim *splenia* & *fasciam* T nihil requiritur, quam *cultellus*, *hamulus* & nonnunquam *forceps*.

2. *Secunda* respectu prioris *methodus nova*; alias *methodus cum magno apparatu*, gall. *le grand appareil* vocatur.

1) Hæc nostris temporibus maxime in usum trahitur.

2) *Marianus Sanctus* primum illam docuit, ex doctrina præceptoris sui *Ioann. de Romanis*, qui circa annum Christi 1520. Romæ floruit.

3) *Instrumenta*, quæ magnum hunc apparatum constituunt, sunt
a) Varii *cateteres argentei* ad explorandum calculum.
b) Cateteres *ferrei* sulcati.
c) *Cultellus*, ad hanc operationem peculiariter fabrefactus.
d) *Conductor mas & fœmina*. Alii conductorem *Hildani*, qui Gallis *gorgeret* audit, præferunt.
e) *Forcipes* rectæ & curvæ, magnitudis diversæ.
f) *Hamulus*, ad lithotomiam peculiariter paratus.
g) *Cochlear* peculiare, quod a Gallis *bouton* appellatur.
h) *Dilatatorium* ad vulnus, si calculus major sit, extendendum.
i) Apparatus deligationis non est major illo, qui methodo prima indicatus est.

3. *Tertia* dicitur *methodus alta*, Gallis *haut appareil*; item *methodus Franconica*.

1) *Alta* vocatur, quia non infra, sed *supra ossa pubis*, & ita in superiore vesicæ parte, incisio instituitur. Hinc multum commercii habet cum *operatione Cæsareana*.

2) *Franconica* appellatur, quia *Petrus Franck* primus fuisse dicitur, qui *Losannæ* an. 1560. calculum, quem ex infante duorum annorum per perinæum extrahere non potuerit, per hanc viam, suasu parentum, extraxerit.

3) Exolevit quidem hæc methodus, præcipue ob metum, quod vesica hac ratione lethalem læsionem accipere posset, nonnullorum ra-

tamen auctorum judicio non ſolum facilior, ſed &, ſi dextre adminiſtretur, reliquis ſecurior habetur. Hanc ob cauſam hodie paſſim in vſum vocatur, & noti ſunt quidam operatores, qui felici cum ſucceſſu hac methodo calculum extrahunt.

4. *Quarta methodus* eſt illa, quam cucullatus quidam frater, a Gallis *frere lacque* vocatus, ante 24. circiter annos adminiſtrare incepit.

1) Laudatur ab his, culpatur ab illis.

2) Præcipue in eo culpatur, quod nimis ruditer hanc operationem tractaverit.

3) Hinc nonnulli locum quidem inciſionis, qui eſt *juxta perinæum*, retinent, inſtrumenta autem emendata adhibent.

4) De reliquo anſam dedit hæc methodus *fratris Iacobi*, ut operatio, quæ *punctura perinæi* audit, melius poſſit adminiſtrari. Videatur tabula antecedens.

B. *Specialis*.

1. *Methodus Celſi*, ſeu *antiqua*, quæ minorem habet apparatum, ſequente modo inſtituitur.

1) Miniſter robuſtus & peritus, in ſedili ſedens, ægrum in tali ſitu conſervat, quem *Toletus* depingit.

2) Chirurgus ſiniſtræ manus indicem & medium digitum oleo inungit, atque in inteſtinum rectum immittit.

3) Altera manu infimam abdominis regionem paululum premit, ut calculum exploret, & ad perinæi regionem ducat.

4) Deinde calculus duobus illis digitis dictæ regioni modeſte appellitur, ut eminentia qualiscunque exterius conſpiciatur, & calculus ipſe ſentiatur.

5) Alter miniſter manum ſuam dextram ægroti abdomini leviter imponit, ſiniſtra autem teſticulos ſurſum tollit.

6) Tum Chirurgus ſcalpello, ad hanc operationem apto, ſuper calculum, qui in veſicæ collo eminet, tantam facit inciſionem quantam calculi magnitudo requirit. Obſervando, ut omnes partes plenarie diſſecentur, ne calculus, per fibrillas adhuc integras extractus, dolores ſpaſticos efficiat.

7) Denique calculus, niſi ſponte ſua procidat, forcipe comprehenditur, & illius extractio digitis, inteſtino recto intruſis, ſimul promovetur.

8) Poſt

8. Post extractionem specillo vel catetere exploratur, num plures forsan calculi adsint, qui forcipe itidem extrahendi essent.

9) Ad *methodum Celsi*, seu *minorem apparatum*, pertinet etiam eductio calculi, qui in *urethram* firmiter impactus est, de qua operatione sequentia notentur.

a) Ante operationem medicamentis tam internis quam externis omnis nervus intendatur, præcipue per insessus, inunctiones & injectiones oleosorum.

b) Quando autem hæc irrita sunt, neque calculus per cateterem in vesicam repelli potest, tunc extractio tentetur vel *suctione oris*, quæ nonnunquam feliciter succedit; vel *inflatione urethræ*, notante *Alpino* in libro de medicina Ægyptiorum. Hac ratione urethra dilatatur, & deinde calculus duobus digitis retro istum comprimitur.

c) Quando calculus eousque provenit, ut instrumento possit apprehendi, tunc *specillum auricularium*, gall. *un courbette* (ist bey nahe wie ein Ohr-Löffel gemacht) adhibetur. Prius autem oleum quoddam per siphonem in meatum urinarium immittitur, deinde dictum instrumentum ita inseritur, ut superato calculi loco ille post tergum apprehendatur & extrahatur. Interea minister penem versus radicem comprimit, ne calculus retrocedat. Si vero nimia urethræ angustia exitum deneget, illius osculum leviter est incidendum.

d) At si hæc omnia non sufficiant, operatio instituenda est. Nempe cutis protrahitur, & penis retro calculum, ne hic retrocedat, deligatur. Deinde chirurgus manus sinistræ pollicem calculo apponit, & dextra manu in regione paululum laterali secundum longitudinem supra calculum facit incisionem. Postea calculus vel *specillo auriculario*, vel solo penis inflexu eliditur.

e) Nonnulli adhibent *terebram torculatam* & *parvam*, & terebrando calculum comminuere intendunt.

f) Alii dilatant urethram *radice gentianæ*, quæ cavitati respondet.

g) Extracto calculo cutis remittitur, vulnus balsamicis tractatur, &, si incisio magna est, fistula argentea, plumbea, vel e corio incerato confecta in urethram profundius, quam vulnus est, immittitur, & ibidem per decursum curationis eum in finem re-

relinquitur, ut urina per illam excernatur, dolores & arrosiones excludantur & consolidatio promoveatur.

h) Hæc est causa, cur incisio in parte urethræ *inferiore* non sit instituenda. Hac enim ratione urina tanto facilius per vulnus excerni posset. Commodissima quidem hoc respectu esset incisio in parte *superiore*, sed quia totus penis sic incidi deberet, hæmorrhagia & alia symptomata essent metuenda.

2. *Methodus nova*, qua *majorem apparatum* adhibemus, sequente modo instituitur.

1) Æger mensæ stabili imponitur, substratis ad excipiendum sanguinem linteis duplicatis, & suppositis dorso ac lumbis pulvinaribus compactis.

2) Genua diducta sic complicantur, ut calcanei natibus proxime admoveantur.

3) Duplici habena, e cervice propendente, & circum axillas hinc & inde voluta, femora cum tibiis & pedes cum manibus sub varia laqueorum circumductione firmiter ligantur, insuper æger a tribus robustis ministris immobilis tenetur.

4) Tum Chirurgus *cateterem sulcatum*, oleo madidum, vesicæ immittit, explorato iterum calculo, cateteris curvaturam versus perinæi sinistrum latus adigit.

5) Quartus minister scrotum tollit, ejusque futuram, dum in dextrum latus illam retrahit, ab incisionis loco removet, qui simul cateterem, in vesicam immissum, tenet & ita apprimit, ut curvatura illius sulcata urethram versus perinæum appellat. Nonnulli Chirurgi & cateterem tenent, & incisionem faciunt.

6) Deinde Chirurgus perinæum dextrorsum paululum trahit, scalpello, fasciola circumvoluto, in sinistra regione, supra cateteris prominentis sulcum, facit incisionem, quæ in medio circiter perinæi loco facta & deorsum ducta, in pueris referre debet longitudinem duorum, in viris autem trium digitorum transversorum cavendo ne intestinum rectum lædatur.

7) Facta incisione & retracto scalpello, *conductor mas* vulneri immittitur. Post hæc caterere ablato *conductor fœmina*, cui mas viam monstrat, etiam immittitur. Alii *conductorem Hildani*, quem Galli *gorgeret* appellant, loco horum adhibent.

8) Du

8) Dum manus ſiniſtra hæc inſtrumenta tenet, dextra *forcipem dentariam*, ætati & vulneri convenientem, ita applicet, ut vulnus non ad latera, ſed perpendiculariter dilatetur, alterque conductorum deorſum, alter vero ſurſum, a forcipe adigatur.

9) Retractis conductoribus Operator, ad dilatandam veſicæ cervicem, forcipem utraque manu aperit, poſtea illam quodam modo iterum contrahit, omnino autem non comprimit, ne veſicam divellat. Hac ratione, huc illuc forcipem movendo, calculum quærit, & repertum ſic apprehendit, ut intra forcipis alas ſitum extractioni idoneum ipſi conciliet.

10) Tunc eodem pene momento triplici motu, nempe extrorſum & in utrumque latus, ſeu ſpiraliter facto, calculus extrahitur.

11) Quando autem calculus juxta pubem vel ad latera hæret, & ita *forcipe recta* non poteſt prehendi, *curva* adhibenda eſt.

12) Quodſi vero ratione molis per vulnus extrahi non poſſit calculus, ſitus illius inverti & ita extractio tentari debet. His irritis vulnus ſcalpello ampliandum eſt, donec ſatis patens ſit. Nonnulli *forficem* adhibent, quæ non æque commoda eſt; alii *inſtrumentum dilatatorium* peculiare applicant, quod tamen nullius uſus eſt. Habent etiam peculiarem forcipem, qua calculum nimis magnum in veſica diffringunt. Quando autem neque diffringi, neque poſt vulneris ampliationem extrahi poteſt, ab operatione deſiſtendum.

13) Extractus calculus ſi valde *politus* appareat, aliorum in veſica latentium ſuſpicionem præbet, qui proinde etiam quærendi & extrahendi ſunt.

14) *Mollis* & *arenoſus* calculus vix extrahi poterit, quin comprehenſione ſui frangatur, & intra veſicam fragmenta quædam relinquat. Hinc, ne novus facile oriatur, ſpecillo recurvo craſſiore & obtuſo, gall. *un bouton*, veſicæ cavitas exploratur, & ſi quid lapidei reperiatur, forceps iterum atque iterum inſeritur. Tandem *ſpecillum auricularium* applicatur, & per hoc interiora veſicæ ab arenulis, lapillis aut ſanguinis grumis repurgantur.

15) Quando calculus veſicæ parietibus ſic adhæret, ut citra ingentem fibrarum dilacerationem removeri non poſſit, is tam diu ſinendus eſt, donec ſuperveniente ſuppuratione ſponte excidat, aut facilius eximi poſſit.

16) Si *caro fungoſa* intra veſicam aut ejus cervicem alicubi ſuccreverit, illa forcipe nunquam avellatur, ſed vel ſuppurationi committatur, vel, ſi fieri poſſit, ſcalpello dextre præſcindatur.

17) Quod ſi nimium laborioſa etiam operatione æger de vita periclitetur, calculi evulſio in alium diem differenda eſt, donec vires reſtauratæ ſint.

18) Lithotomia peracta & vinculis ſolutis, æger in lectum ponitur, ubi vulnus linimentis, emplaſtris & ſpleniis obductum, probe deligatur, & quidem faſcia illa, quæ formam Π refert.

19) Deligatio hæc quotidie repetitur, & quidem primis diebus unguentum digeſtivum linteo carpto applicatur, & faſcia leniſſime ſtringitur, quarto autem circiter die major faſciæ ſtrictura, vel pro re nata emplaſtrum glutinans adhibetur, donec tandem ſub uſu ſelectiſſimorum balſamicorum conſolidatio obtineatur. Interea non opus eſt, ut æger *cubando* totam curationem abſolvat.

20) Quando ſymptomata, de quibus ſub *prognoſi* diximus, operationem excipiunt, congruo modo tractanda ſunt.

21) Vltimo loco de *extractione calculi in fœminis* notamus, quod in nonnullis circumſtantiis differat ab extractione, quæ fit in ſexu virili. Nam per *urethram* fit; imo

a) *Parvo* exiſtente calculo non opus eſt ſectione, quia iſte aburina in veſicæ cervicem facile propellitur. Unde, dum amplior & brevior urethra eſt, quam in viris, non raro ſine auxilio externo eliminatur.

b) Quando autem calculus in urethra impactus hæret, eadem prorſus methodo educitur, uti ſub *apparatu minore* indicavimus.

c) Ceterum calculum in veſica latentem ordinarie ita extrahunt, ut conductores & deinde forceps *urethræ* immittantur, atque per hanc viam calculus eliminetur. Nonnulli autem recentiorum calculum fœminarum prægrandem, æque ac in viris, per ſectionem in *perinæo* extrahendum commendant, ut incontinentia urinæ, quam alias fœminæ plerumque incurrunt, hac ratione avertatur.

d) Reliquæ encheireſes conveniunt cum iis, quas ſuperius paſſim indicavimus.

3. *Me-*

3. *Methodus Franconica*, gall. *haut appareil.*

1) Æger, ſuper culcitram collocatus, a miniſtris quibusdam firmiter tenetur.

2) Alius ex illis indicem & medium digitum in inteſtinum rectum immittit, &, quantum fieri poteſt, calculum ad veſicæ fundum compellit. Alii loco immiſſionis digitorum commendant, ut multum aquæ calidæ, e. g. thee, coffee, aliquot ante operationem horas propinetur, &, veſica turgente, urinæ excretio per lenem virgæ deligationem impediatur.

3) *Lithotomus* paulo *ſupra pubem* & ad *lineæ albæ* latus, integumenta hypogaſtrii ſecundum fibrarum *muſculi recti* ductum, & eadem opera ſubjectum veſicæ corpus, ſcalpello leniter diſcindit; cavendo, ne reliquæ partes lædantur. Nonnulli aquam calidam in veſicam iniiciunt, eaque impleta urethræ compreſſionem inſtituunt, ut veſica turgida maneat.

4) Hæc methodus neque ſpecillo neque forcipe indiget, ſed ſolo *biſtouri* contenta eſt. Facta enim veſicæ inciſione manus operatoris ſiniſtra indicem in veſicam immittit, eoque eandem ad abdominis muſculos continet, usque dum index & medius dextræ manus calculum in veſica inquirentes eum extrahant, & nil amplius extrahendum inveniant. Tum digito extracto in abdomine *gaſtroraphia* adminiſtratur, & parva tantum apertura cum turunda pro urinæ effluxu conſervatur.

5) Veſicæ vulnus naturæ ſanandum committitur; id quod in ſubiecto ſano, non adeo adulto, intra menſis ſpatium ſanatur.

6) Multum ad hanc autocraticam reſtaurationem tribuere videtur, quod vulnus ſit in ſuperiore veſicæ parte, urina autem per declivem eius partem exitum quærens ſanationi impedimento eſſe non poſſit. Tum vulnus calore inteſtinorum fovetur, & vel his vel peritonæo accreſcens conſolidatur.

7) Quando urina per locum naturalem effluere incipit, & effluxus per aperturam in abdomine relictam imminuitur, tum turunda extracta vulnus balſamicis conſolidatur.

8) Hæc methodus non tantum id habet commodi, quod, ut ſupra indicatum eſt, paucis inſtrumentis indigeat, ſed etiam æger poſt ſanationem urinam libere emittere poſſit, neque illius ſtillicidio & incontinentia, quod grave malum eſt, adfligatur.

9) Plura de his legi poſſunt in ſcripto illo germanico, quod *D. Præbiſch* Chirurgus primarius legionis Holſteinianæ *Regiomont. Boruſſ.* 1727. in lucem emiſit.

4. *Methodus fratris Jacobi.*

1) Ægrum ſupra menſam ordinariam collocabat, nullisque vinculis, ſed ſolis miniſtrorum manibus firmiter illum tenendum jubebat.

2) Cateterem ſolidum, teretem, nulla rima ſulcatum, & præ ordinariis magis curvum, in veſicam mittebat, cujus ope tam urethram, quam veſicæ cervicem verſus ſiniſtrum perinæi latus compellebat.

3) Deinde ſcalpellum, ordinariis paululum longius, in latus perinæi ſiniſtrum, ubi duorum digitorum latitudinem a ſutura diſtat, in carnem ſtrenue adigebat, donec cateteri occurreret; & ſic, quidquid in hoc itinere offendebat, nullo diſcrimine facto, oblique ſurſum & deorſum incidebat. Hac ratione urethra non tangebatur.

4) Facta inciſione, & retracto ſcalpello, digitum indicem in veſicam inſerebat, calculi molem, ſitum ac figuram explorabat, dilatatorium, cochleari fere ſimile, quod conductorem ſuum appellabat, ad vulnus dilatandum, intrudebat, illius ductu forcipem applicabat, & ſic calculum extrahebat.

5) Pari ratione *lithotomiam in fœminis* inſtituebat, & uteri inciſionem nullius momenti iudicabat.

6) Deligationem vulneris & diætam frivole tractabat, non minus corporis præparationem, quam ante operationem auctores commendant, negligebat.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Detecto calculo variæ cautelæ, antequam extrahatur, obſervandæ ſunt.

2. Præcipue ægroti *vires* conſiderare convenit, & ſi hæ tantæ operationi ſuſtinendæ impares judicentur, a lithotomia abſtinendum eſt.

3. Perpendenda etiam eſt *calculi moles*, ne, facta inciſione, operator turpiter recedere cogatur, quando prægrandis reperitur, & omnem conatum eludit. Sane ſi ovum gallinaceum magnitudine ſuperet, ſine

vi-

vitæ discrimine non facile extrahetur.

4. Considerandum, num calculus *vesicæ adnatus* sit, quo in casu a lithotomia abstinendum, ne in illius evulsione hoc viscus laceretur. Non adeo frequens autem est hic calculi situs, uti vulgo censetur.

5. Quando, pensitatis pensitandis, constitutum est, operationem instituere, corpus *purgatione*, *venæsectione*, victuque idoneo præparatur & frequente ambulatione movetur, ut calculus ad vesicæ cervicem magis descendat.

6. *Fæces alvinæ* ante operationem per clysterem eliminantur.

7. *Tempus*, quando electio illius conceditur, optimum est autumnale & vernale.

8. *Sectionis* dextra & expedita administratio, uti & *instrumenti* bonitas, specialem commentarium non merentur, totus enim negotii cardo in eo versatur, ut laceratio & vellicatio partium, unde dolores majores & symptomata graviora excitantur, caveatur.

9. Balsamum optimum est, quod ex essent. succin. myrrh. & momento spiritus terebinth. paratur. Huic sane nullum aliud palmam præripit.

10. Legi potest de his rebus *Hildani* tractatus, quem de hoc negotio specialiter conscripsit. Omnia enim prolixius exsequitur, & in *generalioribus* medicamentis imitationem meretur.

11. Omnes lithotomiæ methodi, optimæ quoque, suas habent difficultates & pericula. Quod enim ad operationem illam attinet, quæ cum *apparatu majore* fit, cervix colli & urethra non facile ita dilatari possunt incisione, ut calculus, etiam mediocriter magnus, sine subsequente perpetuo urinæ stillicidio extrahi possit.

12. Sic & *fratris Jacobi methodus*, quia profundam involvit incisionem, hoc habet difficultatis, ut aliæ facile partes in longo itinere lædantur.

13. Hinc quam maxime sane optandum esset, ut remedia vere *lithontriptica* innotescerent, & præcipue *blanda menstrua* darentur, quibus, vesicæ injectis, calculus dissolveretur. Hoc enim ratione periculosa lithotomiæ operatione supersedere possemus.

14. Ultimo loco de *fistula*, quæ post lithotomiam in *perinæo* non raro succedit, pauca dicemus.

1) *Turundarum* & *cannularum* abusus, item magnæ partium dilacerationes sub operatione potissimum tales fistulas producunt.
2) Difficulter restaurantur, præcipue quando magnæ, inveteratæ & valde callosæ sunt.
3) *Callus* ante omnia removendus est sive per circumspectam *sectionem*, sive per moderatam *sepsin*.
4) Deinde balsamica selectiora, num. 9. commendata, læsioni applicantur, & labia emplastris glutinantibus aduniuntur.
5) Conducit etiam *genua* semper *conjuncta* tenere, & nocturno tempore illa ligare.
6) *Deligatio* non ita frequenter, sed post tres demum dies repetenda est.
7) *Potus* sit exiguus.
8) *Nuckii* & *Solingii subligacula*, quibus fistulam comprimere & urinæ egressum inhibere conantur, votis ægrotantium non ubique satisfaciunt.

TABULA XCIX.

DE

OPERATIONIBUS IN INTESTINO RECTO.

I. *ANI CLAUSURA.*

Anus, a nativitate clausus, quomodo sectione aperiendus sit, docet tabula LXXVII.

II. *CLYSTERES.*

De his præparandis & applicandis diximus tabula LXXIV.

III. *SUPPOSITORIA.*

De horum præparatione diversa legatur eadem tabula LXXIV.

IV. *PROCIDENTIA ANI.*

De hoc affectu actum est tabula XXVIII.

V. *HÆ-*

V. *HÆMORRHOIDES CÆCÆ.*

Harum tractationem vide tabula medica XXXVII, qua de apertione ſeu inciſione chirurgica ſimul dictum eſt.

VI. *HIRUDINUM APPLICATIO.*

De hac operatione legatur tabula LXX.

VII. *FISTULA ANI.*

Hanc exhibet tabula XLVI.

VIII. *EXCRESCENTIÆ CIRCA ANUM.*

1. Variæ uti ſunt excreſcentiæ, circa anum provenientes, ita variis etiam nominibus veniunt & a variis cauſis dependent.
2. Modo enim ab externa forma, quam exhibent, vocantur *thymus*, *ficus*, *mariſci*, Feig-Wartzen, Maſt-Körner, Zacken, belg. Tacken.
3. Modo *hæmorrhoides nothæ* ſeu *ſpuriæ* appellantur.
4. A contagio venereo plerumque quidem ortum ſuum ducunt, nonnunquam autem ſine tali infectione occurrunt, nempe in iis corporibus, quæ vel ſeroſitate ulceroſa affecta, vel quibus *hæmorrhoides turgentes* diuturnæ in verrucoſam talem conſiſtentiam deductæ ſunt.
5. Exſtirpantur vel *deligatione*, quando pendulam habent radicem, vel *ſectione*, ſubjuncta congrua hæmorrhagiæ quantulæcunque tractatione & vulnuſculi conſolidatione.
6. Quando repullulare videtur excreſcentia exſtirpata, leni ſepſi occurrendum eſt, quo nomine oleum philoſophorum, item frequens attactus cum *vitriolo cypreo* efficax reperitur.
7. Excreſcentias *venereas* externe abſumit mercurius *præcipitatus ruber*, interne reſolvit eos *mercurius dulcis*, dextra methodo propinatus.

TABU-

TABULA C.

DE

OPERATIONIBUS IN GENITALIBUS VIRORUM.

I. *VARICOCELE.*

Hanc operationem vide *tabula XIX. de herniis.*

II. *CANCROSA MEMBRI ET TESTIUM CONSTITUTIO.*

Hæc tractatur ea ipsa methodo, quæ tabula L. de *ulceribus cancroideis* indicata est.

III. *URETHRÆ CLAUSURA.*

Urethra clausa quomodo aperienda sit, docet tabula LXXVII.

IV. *URETHRÆ CARUNCULA.*

De urethræ caruncula, quæ vulgo creditur, diximus tabula XCVII.

V. *CATETERIS APPLICATIO.*

De hac operatione eadem tabula XCVII. actum est.

VI. *FRÆNULI SOLUTIO.*

1. Hæc operatio convenit cum solutione vinculi linguæ, de qua tabula XCII. diximus.
2. Peracta incisione ferula applicatur.
3. Quando tota penis substantia curvaturæ huic ansam præbet, operatio non habet locum, sed relaxantia topica cum justa deligatione, ferulis instituenda.

VII. *EXCRESCENTIÆ VERRUCOSÆ.*

1. De harum exstirpatione idem valet, quod præcedente tabula de excrescentiis circa anum diximus.
2. Quoniam autem causa venerea utplurimum adest, hujus mali congrua tractatio per interna commendatur.

VIII. *PHIMOSIS.*

1. *Phimosis* dicitur, quando glans penis præputio tam arcta tecta est, ut denudari non possit. Derivatur a φιμόω, obturo.
2. Exoritur vel a mala in utero formatione, & hæc *phimosis* vocatur *na-*

tu-

turalis; vel ex *tumore* quodam, qui præter naturam in pene occurrit, & in cauſa præcipue venerea frequenter obſervatur.

3. *Phimoſis naturalis* ita nonnumquam eſt comparata, ut nulla indigeat operatione. Quando autem hanc expoſcere videtur, ſequente ratione inſtituitur.
   1) Pro majore vel minore præputii contractione rectilinea & proportionata inciſio in illud inſtituitur, & quidem commodiſſime cum forfice, nodulo prædita. Nonnulli peculiarem cultellum adhibent.
   2) Alii in ſuperiore præputii regione, alii a latere frænuli inciſionem faciendam jubent.
   3) Facta inciſione præputium vel ſponte ſua, vel digitorum ope retrocedit.
   4) Hæmorrhagia qualiscunque paululum toleratur, & deinde vulnus, ut moris eſt, deligatur atque conſolidatur; cavendo ne minor anguſtia relinquatur, quæ novam operationem expoſcat.
   5) Recentiores quidam inſtrumento, cochlea prædito, præputium dilatant, & inciſionem hac ratione avertunt.
   6) Alii præputium antrorſum trahunt, & more *circumciſionis Iudaicæ* illud præſcindunt.

4. *Phimoſis præternaturalis* ſequente ratione tractatur.
   1) Quando *ſimplex tumor* hoc malum fovet, cataplaſma e diſcutientibus & emollientibus lacte paratur & applicatur.
   2) In cauſa autem *venerea*, quæ plerumque adeſt, interna remedia, ſuo loco commendata, propinantur, externe autem cataplaſma modo dictum utiliter adhibetur.
   3) Quoniam autem ulcuſcula venerea ſub præputio utplurimum latent, liquores abſtergentes intra illud injici debent, ne ulterius rodant, & periculoſum ſtatum inducant. Conducit decoctum ex lignis & radicibus antivenereis, cum exigua portione mellis roſati & paucis guttis tincturæ antimonii remixtis.
   4) His non ſufficientibus & ſymptomatibus ingraveſcentibus, operatio modo deſcripta requiritur, ut ulcera detegantur & ulterior corruptio avertatur.

IX. *PARAPHIMOSIS.*

1. *Paraphimoſis* eſt affectus priori contrarius, nempe præputii tanta retractio & coarctatio, ut glandem tegere nequeat. Unde circulus

ſanguinis impeditur, tumor inflammatorius & dolores atrociſſimi inducuntur. Et quoniam tumor præputii, retro glandem retracti, *torquem* quaſi refert, vocatur hinc affectus germ. ein ſpaniſcher Kragen.

2. Quando recens eſt malum, facile poteſt profligari; quo diutius autem durat, eo certius periculum imminet ſucceſſuræ gangrænæ. Unde preſſo pede ſphacelus ſuccedit, & membri amputatio requiritur.

3. Quando a nativitate pars hæc male formata eſt, medicamenta non ſolum ſine effectu admoventur, ſed & operatio chirurgica, quæ tres vel quatuor inciſiones facit, præputium difficulter ita extendet, ut glandem tegere poſſit. Nihilo tamen minus certiores per amicum facti ſumus, quod paraphimoſis tam naturalis, quam præternaturalis feliciter ſublata fuerit quando tres inciſiones, unam ſuperius & duas ad latera feciſſet, & tum fotus emollientes, reſolventes & partim anodynos adhibuiſſet.

4. Paraphimoſis autem præternaturalis ſequente modo tractatur.

1) Ad tumorem inflammatorium reſolvendum & diſcutiendum adhibentur fotus calidi, e talibus ſpeciebus parati, quas tabula de tumoribus inflammatoriis nominavimus.

2) Quoties ſacculi de novo applicantur, toties Chirurgus malum ſuperandum tentat, dum præputium digitis protrahit, pollicibus autem glandem violentia quadam reprimit, non attendendo dolores, quos æger ſub hoc tentamine perſentiſcit.

3) Ad affluxum avertendum *diſcutientia camphorata*, non proxime, ſed *eminus* applicantur, & faſcia, quæ *ſuſpenſorium penis* audit, adhibetur.

4) Imminente periculoſo affluxu venæ ſectio in pene quodammodo largior inſtituitur, & quando membrum flacceſcit, præputium mox protrahitur, & vena deinde ligatur.

5) Nonnulli loco ſacculorum diſcutientium & humectantium genitalia aquæ frigidæ raptim quaſi immergunt, ut penis flacceſcat, deinde oleo quodam glandem lubricant, & ſic præputii protractionem tentant.

TABULA CI.

DE OPERATIONIBUS IN GENITALIBUS FOEMINARUM.

I. *CONCRETIO PUDENDI ET VAGINÆ.*

De clauſuris hiſce per ſectionem aperiendis diximus jam tabula LXXVII. *de partium clauſarum apertione.*

II. *EXCRESCENTIÆ IN VAGINA.*

1. Harum excreſcentiarum frequens fit mentio apud auctores, & non raro in tantam molem excreſcunt, ut e vagina longius, imo nonnunquam ad genua uſque propendeant.
2. Exſtirpantur vel deligatione, vel ſectione, vel corroſione; de quibus operationibus circumſpecte inſtituendis legantur, quæ ſuperius de excreſcentiis paſſim dicta ſunt a tabula XXX ad XXXVI.
3. Quando radix profundius hæret, tunc excreſcentiam polypi inſtar tractandam, & forcipe detorquendam nonnulli commendant. Sed quis hic non ominatur difficultatem.
4. Quod carnoſæ hæ excreſcentiæ cum uteri prolapſu confundi non debeant, monuimus jam tabula XXVII.

III. *UTERI PROCIDENTIA.*

De procidentia uteri reponenda & tractanda actum jam eſt tabula XXVII.

IV. *INJECTIONES IN UTERUM.*

1. De hac re nonnulla diximus tabula LXXIV, qua de injectionibus, ſpeciatim eriam de *inſtrumento Glauberiano* actum eſt.
2. Hoc loco cautelam adhuc adjicimus, ne carcinomata vaginæ aut ipſius uteri per *acres injectiones* tractentur.

V. *CLITORIS ET NYMPHÆ NIMIS MAGNÆ.*

1. Hæ partes quando in nimiam vel ſtupendam plane molem excreſcunt, id, quod excedit, auferendum ab auctoribus commendatur.

2. *Nympha* quidem per ſolam *ſectionem* & ſubjunctam hæmorrhagiæ decentem tractationem, *clitoris* autem vel per *deligationem*, vel ſecundum *Arabes* & *Ægyptios*, quibus hoc malum commune eſſe dicitur, per *ſectionem*.
3. Reliquas operationes, quæ in genitalibus fœminarum occurrunt, ſequente tabula indicabimus.

TABULA CII.

DE

DYSTOCIA

ET

EMBRYULCIA.

I. DEFINITIO.

Dyſtocia eſt difficilis fœtus excluſio, modo a vitio matris, modo embryonis, modo imperitæ obſtetricis dependens. Derivatur a δυς, difficile & τίκτω, pario.

Embryulcia eſt fœtus ex utero materno extractio, manibus utplurimum, rarius inſtrumentis, in hunc finem fabrefactis, inſtituta. Derivatur ab ἔμβρυον, fœtus, & ἕλκω, traho.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Embryulcia* ſumitur
   1) Vel *ſenſu latiore*, & tum complectitur omnes illas manuales operationes, quas partus difficilis expoſcit, ſive *vivus*, ſive *mortuus* ſit fœtus.
   2) Vel *ſenſu ſtrictiore*, & ſic comprehendit ſolius *mortui* fœtus extractionem.
2. Embryulcia *latiore* ſenſu ſumta, ſeu fœtus vivi ad exitum promotio eſt vulgo obſtetricum, unde vulgo die Hebammen Kunſt appellatur, quamquam non in omnibus regionibus. In *Anglia* enim, *Batavia* & *Gallia* ſunt, qui maximam praxeos ſuæ partem huic negotio impendunt.

3. Et ſane medicus harum rerum accuratam debet habere ſcientiam. Sæpius enim contingit, ut parturientibus conſilio ſuo ſuccurrere debeat; inprimis dum imperitæ obſtetrices, quarum in magnis etiam civitatibus multæ ſunt, opus habent, ut, quid in gravioribus circumſtantiis agendum ſit, ipſis inculcetur.

4. Non minus a *Chirurgo* hæc notitia requiritur. Licet enim in extremis tantum anguſtiis in auxilium vocari ſoleat, non nocebit tamen, ſi ipſius partus rationes & difficultates quaſi communes perſpectas habeat. Itaque hoc loco præcipuas hujus negotii circumſtantias attingemus.

III. *SIGNA ET CAUSÆ.*

1. Signa & cauſas *partus difficilis* exhibuimus tabula medica CXIII. de affectibus parientium.

2. *Fœtus mortui* ſigna & cauſæ legantur tabula medica CXII, qua de affectibus gravidarum mentionem fecimus.

IV. *PROGNOSIS.*

1. *Dyſtociæ* ſeu *embryulciæ late ſumtæ.*

1) Licet omnis *ſitus*, qui *præter naturam* eſt, dyſtociam inferre poſſit periculoſam, unus tamen præ altero majus periculum minatur.

2) Tolerabiliſſimus præternaturalis ſitus eſt, quando infans *pedibus* primum naſcitur.

3) Huic ſuccedit, quando *nates* primum prodeunt, quo caſu infantes ſub ipſo partu non raro moriuntur.

4) Periculoſiſſimus habetur ille ſitus, quo *manus* præcedit. Hujus enim immutatio laborioſiſſima eſt.

5) Reliqui ſitus præternaturales medio quaſi loco ſe habent, generatim tamen de illis notandum, quod dyſtociæ difficultates prius non tollantur, quam ſi mutatus fuerit qualiscunque incongruus ſitus.

6) Vix unquam autem *naturalis* ſitus, quo caput prominet, obtinetur. Hinc pedes infantis quærendos & primum extrahendos omnes auctores unanimi conſenſu commendant.

2. *Embryulciæ ſtrictæ ſumtæ.*

1. Extractio fœtus mortui licet multis periculis ſubjaceat, ex duobus tamen malis minus eligendum eſt. Niſi enim operatio, quæ

omnium fere laborioſiſſima eſt, inſtituatur, vix unquam mater ſervabitur.

2) Quo magis *vires* corporis & animi exhauſti ſunt, eo majus periculum ab operatione metuendum eſt.

3) Quo *diutius* fœtus mortuus retentus fuit, eo periculoſior redditur prognoſis. *Febris* enim *putrida* accedit, & funeſtum plerumque eventum fortitur. Hinc extractio quovis modo acceleranda eſt.

4) Motuum extrema e. g. *convulſiones*, *lipothymiæ*, *lethargus*, *oſcitatio*, *pulſus tremulus* ſtatum deſignant periculoſiſſimum.

5) *Flatus anoterici* & *ſudores* quaſi *oleoſi* quando in matre obſervantur, ab operatione abſtinere commendant auctores.

6) Proſtant paſſim exempla, quod fœtus mortuus per plures interdum menſes ſine corruptione geſtetur, quando ante membranarum rupturam & aquæ effuſionem exſpiravit.

V. *METHODUS.*

1. *Dyſtocia* quomodo medico auxilio ſublevanda ſit, docuimus tabula medica CXIII, qua *molæ* ſimul tractationem adjecimus.

2. *Fœtus mortui* methodum exhibuimus tabula CXII.

3. Reſtat hinc, ut de manualibus operationibus quid dicamus.

4. *Embryulcia* quidem *latiore ſenſu ſumta*, & obſtetricibus quaſi propria, numeroſiſſimas involvit conſiderationes & encheireſes, præcipue ſitus incongrui mutationem. Non eſt hujus loci hac de re fuſius dicere, conſulendi potius ſunt auctores, qui de hac arte ſcripſerunt, e. g. *Deventer*, *Solingen*, *Mauriceau*, *Juſtina Siegemundin*, vulgo Chur-Brandenburgiſche Wehe-Mutter.

5. De *embryulcia* autem *ſtricte* dicta, ſeu fœtus mortui extractione ſequentia notamus.

1) Quando fœtus ante exſpirat, quam partus dolores adſunt, atque ita nulla uteri apertura præſto eſt, ab operatione tam diu abſtinendum, donec ipſa natura motibus excuſſoriis viam monſtret.

2) Quando autem *ſub ipſo partus labore* infans moritur, & *ſitum naturalem* ſervat, probari quidem poteſt, quid circumſpectus pellentium uſus, conjunctis analepticis & clyſteribus ſtimulantibus, valeat, ſi vero hæc non ſufficiant, operatio ſequente modo inſtituitur.

a) Emiſſa

a) Emiſſa urina parturiens vel lecto, vel peculiari ſellæ imponitur.

b) Chirurgus manu dextra, vel, ſi hæc non ſufficiat, ſiniſtra ſimul, caput fœtus apprehendit, & ſic extractionem illius tentat.

c) Quando autem vel aperturæ anguſtia, vel moles capitis, vel alia quæcunque cauſa talem manibus acceſſum denegat, inſtrumenta adhiberi debent.

d) Ordinarie *hamulo* peculiari, quem infantis oculo infigunt, extractionem peragunt.

e) *Mauriceau* cultro bipenni fonticulum capitis aperit, & deinde inſtrumentum illud, quod *tire-tete*, germ. der Kopf-Zieher vocatur, applicat.

f) Nonnulli, neglectis talibus inſtrumentis, ſolis digitis fonticulum rumpunt, cerebrum evacuant, bregmata ſupprimunt, & deinde fœtum modeſte educunt.

3) *Situs præternaturalis* quando adeſt, pedes quærendi, & his productis fœtus extrahendus eſt.

4) Brachium quando prominet, hoc vel reponitur, vel, ſi fieri nequeat, in junctura, facta prius ligamentorum extenſione, caute amputatur. Deinde pedes quæruntur, vel, ſi hoc fieri nequeat, fœtus in fruſta circumſpectiſſime ſecatur, & ita extractio ſucceſſive abſolvitur.

5) Quando fœtus in putrilaginem qualemcunque jam abiit, extractio, quæ pedibus fit, provide inſtituenda eſt, ne caput abruptum in utero relinquatur, & duplicem moleſtiam efficiat.

6) Habuimus caſum, in quo brachium, quod per tres dies exporrectum & in aliqualem jam corruptionem deductum erat, levi tractione a trunco ſolvebatur; deinde *caput*, quod alias raro obtinetur, aperturæ admovebatur, cranium diffringebatur, partes illius, manu concluſæ, ſucceſſive extrahebantur, & denique fœtus apprehenſione integumentorum capitis communium, quæ ſatis tenacia adhuc erant, educebatur.

VI. *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.*

1. Partus naturalis uti ſpaſmis uteri abſolvitur, ita, ſi hi tempeſtive & ſucceſſive energia atque vigore ſufficiente ſuccedant, totum negotium exitum fortitur plerumque ſalutarem.

2. Ingens autem error eſt, quem imperitæ obſtetrices & adſiſtentes fæminæ hac in re committunt, dum parturientes ad niſus præmaturos cohortantur. Hac enim ratione vires non ſolum generatim ante tempus conſumuntur, ſed & energia ſpaſmorum intempeſtiva hac laſſitudine ita enervatur, ut juſto deinde tempore non ſuccedant, adeoque & nihil agant.

3. Hæ circumſtantiæ multum ad partum difficilem re vera contribuunt. Hinc bene conſiderandum commendamus cautelas illas, quas tabula medica CXIII. de hoc negotio exhibuimus, & hic ulterius evolvemus atque illuſtrabimus.

4. Omne animal, dicit *Ariſtoteles*, naſcitur naturaliter in caput, id eſt, capite primum in lucem excluditur. Alius ſitus in brutis non facile obſervatur, in hominibus autem ſitus ille naturalis non raro mutatur, & partui difficili anſam præbet. Caput enim in proportione ad reliqua membra in infantibus maximum eſt, & quando hoc præcedit, reliquo corpori planam viam ſternit, ſin ſecus, offendicula permulta occurrunt.

5. Maxima autem prudentia conſiſtit in moderata, tempeſtiva & ſucceſſiva ſpaſmorum intenſione. Unde cavendum, ſi ſpaſmi exigui & parvi temporis invadant, ne parturiens multum ejulando, tuſſiendo, confabulando, & ſpiritum uno quaſi impetu elidendo, debitam ſpaſmorum continuitatem diſſolvat, ut carptim quaſi, & levibus atque mox evaneſcentibus micationibus ſeſe ſiſtant, vera autem energia ſpaſmorum emaneat, & ſic infans ob ſuffocativas ſanguinis ſtagnationes in vitæ periculum conjiciatur.

6. Ad hæc incommoda evitanda parturiens, quando niſus tales ſpaſtici a natura exercentur, *conniti*, id eſt, ſpontaneo niſu ſubvenire debet, præcipue ſi infans ad exitum jam ſit diſpoſitus, nempe ſi orificium uteri ſit apertum, & infans capite nonnihil promineat.

7. Tota autem methodus, ſpaſmis operam navare, in eo conſiſtit, ut fæminæ parturienti injungatur continentia, quies & tranquillitas, ne ſpaſmos, etiam ſi leves ſint, interpellet loquendo, quiritando, clamando, abdomen varie concutiendo, ſed potius tacitam ſe contineat, ſpiritum retineat, ſine tamen forti niſu, nicht daß ſie wolte drücken helfen, ſondern nur, bis der ſpamſus fort iſt, den Odem an ſich halten.

8. Ju-

8. Juſtus & aptus parturientis ſitus felicem ſucceſſum non mediocriter ſublevat. Optimus eſt, quando fœmina pedes ſuos firmo fulcro apponere, & genubas ſemiflexis, reliquo autem corpore nonnihil ſupinato conniti poteſt.

9. Quando fœtus ad exitum probe diſpoſitus eſt, optime conſulitur parturienti, ſi adſtantes oſſi ſacro, cruribus & genubus manus admoveant, & ita regio pubis paululum elevetur. Hoc autem neglecto, delicatulæ per multas ſæpe hebdomadas quiritant, daß ihnen die Wehen ins Creutz, Schenckel und Knie geſchlagen. Unde debilitas genuum & tremor crurum ſuccedere ſolet.

10. Quando autem ſpaſmi per nimium ejulatum diſſipantur & conſumuntur, vertiginem & cephalalgiam parturientes incurrunt. Vulgo pronunciant, die Wehen ſeyen über ſich gezogen, und ihnen in den Kopf geſchlagen.

11. Imo non raro contingit, ut, ſi fœtus dimidio vel toto etiam capite jam excluſus ſit, fœmina autem ejulatu vel ſitus mutatione excluſionem totalem impediat, *jugulares* premantur, regreſſus ſanguinis impediatur, extravaſatio lymphæ oriatur, & ſic *hydrocephalus* inducatur.

12. Non minus malæ dolorum adminiſtrationi ſæpius tribuenda eſt *diſtorſio bregmatum*, daß die Kinder geſchobene Köpffe bekommen; id quod facile cavetur, quando parturiens æqualem ſpaſmorum niſum admittit & tolerat. Obſtetrices corrigere hoc vitium per lenes capitis preſſiones allaborant.

13. Excluſum fœtum ſequuntur *ſecundinæ*, quibus infans adhuc adhæret. Quomodo autem promovendæ ſint, ſi diutius retineantur, docuimus tabula medica CXIII.

14. Quando ſecundinæ excluſæ ſunt, obſtetrix *umbilicum* filo ſericeo quadruplicato bis ligat, ita quidem, ut illa ligatura, quæ abdomini proxima eſt, diſtantiam craſſioris pollicis, vel latitudinem duorum digitorum referat, Ante autem, quam hæc ligatura inſtituitur, ſanguis levi preſſione verſus abdomen dirigendus eſt. Tandem funiculus reſecatur. Hac ratione hebdomadæ ſpatio portio illa, quæ

intra ligaturas reſtitat, decidit, & altera remanens portio coaleſcit. Reliqua ſatis nota prætermittimus.

15. Quod ad extractionem *fœtus mortui* attinet, notandum eſt, vires parturientis, niſi animo & corpore admodum robuſta ſit, mox poſt infantis mortem fatiſcere, vel quod ad minimum circa uterum ita labefiant, ut motus ſpaſtici propter abhorreſcentiam quandam circa hunc locum rite non adminiſtrentur. Præterea delicatiores & meticuloſæ horripilatione & fremebundo magis quam concuſſorio frigore corripiuntur, & regio ſupra pubem refrigeſcit. Hic motuum & conatuum ad excuſſionem defectus in cauſa eſt, quo minus infans mortuus excludatur, ſed per manualem utplurimum operam extrahendus ſit.

16. Quando fœtus mortuus, *capite antrorſum* poſitus, hamulo extrahendus eſt, ipſa ratio dictitat, quæ modeſtia & circumſpectio adhibenda ſit, ne unci, ob fœtus mollitiem, erumpant, abſchnappen oder ausreiſſen, & uterum vel illius vaginam lacerent. Hinc inſtrumenta extra neceſſitatis caſum non debent adhiberi.

17. Multa quidem dicuntur & ſcribuntur de *ſitus præternaturalis mutatione*, neque etiam res ipſa veritate deſtituta eſt, ſed tam facilis & felix eventus, quem multi ſibi fingunt, rarius reperitur. Uterus enim ſpaſmis ita contractus eſt, ut totis palmis in illam irrumpere & fœtum invertere non concedatur, ſed aliquando vix duobus digitis aditus pateat, qui ad cultelli directionem & cadaveris diſſectionem nonnumquam requiruntur.

18. Unde *facultas medica Lipſienſis* hominis cujusdam imprudentiam taxat, qui, ſecto cadavere & invento infantis ſitu implicato, culpam in obſtetricem, quod fœtum aliter non locaverit, conjecerat. Reſcriptum hoc legi poteſt in *Ammanni medicina critica*.

19. Itaque quando ſitus adeo perverſus eſt, ut nullo modo ad commodum exitum diſponi & converti queat, tunc particulatim & per fruſta exſcindendus & eximendus eſt fœtus; ad quam tamen operationem ſufferendam ſæpius diſpar eſt animi atque corporis robur parturientium.

20. Ad-

20. Adhibendus est cultellus recurvus & uncinatus, dessen Spitze einwarts gebogen und obtus seyn soll. Judicio sane sed & discretione hic opus est, ne loco fœtus uterus dissecetur, aut ad minimum vulneretur. Ipsæ obstetrices, licet cultello non tangant uterum, improvida tamen & vix unquam necessaria cum digitis exploratione sæpe matricem lædunt, & mortem parturientis accelerant.

21. Quo paucioribus partibus sectio & extractio potest absolvi, eo melius res se habet, quando resectis quibusdam partibus moles fœtus minor facta est, situs incommodus faciliore negotio potest inverti, & sic, quod reliquum est, sine ulteriori sectione educi.

22. De *secundinarum extractione* cautela adhuc adjicienda est, ne impetuose tentetur, alias funiculus umbilicalis a placenta abripitur, & difficillimam operationem producit. Uterus enim excluso fœtu rugosus & contractus evadit, atque ita eamdem fere cum placenta superficiem tactui offert. Hinc, nisi operator exquisitissimum judicium de tactus sensu formare possit, gravis error facile committitur.

23. Quando secundinæ extrahi non possunt, putrescunt, & delicatiores febre putrida plerumque moriuntur; robustiores autem nonnunquam liberantur. Sic fœmina quædam robusta fœtum, qui septimo mense moriebatur, per quinque annos retinuit, quo tempore elapso primum corruptæ carneæ & deinde osseæ partes successive eliminatæ sunt.

24. Ultimo loco de *ruptura perinæi*, quæ sub partu difficili aliquando contingit, dicendum, quod prudentem tractationem exposcat. Levior quando est, emplastris glutinantibus partes uniuntur; major autem efflagitat *futuram*.

TABULA CIII.

DE

OPERATIONIBUS

IN

ARTUBUS.

I. *CONCRETIO DIGITORUM.*

1. Concretio digitorum in manibus & pedibus vel a nativitate vel a neglecta vulneratione & ambustione harum partium provenit.
2. Symphysis digitorum, quæ est a nativitate, talem nonnunquam membranam exhibet, quam in pedibus anserinis observamus.
3. Hoc casu operatio facillima est, quando enim membrana, quæ intercedit, forfice exscinditur, omnis difficultas sublata est.
4. Quando autem digiti sine tali membrana arctius concreti sunt, circumspectio adhibenda, ut incisio, quæ cultello subtili peragitur, medio in loco & secundum lineam rectam fiat.
5. Facta separatione vulnus, ut moris est, tractatur, & nova symphysis per interjectam fasciam impeditur. Conferantur quæ tabula LXIII. de fracturis digitorum diximus.

II. *DIGITI SUPERFLUI.* Vide tabulam LXXXI.

III. *PARONYCHIA.* Vide tabulam XVII.

IV. *VARICES.* Vide tabulam XIV.

V. *ANEURYSMA.* Vide tabulam XIII.

VI. *UNGUIUM VITIA.* Vide tabulam XXXVI.

VII. *CLAVI PEDUM.* vid. tab. XXXVI.

VIII. *GANGLION.* Vide tabulam XXIV.

IX. *SUTURA TENDINUM.* Vide tabulam LXXXII.

X. *PEDES INCURVATI.*

1. Incurvatio hæc modo in *tibiis* observatur, modo in *pedibus* stricte dictis occurit, ita ut vel introrsum, vel extrorsum tendant. Pedes extrorsum distorti vocantur *valgi*, introrsum autem *vari*.
2. Est hoc vitium vel a nativitate, vel ab ambulationis exercitio præmaturo. Sæpius etiam cum *morbo* sic dicto *Anglicano* cor[illegible]rat.

3. Ni-

Unable to display this page

INDEX RERUM.

A.

Abſcessus Pag. 65
calidus & frigidus 66
ejus apertio 519
ultra tempus non protrahenda 69
aperiendi quinam? 71. 521
- quomodo? 71. 519. 520
inciſio & apertio quando neceſſaria 70. 71. 520
maturatio qua enchireſi exploranda 67
- perfecta ubi non exſpectanda 521
ſuppuratio quo die ſuccedat 67
- copioſior non ſimultanee ſed ſucceſſive educenda 72
materia peculiari folliculo incluſa quomodo educenda 521
in ulcus converti poteſt 244
partium internarum lethalis 69
Abſorbentia citrata ardorem & dolorem in vulneribus contemperant 330
Ablactatio tumoribus mammarum ſæpe anſam præbet 156
Abſorbentium inſperſio cancrum mammarum pejorem reddit 315
316
Acanthium ſeu onopordon in cancro ulcerato commendatur 311. 316
Acetum partim reſolvit, partim roborat 169. 170
lixiviis ſulphuratis inſtillatum quid efficiat 168
roſarum efficax in ſugillationibus 131
ad deliquium animi 601
quomodo ex ſpirituoſo fermenteſcente fiat potu 95
Achores 263. 264
retropulſa ulcera inſequentes 156
retropulſio eorum familiaris quam maxime cavenda 157. 264
maligni interdum remedia eludunt 264
ſerpiginoſum quid fovent ibid.
quomodo tractandi 265
cum phthiriaſi 205
Acida non agunt in partes emortuas ſed vivas 95
hæmorrhagiam ſiſtunt coagulando

do 380
Aciditatem volatilem recentiores in sphacelo statuunt 92
Acidulæ prosunt in contracturis & ariduris 240
Acupunctura Chinensium & Iaponensium 490
Acus variæ magnitudinis 12. sqq.
Acrimonia salina ex miscela pauciſſimi sanguinis cum sero & lympha 315
Adrianson excogitavit instrumentum ad ptosin 588
Adstringentia nocent in hæmorrhagiis excrescentiarum fungosarum 384
præcipue in inflammatione ab internis causis 61
scirrhos inducunt 139
in metu sphaceli eminus adhiberi solent 97
saturnina ulceribus maximam anomaliam inducunt 253
in ambustionibus tarde non sunt adhibenda 103
in oedematibus non conveniunt 168
in procidentia uteri circumspecte adhibenda 179
in procidentia ani ab hæmorrhoidalibus molimínibus damnum inferunt 182
damnantur in contractura & aridura 241
loco discussionis repellunt 22
notissima 381
eorum usus in hæmorrhagiis circumspectus esse debet 384
Adstringentes pulveres in achoribus non simpliciter applicandi 266
Adstrictio vias respicit 381
Ader-Verstauchung quid sit 434
Aegilops 273
unde denominetur 279
quomodo curari debeat ibid.
Aegynetæ consilium in anevrysmate rejicitur 114
Aër num vulneri tantopere noceat 330. 337
frigidus ab ossibus denudatis excludendus 324. 325
Aerugo aufert callum 257
in sphacelo commendatur 94
Aes ustum est septicum 252
aufert callum 257
ossa reddit carioſa 271
viride ad clavos pedum laudatur 234
Aethiops mineralis laudatur a quibusdam in parotidibus 147
& in resolvendis scirrhis 143
Affluxus cohibitio 71
discussio dextre instituenda 547
in inflammationibus rejicitur 61
Afri quidam exanthemata ligno candente adurunt 542
Agrimonia recens in sugillationibus laudatur 131
Agricola globulum plumbeum e cervo exsectum laudat in parotidi-

dibus 147
Albini acus ad cataractæ depositionem 601
Album græcum laudatur in gargarismatibus ad temperandum 519
specifice solet laudari ad synoviam 391
Alchimilla motum sanguinis auget 247
Albugo 588
Alexipharmaca quando & quomodo in tumoribus inflammatoriis adhibenda 64
calida impetum inflammatorium augent 89
Alvi fluxus parotidi superveniens 65
salutaris 146
Alumen ustum est septicum saccharo paululum efficacius 333
magma aluminosum valde stipticum describitur 380
Amara sunt vermium venena 314
Amaurosis quid sit 594
eludit omnem operationem 600
Ambe Hippocratica 12
Ambustiones 98
sunt vel siccæ vel humidæ ibid.
differunt ratione graduum ibid.
notabiles in nonum diem crescunt 99
tendunt successive in gangrænam & sphacelum ibid.
nervorum & tendinum contracturam & ariduram inducere solent 99
non facile curam admittunt in scorbuticis & cacochymicis 99
Ambustiones circa articulationes & ligamenta quomodo tractandæ 102
oculorum leviſſimæ cæcitatem inducere possunt 99
quomodo curandæ 102
earum vesicæ quando aperiendæ 103
vniuersales non sunt vilipendendæ 104
Ameiß-Hauffen quid sit 229
Amma 13
Ammanni medicina critica allegatur de embryulcia 658
Amputatio partium corruptarum & superfluarum 549
cubiti seu brachii inferioris 553
femoris 556
- omnium periculosissima ibid.
digitorum in manibus & pedibus 552
mammæ cancrosæ 556.625
manus 552
ossis humeri seu brachii superioris 555
- pedis ibid.
- tibiæ 556
Amputationis partium causæ 549.
550
- locus 551
- instrumenta 550
- modus ib. 551
- cautelæ 556. sqq.
Amuletica minus locum habent in gravibus hæmorrhagiis passivis 389
sunt

ſunt remedia incerta 212
ad verrucas 231
primario a cauſa morali dependent 220
Amygdalæ amaræ in brutis non æque in hominibus deleterium habent effectum 207
Analeptica in ſphacelo ſe commendant 97
Anchilops 773
cum fiſtula lacrymali interdum conjunctus eſt ib.
Anchyloſis excipit nonnunquam luxationem manus 465
quomodo tractanda ſit 414
eſt plernmque incurabilis 414
Anelli methodus fiſtulæ lacrymalis curandæ 276
Anevriſma 108
duplex eſt ib.
ſpurium unde dependeat 110
- celeriter abit in ſphacelum 110
- a varice ſpurio diſcernendum 116
verum unde dependeat 109
- operationem reddit omnium difficillimam 110
non tolerat ſuppurationem 112
internum artis auxilium reſpuit 111
in vaſis majoribus maximum periculum adfert 110
colli Barbette nunquam curatum vidit 111
per errorem non eſt aperiendum 116
ejus operatio 111. 112
- varii operationis modi 114. 115
Angliæ reges contactu ſtrumas curare poſſe refertur 212
Ani clauſura 522
unde dignoſcatur 523
quando utiliter ſecetur 531
fiſtula 280. 647
imperforatio quomodo aperienda 526. 528
procidentia 180. 646
- eſt tantum partialis 180
- obſervatio circa illam ib.
- diſtinguenda a protuberantiis hæmorrhoidum cœcarum ib.
- curatur repoſitione & retentione 181
- a moliminibus hæmorrhoidalibus producta non tolerat adſtringentia 182
Animi pathemata ſtaſin lactis inducunt & fovent ib.
-per V. S. non curantur 486
Animalia viva diſſecta adhiberi ſolent ad auferendam debilitatem 412
Ankyloblepharon 522. 525. 584
Annuli 191. 208
Annulus æneus 13
uterinus 14
Anthrax 81
Antimonii butyrum in carbunculo Sylvius præcipue laudat 84
in ſphacelo commendatur 94. 95
fictæ aciditati volatili opponitur 92
non agit in partes emortuas ſed vi-

vivas 95
Antitragi cauterisatio 607
Antivenerea decocta segnius agunt quam remedia mercutialia 294
Apertio partium præter naturam clausarum 522
Aphthæ quomodo tractandæ sint 514
Apophlegmatizantia in hydrocephalo commendantur 174
Aposkeparnismos 339
Appropinquatio 340
Apostasis duplici sensu ab Hippocrate sumitur 65
κατ' ἀπόθεσιν quid sit 66
κατ' ἔκκρισιν quid sit 65
quomodo differat a rhevmatismo 73
febriles apostases 65. 73. 74. 145. 148
chirurgis non sunt committendæ 9
Ἀπόστημα 65
Apostematis signa 56. 66. 67
maturatio quomodo exploranda 67
ejus ruptio quomodo promovenda 70
causæ 67
Apostema suppuratorium quomodo differat a putredinoso 66
tribus modis aperiri solet 519
quomodo differat a furunculo 75
Aqua calcis vivæ ut lene tonicum in gangræna laudatur 88
in sphacelo commendatur 94
carnem nervos & juncturas contrahit 103
in hydrocephalo ab Hildano commendatur 174
oleosis temperanda in ambustionibus 103
nocet in inflammationibus 62
cinnamomi omnibus analepticis in sphacelo præferenda 97
florum omnium nocet in inflammationibus 62
gryssea describitur 391
Hungarica laudatur in procidentia uteri 178
muriatica in gangræna laudatur 88
e pomis putrefactis laudatur ad ulcera scorbutica 288
salsa ulcus eluere non absurdum est 254
stercoris humani in cancro ulcerato laudatur a Weickhardo 311
sale armoniaco saturata ad verrucas commendatur 231
Arcanum corallinum paulo vehementius est quam mercurius præcipitatus ruber 253
Arcus ex ossibus ceti ad deligationem excrescentiarum paratur 221
Aridura 283
magis externa remedia exposcit 239
per ligaturam non accipit nutrimentum 241
Arnicæ decoctum laudatur in contusionibus 370
Arsenicum in cancro non adhibendum 313. 314
ad carnem fungosam non appli-

candum 217
nocet in ulceribus 253
Arteria leviter læsa sistitur diuturna compressione 383. 842
grandiuscule læsa quo remedio tractanda 383
incisa quibus casibus plane dissecanda 337
dissectio ejus præfertur incisioni 473
ut post partem amputatam ligetur, facilius dicitur quam efficitur 96
ejus sectionem in deliriis chonicis commendant 473
brachialis vel cruralis sclopeto læsa exposcit amputationem 373
ejus hæmorrhagia difficulter sistitur 379
Arteriotomia 472
dextrum exposcit artificium 473
minus hodie in usu est ib.
quid in apoplexia & epilepsia efficiat ib.
difficilior est quam venæ sectio ib.
Ascarides ani procidentiam causari possunt 181
Atheroma 158
Atramentum in ambustionibus commendatur 101. 103
in gangræna peculiariter non commendatur 89
Attractiva remedia in furunculo improbantur 79
Attrahentia quadruplicia commendantur ad contracturam & ariduram 240. 241
horum abusus nocet 241
Auditorii meatus occlusio vnde dignoscenda 523. 525. 527
Auripigmentum in ulceribus cancrosis non adhibendum 313

B.

Baccæ Levanticæ seu Cocculi 265
Baculus e manibus mendici ereptus gangliis destinatus 166
Bäuschlein 48
Balneator qui veneno homines interfecit 492
Balsamica quid ad consolidationem conferant 73
stupendam consolidandi virtutem non habent 335
in abscessibus apertis non sunt adhibenda 72. 311
Balsamus de Copaiva est cicatrizans 73
læsiones exsangues consolidat 253
Peruvianus est cicatrizans 73
læsiones exsangues consolidat 253
vitello ovorum distemperatur 255. 336
Peruvianus & Copaivæ num præ succino, myrrha & terebinthina prærogativam habeant 336
Sulphuris in pernionibus cedit oleo colophon, 107
Bandage 25
Barbette emplastrum saponatum 142
congestionem stagnatoriam blan-

pura camphorata ſolam ſanguineam portionem diſcutiunt 63. 130. 254. 259
in levi inflammatione ſola exhiberi poteſt 60
in affluxu maiori cum ſubadſtringentibus 59
laudatur in cancro 313
qua cautela applicanda ſit in inflammationibus 63. 254
optima applicandi methodus ib. 312
cum paregoricis mitigat dolores in fracturis 411
in ſenſibilibus ſubjectis motus exaſperat 63
commendatur in ambuſtionibus 103
juvat emplaſtrorum tractabilitatem 49
ejus ſpiritus crocatus quid efficiat 63
Camphorata in carbunculo locum non habent 84
Canalis longus 13
Cancer 298
quomodo differat a ſphacelo 90
vnde denominationem ſumſerit 299
eſt corruptio ſeroſo-lymphalis 90 299
concurrente ſanguine auctiore & ſpiſſo 244
duplicem habet corruptionem, putrefacientem & rodentem 303
ejus corruptio ſalſo - acetoſa lintea rodit 315
ſuos habet corruptionis gradus 299
quomodo differat a carcinomate ibid.
ejus indoles non eſt perſpecta 310
verus differt ab ulceribus corruptis cancroideis 299
- ulceribus mammarum inveteratis 300
illius falſa ætiologia 304. 305
per multos annos tranquille ſubſiſtere poteſt 305
num vivat & vermibus refertus ſit 314
carnibus cancrum ſaturare velle, ridicula eſt intentio 314
cur in renibus non inveniatur 306
num curationem admittat 307
contagioſus eſt, non tamen præpotenter 308
apertus ſeu ulceratus 299
- quando altas radices accepit, vix ſuperatur 306
- quibus remediis tractandus 309. 311
occultus eſt ſcirrhus ſanguineus 132 298
- rarus affectus 134
- ejus dolores per longum tempus interdum quieſcunt 300
- an intactus relinquendus ſit 308
- multa in illo commendantur remedia 310
- ancipitis eſt eventus 305

Cancer occultus
- non eſt maturandus 310
medicamenta interna illum exacerbarunt ib.
huius exſciſſio 307
eſt ancipitis eventus 308
labiorum quomodo exſcindendus 608
linguæ 615
- quomodo tractandus 616
mammarum 299. 305
- omnium peſſimus 306
- ejus exſtirpatio 310. 317
- ſi chirurgice exſtirpetur duplex periculum involvit 307
ab inſperſione abſorbentium pejor redditur 315
uteri raro occurrit, & male communiter cedit 317
- remedium cancri efficax 312
- qua enchireſi adhibita toleret ſpiritum vini camphoratum 312
- remedia cancri interna 310
- ejus ſympatheticum remedium ineptum 314
Canis vivus diſſectus laudatur ad contracturam & ariduram 240
Cannulæ 13
argenteæ vel plumbeæ loco turundarum adhibentur 53
Cantharides pondere ſunt proſcribendæ 510
num omnes earum partes effectum veſicatorium præſtent 509
quibus particulis agant, lis eſt 510
cum emplaſtro applicatæ enchireſin poſtulant 510
non applicandæ iis, qui eroſione viarum urinariarum laborant 510
Carbunculus benignus & malignus 81
unde carbonis nomen acceperit 82
eſt gangræna particularis 82. 86
quibus cauſis producatur ibid.
malignus quomodo differat a furunculo 81
non ſemper a puſtula initium ſumit 82
brevi tempore creſcit ib.
citra peſtem vix unquam tranſit in pus laudabile 83
peſtilens immediate ad ſphacelum tendit 82. 83
actu ſphacelatus actualem uſtionem requirit 93
cum cauda exitialis cenſetur 83
nigricans peſſimus eſt ib.
peſtilens, de eo Scultetus obſervationem habet digniſſimam 85
retrocedens peſſimi præſagii 83
ejus cura 84
plebis dicterium circa carbunculum 83
Carcinoma quo modo differat a cancro 299
Cardilucius ſpiritum vini laudat in cataracta 604
Caricæ pingues maturationem promovent 70
Caries potiſſimum inducitur per frequentem uſum emulſivorum nucleorum 320

qua-

Caries
quatuor habet gradus 318
abſcondita quomodo dignoſcenda 297.319.324
nonnunquam in ulcus erumpit diſſito loco 323
dentium num ſacchari abuſui adſcribenda ſit 320
- quomodo tractanda ſit 322
- eſt fere incurabilis 321
oſſium 250. 318. 519
- idiopathica, ſymptomatica 318
- differt gradibus ib.
- non quidem præceps tamen ſonticum eſt malum 320
ſcorbutica quomodo tractanda 325
venerea quomodo dignoſcenda 319
- citius ſe diffundit quam ſimplex 320
- quomodo tractanda ſit 324
Caro fungoſa ſepticis arſenicalibus non eſt exſtirpanda 333
luxurians 227. 251. 334
- eſt concrementum fungoſo-fibroſum 209. 215
- unde proveniat 73. 334
- quomodo differat a fungoſis excreſcentiis 215. 227
- non in parte impura ſed pura provenit 227
- quomodo tractanda ſit 228
- per aperturam cranii proceſcens quomodo impedienda 583
Carpey-Bäuſchlein, Welgern 51
Cataphractæ pectorales 926
Cataplasma Muſitani in carbunculo peſtilente 85
Cataplaſmata in ſcirrhis non lacte ſed vino paranda ſunt 141. 143
ad contuſiones quomodo paranda 413
Cataracta 945
hujus cauſa habebatur olim pellicula in humore aqueo genita 597
hodie habetur opacitas humoris cryſtallini 597
prognoſis 598
ſigna 596. 597
quomodo differat a glaucomate & amauroſi 594
habet differentias plures 595. 596
feneſtrata rarius curatur 599
fixa & mobilis 596
inveterata non niſi operatione curatur 599
matura & immatura 595. 596
ſimplex & complicata ib.
vera & ſpuria ib.
ejus diverſi colores unde dependeant 595
concretio cum iride 597. 598
alba ante ſextum annum non facile matureſcit 599
coerulea tardius fit matura ib.
gryſea intra ſex menſes ſæpe matureſcit ib.

Cataracta
lactea quid sit 595
- dubiæ est operationis ib.
viridis cito matureſcit 599
nonnullæ ad maturitatem non perveniunt 595
incipiens interdum medicamentis profligatur 598. 603
quod exemplo confirmatar ib.
illius depositio Celsi temporibus iam cognita fuit 600
- quomodo instituenda 600. sqq.
- cautelæ hic obseruandæ 603. sqq.
Catarrhus suffocativus a varis repulsis exortus 121
Cathæreticorum abusus ulcera dolose exasperat 213
Cateter 13
curvatus 23
Cateterismus 629
applicatio cateteris 630
Causticorum abusus accusatur 333
noxia in varis 122
minus tuta ad aquam evacuandam in hydrope scroti 202
Cauterisatio 540
quando usu veniat 541
locum habet post abscissionem partis 96. 317
Antitragi 607
prima interdum exposcit secundam 542
Paracelsi ad excrescentias improbatur 221
in fistulis ani non habet locum 283
Cauterium 14
- *actuale* 519. 540
multis modis præferendum est potentiali 541
optime compescit putredinem 95
in bubonibus & anthracibus laudatur a Stahlio 154
in carbunculis sphacelatis locum habet 85
potentiale 519. 540
in umbilico adurendo suspectum est 204
strumis non convenit 214
nocent cauteria in furunculo 80
Celsi assertum de ustione 322
methodus in polypo tractando rejicitur 226
signa fracti cranii 343
Cepæ commendantur in ambustionibus 100
assatæ cum melle commendantur in furunculo 78. item carbunculo 84
ad sphacelum inhibendum adhibitæ 97
in panaritio laudantur 127
Ceratum de ammoniaco conducit in scirrho phlegmonodeo 138
de galbano camphoratum eximiæ est efficaciæ in scirrhis musculosas partes obsidentibus 140
de galbano & ammoniaco laudatur ad clauos pedum 234
de mumia egregie demulcet spasmos fibrillarum 390

ſantalinum laudatur in ſtrumis 211
Cerebri læſio quomodo tractanda 583
Cerumen aurium nervi punctura opponitur 482
ſpecifice ſolet laudari ad ſynoviam 391
Ceruſſa leniter ſtringendo diſcutit 140
Chelidonii ſuccus non arrodit verrucas; ſed peripheriam mollem 229. 230
laudatur in vulneribus mundificandis 328
Chirurgi quas læſiones in ſe ſuſcipere debeant 8. 9.
in quibus medici auxilium implorare teneantur 2. 8. 9
quid ad reſtitutionem conferant 73
frequentius ex ignorantia quam malitia reſtaurationem protrahunt 9
ſonticos affectus ordinarie reddunt deteriores 8
Chirurgia 1-7
non eſt nuda empiria 7
infuſoria quo modo differat a transfuſoria 493
exolevit 516
inſtrumentalis 1. 6
medica 1. 6. 9
inſtrumentali frequentius ſuccurrit, quam hæc illi 7
quænam involvat ib.
differt a therapia medica 2
ætiologia ejus affectuum eſt res profundæ conſiderationis 2. ſeq.
unde chirurgi eam ſibi vindicent 8
Chirurgorum librorum magnus apparatus defectum artis non compenſat 8.
Cicatrix æqualis quo modo obtinenda 329
Cicatrizantia quænam ſint 73
Cinnamomi aqua omnibus analepticis in ſphacelo præferenda 97
oleum laudatur in gangræna 88
- in ſphacelo 97.
Circulus uterinus 14
Cirſocele 184. 189. 203
Claudinus corticem nucis moſchatæ tenuem cataractæ opponit 604
Claui pedum 232
quomodo differant a verrucis & callo 232. 233
cum verrucis multum conveniunt 209. 232
quæ ratio cur in pedibus exoriantur 233
arthritidem tandem inducere poſſunt ibid.
in digitorum articulationibus blandam expoſcunt tractationem 234
horum exſciſſio improvida vel cauteriſatio eſt noxia 233. 234
Climatum conditio in curandis læſionibus 345
Clitoris ſtupendam molem habens quo modo tractari debeat 651

Clyſter 14
Clyſteres 511
ſunt vel purgantes, vel alterantes, vel nutrientes ib.
eorum uſus magnus eſt 511
ad mitigandos varicum dolores commendantur 119
quomodo præparandi ſint 512
eorum inſtrumenta diverſa 513
- quantitas 513
- temperies 513
frigidi in dyſenteria nullo modo probantur 513
injecti paululum ſunt retinendi 515
cautelæ circa hos in herniarum incarceratione 207. 208
uterini varios habent reſpectus 512
- horum inſtrumenta 514
Clyſtier-Pfeiffe 23
Cocculi ſeu baccæ Levanticæ 265
Cochlea 14
Cochlearia ib.
Colli incurvati reſtitutio 624
Colliſio 338. 340
Collyria variorum auctorum allegantur 605
poſt cataractæ depoſitionem adhibendum collyrium 601
Colophonii oleum efficacius eſt in pernionibus quam balſamus ſulphuris 107
Compreſſen 48
Compreſſio per monile plumbeum laudatur in ſtrumis 214
Compunctiones 516
Concretio digitorum 703
pudendi muliebris 651
vaginæ ib.
Conductor 14
Conformatio in fracturis quomodo inſtituenda ſit 409
Conſolidantia variant pro diuerſitate partium 253
Conſolidatio eſt opus ſolius naturæ 73. 332. 334. 335. 411
læſionum non tam ex malitia quam ignorantia chirurgorum impeditur 335
Contractura 238
ejus definitio ib.
vulgaris contracturæ pathologia 239
ab aridura quomodo differat 238
totalis & partialis ib.
magis interna remedia expoſcit 239
non tolerat calida & volatilia 241
Contraſiſſura quid ſit 339
a nonnullis auctoribus negatur 340
ejus ſigna 344
quomodo tractanda 348
cranii, ejus prognoſis 344. 396
Contuſio 368
compoſita 369
levis pertinet ad ſugillationes 368
cranii 338
- quomodo tractanda 346. 347
ſclopetaria quomodo tractanda 371
Corporis præparatio ſecuudum antiquos dexterrime commenda-

tur 140. 141
Corrosiva omnia ossibus nocent 296
non agunt in partes emortuas sed vivas 95
in sphacelo segnius agunt ib.
excrescentiis fungosis non temere adhibenda 217. 222
suspecta sunt in tumoribus tunicatis 160
damnantur in cancro 314
Corrosivum Sutorianum approbatur 333. 540
Corruptio fermentativa quid sit 78
putredinosa a salsa inhibetur 306
Corruptiones putredinosæ & suppuratoriæ differentia 89
vera materia quænam sit 78
Corruptionis humorum diversæ sunt indolis 3. 4
Cortex granatorum laudatur in procidentia uteri 178
ligni Fraxini hæmorrhagias sistit 502
Nucis moschatæ tenuis a Claudino - cataractæ opponitur 604
Sambuci viridis & folia recenter concerpta laudantur in vulneribus venenatis 375
Crepitus lapi hæmorrhagiam sistit obturando 379
rejicitur post suctionem hirudinum 502
Crinale instrumentum 15
Crocus martis adstringens desiccando consolidat 313
hæmorrhagiis sistendis solus non adhibendus 385
metallorum in hæmorrhagiis vulnerum cautissime adhibendus ibid.
- Rulandi cum cautela usurpandus 253
Crollii emplastrum stypticum est cicatrizans 73
- consolidationem promovet 329
lapis medicamentosus exsiccantem & reprimentem habet effectum 122
- laudatur in herpete simplici 124
- num quid præstet in phlegmone 64
Crusta lactea quid sit 264
Cucurbita 15
Cucurbitulæ cæcæ 240
Cucurbitularum numerus 493
Culter ad partes amputandas igne candeat non opus est 96
Cultri 15
Cura sympathetica per cancrum fluviatilem in cancro est inepta 314

D.

DEcessio 340
Deckeri tuba acoustica 607
Decocta antivenerea 294
- in tumoribus tunicatis præstant salivationi 161
- in hisce radices adversus ulcerosos affectus majorem

rem uſum habent quam ligna 161
lignoſa laudantur in herpete excedente 124
- in carie a cauſa venerea conducunt 324
calcis viuæ in ſuperficiario tantum ſphacelo efficacia 95
vulneraria quomodo paranda 331
- vix neceſſaria ib.
- accuſantur 334
Decubitus humorum quid ſit 3. 4. 56.
Dedolatio quid ſit 339
Deligatio quomodo expedienda ſit 221
utrum in calore an frigore inſtituenda 255
per faſcias longas qualia damna inferat in ulceribus 254
in tumoribus tunicatis raro locum habet 160
in quibus excreſcentiis locum habeat 221. 225
imperita ſphacelum ſæpe inducit 91. 97
juſtæ deligationis in fracturis ſigna 409. 410
interceptoria ad hæmorrhagias vulnerum ſedandas circumſpecte adhibenda eſt 381
Dentes artificiales 612
eorum disjunctio ib.
evulſio 610
molarium extractionem quid impediat 611
gravidis non facile evelluntur ib.
per ſolam cum acubus agitationem cariem incurrunt 324
eorum purificatio 609
Dentiscalpium 16
Depreſſio quid ſit 338
cranii quomodo tractanda 347
Depreſſorium inſtrumentum 16
Diacope quid ſit 339
Diæreſis, qui affectus ad illam referantur 6
Diæta in vulneribus 337
Digiti ſuperflui 552
Dilatatorium oris 16
Dioptron ibid.
Diorthroſis 6
Dioſcorides laudat euphorbium in carie 322
Diſcuſſionis negotium quid ſit, & cui incumbat 79
Diſcutientia quibus rationibus ad ſtrumas commendari poſſint 213
Diſſectio 339
Dislocatio, diſtorſio 433
Diſſoichiaſis 586
Divinatio ex ſanguine poſt venæſectionem utplurimum vana eſt 488
Diuretica proſunt in inflammationibus 64
Dolor in cancro cujus indolis ſit 302
Doloris & ardoris ſuppuratorii genuina cauſa eruitur 68
mitigatio per ſtupefacientia in quibus caſibus locum habeat 144
Dygbæi pulvis ſympatheticus efficaci-

am interdum habet in hæmorrhagiis paſſivis 385
Dyſenteria incongrue ſuppreſſa fiſtulas ani inducere poteſt 282
Dyſtocia 652
ejus prognoſis 653
quomodo medico auxilio ſublevanda ſit 654

E.

Ecchimoſis ſeu ecchymoma 129
unde oriatur 304
ab Hippocrate generaliter ſumitur 129
quomodo tractetur 130
Eccope quid ſit 339
Ecpieſma quid ſit 340
Ectropium 584
Elephanten Auge quid ſit 592
Elevatorium 16
Embryulcia 652
ejus prognoſis 653
ſumitur vel late, vel ſtricte 652
late ſumta vocatur die Hebammen-Kunſt ibid.
ſtricte dicta quomodo inſtituenda 653
de hac ſcripſerunt Solingen, Deventer Mauriceau, Iuſtina Siegemundin 654
Embryulcus 16
Emetica in tumoribus inflammatoriis exhibita anſam mortis præbent 64
vegetabilia ſunt leniter ſeptica 252
Emollientia quænam ſint 70
ad ruptionem abſceſſus commendantur ib.
poſitiva nocent in inflammationibus 62
ad ambuſtiones commendantur 100
in ſcirrhis non ſimpliciter applicanda 138. 139. 141. 142
inſeparabilem nexum habent cum maturantibus ibid.
Emphyſema quid ſit 423
Emplaſtra 49
eorum coctionem chirurgi ſui juris faciunt 50
- errores circa hanc ib.
unde mollitiem accipiant 49
debent habere durabilem mollitiem ib.
unde tenacitatem accipiant 50
eorum uſus ib.
poros obſtruunt & transpirationem cohibent 69. 70
in levibus vulneribus adhibita conſolidationis tempus protrahunt 332
quæ conſolidationem procraſtinant 254
catagmatica in herniis concretioni partium anſam præbent 205
- in procidentia uteri laudantur 178
defenſiva qænam ſint 328. 329
diſcutientia adverſus ganglium commendata 164
qualia adhibenda ſint tempore mu-

Emplaſtra
mundificationis, & qualia conſolidationis 329
largiter camphorata proſunt in phlegmone 60
mucida nocent in inflammationibus 62
de Ammoniaco Foreſti emollit & diſcutit 72
- laudatur in phlegmone 60
de Betonica camphoratum commendatur in furunculo 79
- eſt nervinum 72,389
Diachylon ſimplex ejus concinnata formula taxatur 51
- inſpiſſatas & tenaces partes blande emollit 138
- pro ſcopo emolliente adhibendum præſente notabili inflammatione 72
- commendatur in furunculo 78
egregiam habet utilitatem in ſcirrhis nondum apertis 142
Diachylon cum gummatibus mundificat & reſolvit 79
- fortius emollit, quam roborat 69
- pro ſcopo emolliente adhibendum in mitiore inflammatione 70. 72
quando locum habeat in ulceribus 248. 255
in ulceribus apertis præſtat 142

Emplaſtra
impedit novum affluxum 131
- quomodo conſervandum ſit 295
Diapalmar. eſt nervium 72
- impedit novum affluxum 131
Diaphoreticum Mynſichti quo reſpectu diaphoreticum nominetur 168
Foreſti ad parotides ex cauſa frigida natas 148
Diaphoreticum Mynſichti eſt nervinum 72
- novum affluxum avertit 138
laudatur in phlegmone 60
ceratum de Galbano in ſcirrhis partium muſculoſarum laudatur 140
e cera & mercurio dulci ad verrucas laudatur 231
glutinans deſcribitur 266
de Mililoto in furunculo commendatur 78
- - it. in tumoribus oedematoſis 169
de minio commendatur in ambuſtionibus 101
- in furunculo 79
- nigricans ad conſolidationem vulnerum laudatur 329
nervinum Mynſichti 140
Norimbergenſe ſeu de minio nigricans 79. 329
aufert callum in ulceribus ſimplicibus 258

im-

Emplastra
impedit novum affluxum 131
camphoratum discutit & tonum roborat 248
opodeldoch Paracelsi 270
oxycroceum exæstuat scirrhos sanguineos, nisi temperetur empl. diaphoret. Mynsichti 140
Paracelsi ad synoviam laudatur 391
saponatum Barbette describitur 142
- modeste obstipat partes, & materiam inspissatam emollit ibid.
- laudatur in phlegmone 60
camphoratum commendatur in ambustionibus 101
Saturninum impedit novum affluxum 131
de spermate ceti camphoratum novum affluxum avertit 138
de spermate ranarum modeste cohibet affluxum ad partem inflammatam 60. 389
- laudatur in achoribus 266
quibus radicibus & herbis combinandum, ut defensivum evadat 329
- camphoratum in scirrhis inflammatis inservit 140
- - in varicibus commendatur 118
stypticum Crollii est cicatrizans 73
- consolidandi scopo instar omnium est 255. 258. 329
vesicatorii emplastri magnitudo 510
Vigonis de ranis cum mercurio in triplo 21
- compositione inane 51. 142
- efficax deprehenditur sub initium scirrhorum 142
- in venereis ulceribus egregium usum præstat ib.
- cæterum tanti non est pretii, quam famositatis ibid.
ad ulcera serpiginosa chronica 263
Empyema modo in uno, modo in utroque latere reperitur 532
a causa interna periculosius est illo, quod a causa externa provenit 534
ejus paracentesis 539
Empyreuma quomodo exstinguendum in ambustionibus 100. 104
veterum consilium ad id extrahendum damnatur 104
Encanthis 588
Engissoma quid sit 340
Enterenchytes 23
Enterocele 184. 187
Entero-epiplocele 184. 188
Entero-epiplomphalus 184. 186
Enteromphalus ib.
Enteroraphia completa a recentioribus rejicitur 367
Enthlasis quid sit 340
Epiphora 273. 588

Epiplocele 184. 188
Epiplomphalus 184. 186
Epithema ad parotides 146
ſiccum in tumoribus oedematoſis 169
Epithemata humida in eryſipelate & phlegmone damnantur 62
it. in oedematibus 169
Epulis 613
Equiſetum laudatur in procidentia uteri 178
Erbgrind 264
Erinaçei ad lenia ſeptica pertinent 225. 246. 255
reſolvunt fungos 255
Eryſipelas quomodo differat a phlegmone 54
ejus ſigna 55
- cauſæ 56
album quid ſit 55
retropulſum eſt periculoſum 57
conſuetudinale quomodo præcavendum 64
Eſchara in vulneribus ſclopetariis unde dependeat 372
Eſſentiæ abſtergentes 266
reſinoſæ & amaræ oſſibus amicæ ſunt 323
Eſſentiæ alexipharmaca leviter camphorata in vulneribus venenatis non improbatur 376
- Stahlii temperata in panaritio commendatur 127
Stahlii in tumoribus inflammatoriis laudatur 64. 146
Ariſtolochiæ veræ conſolidandi ſcopo commendatur 335
- in carie oſſium laudatur 321. 323
aloes, croci, mumiæ in gangræna laudantur 88
aloes in ſphacelo 94
abſinth. cent. min. ſcord. card. ben. ariſtol. utr. gent. rubr. putredini reſiſtunt 94
balſamica deſcribitur 71. 260. 389
commendatur in furunculo 79
- in cancro efficax 309
in levi carie efficax 321. 322
- ad fracturas laudatur 413
- vulneri immiſſa hæmorrhagiam reſolvente & colliquante efficacia revocat 337
balſamica Stahlii corruptionem mitigat 328. 329. 331. 372
ingruente ſphacelatione commendatur 88
- putredini potenter reſiſtit, & affluxum reprimit 338
reſiſtit ulcerationi cancroſæ & conſolidationem promovet 157
læſionum ſymptomata occupat 336
- ejus uſus in conſolidatione ozænæ 289
it. vulnerum 329. 331. 372
- ad abſterſionem ulcerum laudatur 246
in panaritio commendatur 127
- pro diverſa vulneris con-

Essentia
ditione diverse miscenda 335. 346
balsamica præservandis & purificandis ossibus conducit 296
- inspissata & cum vitello ovorum in oleaginosam consistentiam subacta sine sensu applicari potest 337
sellis lucii a quibusdam laudatur in cataracta 604
hyperici fortius adstringit 255
ligni quajaci & sassafras in stasibus duris venereis nihil efficiunt 295
Myrrhæ hæmorrhagiam promovet & putredinem cohibet 94 155
- in cancro egregie se gerit 312
læsionibus partium carnosarum convenit 335
petasitidis 64
radicis pimpinellæ albæ laudatur in tumoribus inflammatoriis 64
in furunculo 79
succini diatheses seri egregie corrigit 256
- læsiones ex sangues & ipsas osseas corruptiones solatur 253. 336
- laudatur in cancro 308. 309. 312
est remedium balsamicum in ulceribus 256
in cancro leniendi habet efficaciam 309
Essentia
succini osficulorum secessionem promovet 547
- in febrilibus commotionibus non convenit 79
vincetoxici tanquam resolvens & discutiens egregium adstrumas laudatur 211
Esulæ succus non arrodit verrucas, sed peripheriam mollem 229. 230
Euphorbium a Dioscoride laudatur in carie 322
Exæresis 6
Excrementa animalium volatilium commendantur in ambustionibus 101
Excisio 339
Excrescentiæ 209
differunt a tumoribus 6
circa anum 647
inguinales non sunt confundendæ cum bubonibus 203
peritam exposcunt sectionem 208
in meatu auditorio 606
verrucosæ in membro virili 648
uteri 176
in testiculis, inguinibus ad maturationem non perducendæ 203
a stasibus humorum bene distinquendæ sunt 6
absumuntur a mercurio præcipitato rubro 647
Excutiæ applicatio 16. 549

Exomphalos 183.185.208
quando ſectio inſtituenda 204
Exſiccantia in oedematibus non proſunt 168
in ulceribus non vbique tuta 254. 255
Extenſio in fracturis quando neceſſaria 409
quanda non neceſſaria 408
in luxationibus neceſſaria 439
non ſuſcipitur præſente magna inflammatione 440
ſufficiens nnde cognoſcatur 409
Extractio rerum peregrinarum 543. 588
Extravaſatio ſanguinis quomodo tractanda 348
Eyter-Beule 65.75

F.

F*Abarum farina* leniter ſtringendo diſcutit 140
Facies ardore ſolis combuſta lacte virginis inungenda 101
granis pulveris pyrii conſpurcata quomodo reſtituenda ib.
Fæces vini vel cereviſiæ in gangræna laudantur 88. 89
Fallopii puncta alba ſæpius fallunt in fiſſura cranii detegenda 343
Farina fabarum. vid. fabarum farina.
ſecalina in tumoribus inflammatoriis commendatur 633
- in molis diſperſa hæmorrhagiam ſiſtit obturando 380
Farinarum cum camphora applicatio in mitiore gangræna ſufficit 88
Faſcia, ejus definitio 25
- differentia ib.
accipiter 33
ampla in tumoribus oedematoſis damnatur 170
pro anevryſmate 40
aſcialis ſeu repens 27. 43
ad aures 33
le bandage a dix huit chefs 43
a ſix chefs 30
cancer Sculteti 31
Galeni 30
capitalis, capeline 31
capitium ſimplex, couvre chef ſimple 29
- duplex, couvre chef douple ib.
- magnum, le grand couvre chef ib.
- triangulare, le couvre chef en triangle 30
la capelline quando locum habeat in hydrocephalo 31
capiſtrum ſimplex & duplex 34
cataphracta 35.36
chiaſtre 42
chirotheca completa 41
- incompleta ib.
cingulum umbilicale 37
circularis 28
continens 27
- capitis 34
- colli 35
cruciata 42
dividens 27

Faſcia
discrimen 32
dolabra 28
echarpe 41
etoile 36
l' etrier 44
expellens, expulſiva 28
ad fiſtulam ani 39
pro fonticulo 40
in fractura metacarpi 41
ad fracturam & luxationem rotulæ 42
funda 28.33.34
- Mons. Petit. 43
ad lithotomiam 39
gantelet 41
genuale dicta 42
Heliodori 36
Hippocratis, bonnet d' Hippocrate 30
jarretiere 42
incarnans 27
inguinalis ſimplex & compoſita 39
in luxatione carpi 41
- pollicis ibid.
- ulnæ ibid.
mammillaris 37
mitella 41
monoculus 32
mouſſe 28
obtuſa ib.
oculus ſimplex l' oeil ſimple 32
- duplex l' oeil double ib.
pertuſa 34
plaſtron 35
quadriga 36

Faſcia
reflexa 31
regia, bandage royale 31
repens 28
ſandalium 44
ſcapha 31
ſcapularis 35
ſex capitum 30
ſima 28
ſolaris, ſolaire 32
ſpica ſimplex 39
- duplex 40
ſtapes 41
ſtellaris 32
ſtellata 36
ſubligaculum uteri 38
ſuſpenſorium ſcroti ibid.
- penis 37
tau 33.36
teſtudo 42
triangularis oculorum 32
poſt venæſectionem 33.40.42
vinculum Soſtrati 36
umbellata 32
uniens, uniſſant 27
earum methodus applicandi 44
- cautelæ 45
Faucium abſceſſus 618
inflammatio ibid.
ſcirrhus ib.
Fanus 264
Faux fanons 13.42
Faul-Fleiſch 227
Febris inflammatoria unde 55
num V.S. admittat 484
Febriles calores furunculus ſecum trahit 76

Unable to display this page

Flores verbaſci laudantur in procidentia ani 182
Fluß, geſaltzener plerumque eſt fabula 250
Fœmina parturiens quid obſervare debeat 656
Fœtus quando per partes exſcindendus ſit 659
- mortui extractio 654
Folia & radix bardanæ majoris in tumoribus oedematoſis conveniunt 169
& cortex viridis ſambuci recenter concerpta laudantur in ulceribus venenatis 375
petaſitidis laudantur in œdematibus 169
Fontes ſalubres efficaciam habent in contracturis 239
Fonticuli 503
ſunt ulcuscula artificialia 245
horum uſus 503
- abuſus in futura coronali 505
- methodus triplex 503
e ſede ſua translati ſponte conſolidantur 250
quomodo conſervandi ſint 504
quomodo deligandi ſint 504. 505
diu geſtati circumſpecte conſolidandi 5
incaute occluſi quæ damna afferant 504
quando ad muſculoſas partes feruntur, coaleſcunt 250. 505
in hydrocephalo commendantur 174
ſenibus non magis fluentes mortem præſagiunt 505
Forcipes 16
Foreſtus, ejus emplaſtrum ad parotides cum discretione adhibendum 148
furunculum præ aliis deſcripſit 75. 76
furunculo, quem deſcripſit, indolem varorum tribuit 76
ejus unguentum laudatur in procidentia ani 182
Forfices 18
Formulæ ſulphuratæ qua cautela in tumoribus œdematoſis adhibendæ ſint 168
Fornicatio quid ſit 340
Foſſa Amyntæ a Verduckio rejicitur 33
Fotus ad luxationes 442
calidus conducit in ambuſtionibus 100
Fractura, de his generatim 404
earum prognoſis 406. 407
- differentia varia 404. 405
ſimplex & complicata 406
quomodo tractanda 407. 408
cum comminutione ſeu contuſione 412
de fracturis ſpeciatim 415
carpi 427
claviculæ 417. ſqq.
coſtarum 421. ſqq.
cranii, quomodo tractanda ſit 582. 583

Fractura cranii
- signa 342
- prognosis 344
cubiti 426
digiti 428
digitorum in pede 432
femoris 428
maxillæ inferioris 416
metacarpi 427
metatarsi 432
nasi 415
ossis coccygis 425
- humeri 425
- sacri 424
rotulæ, seu patellæ 430
scapulæ 420
sterni 420
tarsi 432
tibiæ 431
vertebrarum 424
cura fracturarum 407. 408
interdum iis insolitum quid contingit 415
congestiones rhevmaticas inducit 407
recte non reposita de novo frangenda 411
nulla per se lethalis est 406
gravidarum difficillime consolidatur 407
Frænuli incisio 614
solutio 648
Fragmenta cranii unde dignoscantur 343
ossis, quomodo tractanda sint 409
- quando iterum coalescant ibid.
Fratris Jacobi methodus lithotomiæ 638. 644
Frictiones commendantur in pernionibus 107
Fröschlein unter der Zungen 614
Fulmine tacti nonnunquam restituuntur 99
Funda ad lithotomiam 3 3. 4. 43
Fungus 214
differt a carne luxuriante 215. 227
in membranaceis partibus oritur 209
non dependet a stasi humorum, sed ab irregulari fibrarum textura 215
quando irritatur fit dolorificus 215
non tolerat arsenicalia 217
confirmatus ægerrime exstirpatur 216. 217
major per Hildanum exsectus 217
Furca Bidloi 18
Furunculus 74
vocatur etiam carbunculus benignus 81
quomodo differat ab apostemate 74. 75
sub apostemate etiam stare potest 66
simplex fistulosam constitutionem interdum subit 80
plures ramulos occupans a Foresto descriptus 75. 76
ipsi varorum indoles tribuitur 76

Furunculus
ſtaſin intra vaſa habet 77
cur exigua illius ſtaſis tam magnum apparatum inflammatorium habeat 77. 78
difficulter ad maturationem pervenit 78
cur non totus abeat in corruptionem 77. ſqq.
in ambitu toto non tolerat mellita 80

G.

G *Alliæ reges* contactu ſtrumas curare poſſe ferunt 212
Ganglia 162
quo reſpectu Uberbeine appellentur 163
dantur a nativitate ibid.
plura in uno ſubjecto nonnunquam occurrunt ibid.
derivantur modo a criſpatione tendinis, modo a materia impacta ibid.
ſcirrhis duriora ſunt 162
differentia a nodis podagricis ibid.
ad maturationem & exulcerationem non tendunt 164
eorum cura conſiſtit in reſolutione ibid.
corroſivis exſtirpare periculoſum 164. 165
eorum exſciſſio periculoſis ſucceſſibus anſam præbet 165
morſicando concerpere docent ibid.
Gangræna 86
ab internis cauſis periculoſior, quam quæ ab externis 87
citiſſime tranſit in ſphacelum, niſi ſuccurratur mature ibid.
Gargariſmatum uſus 511
ad aphthas 514
Geblüth, unterlaufenes 129
Gerſten-Korn 585
Gewächs 218
Gibbus 626
quomodo gibboſitas tractanda 451. ſeq.
Gingivæ inciſio 613
Gladiorum apices in vulneribus magnas ſæpe gignunt difficultates 546
Glandis imperforatio 525
inciſione quando ſperatus effectus non obtineatur 531
Glaucoma pro malo deſperato habetur 594. 600
quomodo differat a cataracta 594
Glied-Schwamm 215
Glied-Waſſer 386
Glieder, erfrorne 104
Globuli ferrei, quibus cervus interfectus eſt, quid de his ſentiendum in gangliis 165
plumbei per plures interdum annos quieti ſunt 543. 546
ex icto cervo exſecti ad parotides ſpecifice laudantur 147

Globuli
ſclopetarii gravitate ſua profundius deflectunt 543
ſectione nonnunquam extrahendi 544
vitriolici ſua habent incommoda 558
oſſi impreſſi hujus interdum trepanationem requirunt 545
extrahendorum globulorum duplex inſtrumentum 544
- cautelæ 544. 545
Gloſſocomum 18
Gluten ſcriniariorum hæmorrhagiam ſiſtit obturando 380
Gonorrhœa 291
Gorgoris 14
Grando in oculis 585
Gummi ammoniac. leniter reſolvit, & nervinum effectum edit 69
bdellii, item, ibid.
Gummi elemi eſt egregium balſamicum in partibus nervino-membranoſis 336
ſagapenum minus acre quam galbanum, hinc tam fortiter non reſolvit 165
Gummata gallica maximi ſunt momenti in tendinoſis partibus 296
Güldene Stich 197. 205
Gutta roſacea 119 120
ſerena unde nomen acceperit 594

H.

Haar-Schnur 505
-Wurm quid ſit 123
Hæmorrhagia arteriarum & venarum 379
- pulvis ad hæmorrhagias compeſcendas 380
- aliud remedium magma aluminoſum ibid.
ebriorum & iratorum præmature non ſiſtenda. 330 382
poſt ſectionem bubonum peſtilentialium & ſcirrhorum cancroſorum cito non cohibenda 155
nova poſt ſectionem aliquamdiu toleranda 545
oſſium fracturam ſequens utplurimum excedit 379
quomodo in exſtirpatione mammæ cancroſæ ſiſtenda 317
vulnerum 377
- mature cohibita ſumme periculoſa 330. 378. 382
- in levioribus vulneribus toleranda 331
nimia debilitates partis chronicas relinquit 381
- quamdiu toleranda 382
- - in partibus amputatis 557
- ſecunda quid confirmet 379. 383
- - majoris eſt conſiderationis, quam prima 379
triplici modo ſiſtitur, nempe obturatione, coagulatione & adſtrictione 379. ſq.

Hæmorrhagia
- præsente inflammatione per acida non debet sisti 381
in cancro exoriens quomodo tractanda 313
Hæmorrhoides cæcæ 647
- ad furunculum pertinent 80
nothæ 647
- quomodo exstirpandæ sint ibid.
earum motus in fistula ani curationem impediunt 285
Hagel-Korn 585
Hamulus 18
Harvei tractatus de curatione morborum per expectationem allegatur 534
Hebammen-Kunst 652
Hedra quid sit 339
Heft-Pflaster 331
Heisse Brand 86
Helmontii spes de sapphiro in anthrace pestilente 85
ejus qualitate exotica in vulneribus non indigemus 327
Helvetius malleo ligneo ganglium percutere docet 165
illius salivatio per cuprea medicamenta rejicitur 296
Hemeralopia quid sit 594
Herba Acanthii laudatur a Borello ad carcinomata 311
& ad ulcera faciei cancrosa 316
Agrimoniæ recens efficax est in fugillationibus 130, 131
Althææ maturantem habet effectum 70
Arnicæ in contusionibus admirandam habet efficaciam 370
Bellis minor leniter adstringit 59
Betæ ejus aqua fervida cocta consolidationem vulnerum promovet 335
Chelidonii majoris fundendis humoribus aliquid contribuit 169
Equiseti laudatur in procidentia uteri 178
Hyperici num consolidationem promoveat 335
Chærefolii leniter adstringit 59
Hyoscyami commendatur a Paracelso ad ulcera placanda 313
Lapathi nigri laudatur ad ulcera scorbutica 288
Lunariæ a Carrichtero in cancro commendatur 317
- racemosæ laudatur a Carrichtero in cancro ulcerato 311. 317
Malvæ maturantem habet effectum 70
Nicotianæ licet sensibilitatem inducat, consolidationem tamen promovet 335
- prodest ad callum auferendum 257
Onopordon, seu acanthion dicta, a Borello & Stahlio laudatur ad ulcera faciei cancrosa 311. 316

Herba
Parietariæ maturantem habet effectum 70
Perfoliatæ num ſpecificum ſit remedium ad herniam ſcrotalem 208
Perſicariæ obſcutioris eſt experientiæ in amuleticorum & ſympatheticorum cenſu 385
Petaſitidis laudatur in tumoribus œdematoſis 169
Potridis reſolvit, ſpaſmos demulcet & orgaſmum lenit 311
Saponar. hujus decoctum laudatur in parotidibus 147
Sedi vermicularis commendatur in pernionibus 107
Solani furioſi in cancro nondum ſatis probata eſt 314
Sophiæ Chirurgorum quid poſſit in fracturis 413
Symphyti majoris num conſolidationem repente promoveat 335
- quid poſſit in fracturis 413
Tabaci mundificandis & conſolidandis vulneribus efficaciſſima eſt 328

Herniæ 183
earum cauſa num ruptura vel relaxatio ſit, practicam non habet utilitatem 189. 190
de modo prolapſus ſpecialiore diſſentiunt auctores 191
quibus inteſtinis formentur 190
dividuntur in veras & ſpurias 183
ſimplices & duplices 186
carnoſæ ſeu ſpongioſæ 210
completæ in fœminis æque fieri poſſunt 191
compoſitæ quomodo tractentur 204
impropriæ multas in operationibus involvunt difficultates 193
nova, eaque incompleta 198
inveterata, quomodo tractanda ibid.
humoralis 585
inguinales, quomodo tractandæ ſint 199
- in fœminis interdum ſupra inguina formantur 187
omentalis, quomodo a varicoſa dignoſci poſſit 185
ſcrotales, quomodo tractandæ ſint 195
ſpuriæ 191
ventrales 204
- quomodo tractandæ ſint 200
umbilicalis, quomodo differat ab inguinali 185
- raro in ipſius umbilici medio erumpit 186
- quomodo tractanda ſit 194. 195
- ejus prolapſus contingit duplici modo 204
earum maximum periculum eſt incarceratio 192

Herniæ umbilicalis
- reſtitutio difficilis, præſertim in annoſis 192
non inducunt ſterilitatem 193
propriæ quomodo curandæ ibid.
recentes ſpem curationis promittunt 192. 193
earum operatio quando ſuſcipienda 195. 196. 199
- cura per transplantationem 205. 206
experientiæ raro reſpondet 206
impropriæ quomodo curandæ 201
Herniarum portentoſa exempla 207
Herniotomi 195. 206
Herniotomia 195. 196. 199. 205. 206
quid ægri poſt eam obſervare debeant 207
Herpes 122
quomodo differat ab eryſipelate 123
eſt vel benignus vel malignus ibid.
- ſimplex vel exulceratus ib.
ἰδίωμα quid ſit ibid.
- nimis exedens expoſcit decocta antivenerea 124. 263
miliaris quid ſit 123
a varis & gutta roſacea ſerpendo tantum ſe diſtinguit ibid.
Heterogenea, ſi fieri poſſit, mox e vulneribus educenda 333. 545
quam cautelam requirant 333. 545. ſq.
in auribus quomodo extrahenda ſint 548
in faucibus hærentia quomodo educenda ſint ibid.
in oculo quomodo extrahenda ſint ibid.
Heurnii querela de cancri cura, quo fundamento nitatur 306
Hildani enchireſis in ambuſtionibus 104
obſervatio de ſiccitate alvi 531
Hippocrates errorem practicum confiteri non erubeſcit 343
quinque cranii læſiones obſervavit 338
nulla artificia ad ſiſtendam ſynoviam chirurgis dare voluit 390
Hirudinum diviſio in benignas & malignas 496
virulentia traditioni veterum ſuperſtructa eſt 501
nutrimentum 496
præparatio 498
uſus generalis 497
- ſpecialis ibid.
- ſpecialiſſimus 498
applicatio 495. 647
- in inteſtino recto 500. 501
ſarcomati cum effectu applicantur 219
applicandarum methodus 498. ſqq.
applicationi non debent ſubjungi adſtringentia 501. 502
quæ inteſtinum rectum ingreſſæ, quomodo eliminentur 501

Höcker 626
Hordeolum 585
contactu manus mortuæ curatum 220
Humida epithemata in œdematibus improbantur 169
it. in ulceribus 255
Humor melancholicus in cancro 304
Humorem aqueum natura reſtituere poteſt 605
Humorum corruptiones quomodo differant 4
motus adſuefacti ad certam partem ſollicite conſiderandi ſunt 5. 444
retropulſiones in foro chirurgico magnum damnum inferunt 9
Hüner-Augen 232
Hydatides 586
Hydrocele 184. 188
differt ab hydrope ſcroti 185
infantibus & pueris familiarior 193
quomodo tractanda ſit 201
Hydrocephalus 171
unde inducatur 172. 173
eſt vel externus vel internus 171
internus eſt affectus calamitoſus 172
multorum annorum eſt affectus rariſſimus 173
quomodo tractandus 173. 174
ejus operatio periculoſiſſima 174. 175
Hydro-enterocele 186 189
Hydromphalus 148. 186
ejus cura 242
Hydrophthalmia 592
Hydrops pectoris 532
ſcroti 185. 188. 193
- quomodo tractandus 202
Hydro-Sarcocele 186. 189
Hyoſcyamus externe in cancro laudatur 313
eius folia in carbunculo ſolent laudari 85
- flores in bubonibus 154
Peruvianus ſeu Tabacus 313
Hyperici eſſentia impetuoſam corruptionem cavet 143
Hypogaſtrocele 183
Hypopyum 590
eius cura ibid.

I.

Ignis calore ſuo particulas ſubtiles diſſipat 95
plus penetrat & curat quam ferrum 155
Illiſio 340
Imaginatio quid poſſit ad excreſcentias 212
Imperforati 522
Imperforatio urethræ 630
Impetigo 264
Impfung quid ſit 608
Inciſio fiſtulæ ani quomodo peragatur 284
gingivæ 613
frænuli 614
Inciſiones 339. 516. 520
præmaturæ quæ damna inferant 71

Inciſiones
ſecundum longitudinem num præferendæ eis, quæ transverſim fiunt 71
panaritii inciſio quomodo inſtituenda 128
in umbilico num inſtitui poſſint 204
Induſium ſudore emortuali madidum ganglia curare dicitur 165
it. verrucas 231
Infortunium Hippocratis quid ſit 339. 396
Inflammatio: ejus definitio 54
- cauſæ 56
- prognoſis 57
- ſigna 55
tres habet ſpecies 54
a cauſis internis ſub initium non requirit topica 64
ejus diſcuſſio, qua cautela cum camphora inſtituenda 63
retropulſa ſola interna requirit remedia 65
Chirurgis inflammationes non ſunt committendæ 8
Inflammatorius motus refrigerantibus aut adſtringentibus non eſt tractandus 139
tumor in luxationibus, quomodo tractandus 443
Injectiones 510
harum modus applicandi 514
- quantitas 513
in uterum 179
in profundis læſionibus egregium habent uſum 511
Inſtrumenta ſpecialius ita nominata 19
Inſtrumenta chirurgica ordine alphabetico recenſentur 12. ſq.
licet multa ſint, artista men defectum non compenſant 8
virulentis vulneribus adhibita bene mundificanda ſunt 492
Introceſſio 338
Itinerarium 13

K.

Käyſerliche Schnitt 627
Kalender in den Gliedern, unde proveniat 252
Kerkringius & Burrhus promittunt viſus reſtitutionem, licet omnes humores effuſi ſint 351
Kopf-Math 559
Kopf-Zieher 24
Korn-Zänglein 17
Kratz-Eiſen 19
Krebshafter Schaden 135. 299
Kropf 209
Kupfer-Handel quid ſit 120
Küraß 35
Kürſchners-Math 559

L.

Labium leporinum 562
Labiorum cancer 608
Lac emolliente ſcopo laudatur ad contracturam 240

Lac
ad corruptionem mucosam promptius est 5
Lunæ callum promovet 411
Virginis conducit in facie ardore solis combusta 102
Lacertarum efficacia ad strumas 212. 213.
- ad œdemata 170
- *oleum* commendat Sculetus ad strumas 211
Læsiones, earum restitutio differt secundum temperamenta 5
exsangues in ulcus transeuntes, fiunt sensibiles 336
cur in junioribus promptius restaurentur 5
cranii 338. 354
Lagophthalmos 584
Lanceola 20
Langii remedium præservatorium ad panaritium 128
Lapis causticus unde paretur 540
Hæmatites &
Jaspis ruber in levibus porosarum partium vulneribus hæmorrhagiam sistunt 385
Infernalis 540
- seu causticus in fonticulis ponendis adhibetur 333
medicamentosus Crollii specifice laudatur in tumoribus inflammatoriis 64
- commendatur in variis 122
- laudatur in herpete 124
Serpentis Indiæ num venenum extrahat, experientiæ relinquitur 377
tonitrualis vulgo laudatur ad nævos maternos 237
Lardum ad clavos pedum laudatur 233. 234
Laryngotomia 621
Laß-Eisen 21
Laxantia rhabarbarina prosunt in varis & gutta rosacea 121
leniora in inflammationibus, quando concedantur 64
per epicrasin laudantur in scirrhis sanguineis 136
- in contractura & aridura 240
L'eau d'arquebusade, quid de hac aqua vulneraria notandum 334
Leibes-Flüsse quid sint secundum Paracelsum 388
Leporis sanguis, hunc specifice laudare solent in inflammationibus 64
quomodo applicandus ibid.
Lethalitas vulnerum 392
triplici sensu sumitur 392
Leucomæ 588
Ligatura antiquorum in herniis umbilicalibus hodie rejecta est 200. 204
excrescentiarum quomodo administranda 221
in fistulis ani rejicitur 283
fortis in parte amputanda improbatur 96
sphacelum causari potest 91. 97
vulnerum exposcit cautelam 338

Ligatura
in ſuperna parte laxa & in parte affectata ſtrictior rejicitur 241
Lignum coryli, ejus uſus ſympatheticus laudatur a Borello in contuſionibus 413
fraxini circa ſolſtitium æſtivum cæſum quid efficiat ib.
- num neceſſario certo tempore cæſum eſſe debeat 502
- commendat Borellus ad fluxum ſanguinis ſiſtendum 502
- in vulneribus recentibus levibus hæmorrhagiam ſiſtit 385
fulmine tactum vulgo laudatur ad nævos maternos 237
Linguæ cancer 615
Lini oleum commendatur in pernionibus 107
Linimentum in ambuſtionibus 102. 104
ad perniones 107
ad luxationes 412
ad ulcera ſcorbutica 287
Linteum carptum non raſum debet adhiberi in vulneribus 51
Liquamen myrrhæ virtute ſarcotica & balſamica prædituum eſt 260
ad vulnerum mundificationem laudatur 328
Lithotomia 632
ejus differentia 632
- ſigna 633
cum magno apparatu 637
Lithotomia
cum parvo apparatu 636
ejus prognoſis 635. ſq.
- quatuor methodi 636. ſqq.
- methodus alta 637
- - antiqua ſeu Celſi 636. 638. 639
- - nova ſeu majoris apparatus 637. 640. ſq.
- - Franconica ſeu alti apparatus 637. 643
- - ſecundum fratrem Iacobum 638. 644
renalis eſt negotium periculoſiſſimum 635
ejus cautelæ 644. ſqq.
Lixivia ſulphurata qua circumſpectione in oedematibus adhibenda 168
Lixivium calcis vivæ compoſitum quomodo paretur & quid præſtet 288
hepatis ſulphuris 266
Lobuli perforatio 608
Lorum Heldani 20
Lorum e corio humano non niſi preſſione agit in ſtrumis 214
Ludovici ſententia de parotidibus tractandis 147
Luis venereæ tres gradus 291
cura non competit chirurgis 10. 291
Lumbricorum alligatio ad panaritium experientiæ non vbique ſe commendat 125. 127
Lunæ mutatio an ſymptomata vulnerum exaſperet 355

Lunæ mutatio
in venæſectione obſervanda 478
Luxatio, de iis generatim 433
earum prognoſis 438
- varia differentia 433.434
- curatio 439
de iis ſpeciatim 445
carpi 464. ſqq.
claviculæ 448 - 450
coccygis 454 - 456
coſtarum 456. 457
cubiti 461 - 463
digitorum 466
femoris 467 - 469
fibulæ 471
humeri 457
- quatuor modis reſtituitur 459 461
manus 464. ſqq.
maxillæ inferioris 445 - 448
metacarpi 464. ſqq.
naſi 445
pedis 471
rotulæ 470
tibiæ ib.
vertebrarum 450 - 454
notabilis luxationis caſus 444
earum repoſitio quomodo fiat 441
cum fractura concurrens prius, quam hæc, reponenda 412. 443
Lympha qualem corruptionem ſubeat 4
ſalſa ſanguinem quaſi ſalit 90

M.

Machinæ tenſoriæ, quales horologia parva habent, ad deligationem excreſcentiarum 221
Mahina tractoria Vitruvii 20
Mähler, blaue 129
Feuer-Mutter- 235
Magen-Bürſte 16. 549
Magnes arſenicalis in carbunculo ſolet laudari 85
Malleus ligneus 20
Malum mortuum quid ſit 526
Mammæ cancroſæ exſtirpatio 317
- - amputatio 556. 625
Maniaci catena ligati in tibiis facile ulcus carioſum accipiunt 324
Manus filii ſeptimi ad excreſcentias laudatur 165. 212
mortuæ contactus laudatur ad excreſcentias 212. 220
- ad nævos maternos 236. 237
- - in ſarcocele 208
Marianus primum docuit lithotomiam cum magno apparatu 637
Mariſci quid ſint 647
Martialia calcinata in ulceribus ſuperficialibus commendat Paracelſus 254
Maſtichina non tam adſtringunt, quam tonum roborant 217
Maſt-Körner 647

Materia peculiari folliculo incluſa, quomodo eximenda ſit 521
purulenta, a quibus ſuſpecta reddatur 533
- qua ratione evacuanda ſit 72.
- pleuræ, pericardio vel mediaſtino incluſa certo dignoſci non poteſt 533
quæ in pleura hæret, minoris eſt periculi, quam quæ in pulmonibus, pericardio & mediaſtino 534
Maturantia quænam ſint 70
fortiora in furunculo improbantur 79
Maturir-Sälblein in apoſtematibus reiicitur 72.
Meatus auditorii clauſi apertio 527. 606.
- excreſcentia ib.
Meckren peculiarem cultellum ad excreſcentias gingivæ deſcribit 613
Medicorum conniventia damnum parit 8
Medico chirurgi longe diſtant ab empiricis ibid.
qui fuerint ib.
Medulla ſaxorum callum promovet 411
Meiſſel 22. 52.
Mel efficaciam reſolventem habet 254.
fermentativam efficaciam poſſidet 70
ſuppurationem fortius juvat, vnde vulgo trahere dicitur 332
non convenit partibus tendinoſis, ligamentoſis & aliis ex ſanguibus, ob fermentativam acrimoniam 332
roſaceum in ſphacelo commendatur 94.
Mellita ſoli centro in furunculo applicanda ſunt 80
Melicerides oſſa arrodere obſervantur 159
Meliceris 158
Melon 591
Membri virilis cancroſa conſtitutio 648
Meningophylax 20
Meninx dura læſa quomodo tractanda 583
pia læſa quomodo tractanda ib.
Mentis fictio magnæ eſt efficaciæ 236
Mercklinus de ortu & occaſu ſanguinis transfuſionis ſcripſit 494
Mercurii effectus in cataracta quo caſu detectus ſit 604
Mercurialia, eorum commendatio in ulceribus cum grano ſalis accipienda 143
nocent in tumoribus tunicatis ulcerascentibus 161
ulcera communia in tabum confluere faciunt 253
in ulceratione venerea efficaciam habent inſignem 253. 324
efficaciter colliquant inquinamentum venereum 294
in ulceribus ex ſcirrhis natis circum-

Mercurialia,
cumſpecte adhibenda 143
in ulceribus venereis ſpaſmos tollunt, in reliquis augent ib.
ſeptica, exceptis venereis affectibus, vix unquam tolerabilia vid. Tab. de uſtione.
nocent in cancro 314. 316
non conducunt in narium corroſionibus venereis 323
nocent oſſibus 296
a carie oſſium ſunt excludenda 324
quænam ſint optima 295
Mercurius dulcis ſegnius eſt ſepticum 253
- a nonnullis laudatur in herpete 124
- ad duo grana quotidie ſumtus utiliter adhibetur in ulceribus venereis 296
- item ad reſolutionem ſcirrhorum 143
præcipitatus albus parum differt a dulci 295. 296
- magis alterat, ruber majorem ſepſin exſerit 296
- *ruber*, quænam illius formula rejiciatur 295
- - mitiſſimus eſt 253
- - eſt ſepticum mediæ efficaciæ 324. 333
excreſcentias venereas abſumit 294. 295
ſordes fungoſas venereas egregie abſtergit & ſpaſmos mitigat 295
Mercurius
ſublimatus viſibiliter corrodit & duo motuum extrema inducit 253
- *corroſivus* atrociſſima ſymptomata inducit 297
Metallica corrumpunt dentes 324. 609
oſſa reddunt carioſa 385
Metaſtaſis febrilis, vide apoſtaſis
Metrenchytes 20. 24
Milch-Staar quid ſit 595
Millepedum uſus ſpecifice laudatur a Boyleo in cataracta 604
Mixtura ad ſtomacacen commendatur 610
Modiolus mas 20. 578
fœmina ibid.
Monile plumbeum 214
Morbus Anglicanus 660
Morphæa 120
Morſus animalium rabidorum 374. 376
Simiarum periculoſiſſimus 377
Motus corporis diſcerpit & reſolvit ſtagnantes humores 108
- ad ſcirrhos commendatur 143
naturæ in chirurgia æque attendendi 5. 6
vitales, eorum deſertio in ſphacelo unde dependeat 92
ſpaſtici venæſectionem indicant 486
Moxa Indorum 508. 542
ex artemiſiæ lanugine paratur 541
prioribus annis arthriticis affectibus

bus adhibebatur 542
Mumia amuletiſtarum quid ſit 231
Mund-Klemme 612
Mund-Schraube 14. 16. 612
Mundificatio æqualis quam neceſſaria ſit 250
Muntingii tractatus de herba Britannica 288
Mures vivi in ſtrumis efficaces habentur 212
Muriatica aqua in gangræna laudatur 88
Muſitani cataplaſma in peſtilente carbunculo experientiæ relinquendum 85
Mutter-Clyſtier 24
Mutter-Mähler 235
Mutter-Senckung 175
Mutter-Sturtz 176
Mynſichti empl. diaphoret. novum affluxum avertit 138
Myocephalon 591
Myrmeciæ 219
Myrrha læſionibus apertis convenit, non occultis 140
carnoſas partes reſtaurat 335
promovet ſarcoſin 73. 253
ejus liquamen virtute ſarcotica & balſamica præditum eſt 260
- ad vulnerum mundificationem laudatur 328
corruptiones potentiſſime inhibet 73. 309
ad purificationem dentium laudatur 610
ſanguinis ſpirituoſitatem inducit 73
Myrrha
laudatur in cancro 309
- it. in carbunculo 84
ejus Eſſentia hæmorrhagiam promovet & putredinem cohibet 155
- læſionibus partium carnoſarum convenit 336
- impetuoſam corruptionem cavet 143
- oleum per deliquium commendatur in pernionibus 107
- it. in ulceribus faciei cancroſis 316

N.

Nadel-Halter 19
Nævi materni 235
quomodo contingant 209. 236
probant dominium animæ in corpus 235
variam habent indolem ibid.
repentino terrore nonnunquam deſtruuntur 235. 236
quomodo exſtirpandi 236
primis diebus ipſis occurrendum 237
paulo capaces non ſunt tangendi 237
Narcotica ex hyoſcyamo & tabaco in ſcirrhis apertis locum habent 144
Naſen-Gewächs 222
Naſi artificialis appoſitio 608

Nattæ quid ſint 218
earum exſectio 222
Naturæ autocratia eminenter concurrit in affectibus chirurgicis 5
motus ſalutares in chirurgia æque ac in medicina obſervandi ſunt 6
Nied-Nagel quid ſit 126
Nervi inciſi majus periculum alunt, quam diſciſſi 395
eorum *punctura* 482
- - quomodo tractanda ibid.
Nervina cum ſepticis conjungenda in fungis 217
Nitroſa moderate exhibita ardorem & dolorem in vulneribus contemperant 330
Nitrum mitigat ardorem in vulneribus ſclopetariis 372
ſenſum doloris in ambuſtionibus demulcet 101
egregie convenit in phlegmone 63
Nix ad perniones commendatur 106
Noli me tangere 316
Nuckii ſubligaculum, quo urinæ egreſſum inhibere conatur, votis non ubique reſpondet 646
Nux vomica in herniis infantum non temere ſuadenda eſt 207
in animalibus quidem non æque in hominibus deleterium effectum habet ib.
Nux
cupreſſa laudatur in procidentia uteri 178
Nyctalopia quid ſit 594
Nymphæ nimis magnæ quomodo auferendæ 651

O.

O *Bauditio* 607
Ober-Bein 162
Oculus cancri ad res heterogeneas in oculum illapſas applicatur 548
Oculi cancri citrati vel vino imbuti excretiones vrinæ promovent 330
- ardorem ac dolorem contemperant in vulneribus ibid.
- callum promovent 411
Oculus artificialis 21. 593
lacrymans 588
leporinus 584
- hujus cura 585
vitreus vel aureus 21
Oculorum verrucæ 585
ambuſtiones quomodo curandæ 102
ſymphyſis quomodo tractanda 523. 525. 526. 584
exſectio quomodo inſtituenda 592
læſiones chirurgis non promiſcue tradendæ 355
Oedemata hydropica calore reſolvuntur, & frigore redeunt 170
particulariæ frigore pereunt & calore turgent ib.
quomodo tractanda 167

non debent cito repelli ibid.
Oel-Schenckel quid sint & unde proveniant 62
Olea destillata in scirrhis sanguineis nocent 140
expressa ad maturationem abscessus commendantur 70
Oleum Amygdalarum dulcium promovet maturationem 70
Anisi eximie laudatur a Foresto in contusionibus impuris 61
Aranearum ad ictum vesparum præsentissimum est remedium 376
- ad strumas commendatur 241
Bufonis a Foresto laudatur in oedematibus 170
- commendatur idem a Borello in strumis 211
caryophyllorum efficax est in carie 321, 323
- usum habet in ossium palati arrosionibus venereis 323
ceræ ulcerationes egregie demulcet 253
- ulcerosam corruptionem leniter promovet 260
chamomillæ promovet maturationem 70
cinnamomi efficax est in carie 321, 323
- laudatur in gangræna 88
- usum habet in ossium palati arrosionibus 323
- laudatur in cancro 309
Oleum cinnamomi
- in sphacelo commendatur 94. 97
colophon. efficacius est in pernionibus, quam balsamus sulphuris 107
Florum tritici laudat Prævotius ad cancrum ulceratum 311
Fuliginis, ulcuscula abstergit 262
- laudatur ab Hartmanno in cancro ulcerato 311
Iuniperi nocet in inflammationibus 62
Lacertarum commendat Scultetus ad strumas 211
Laterinum reliquis lenibus septicis facem præfert 252
- cum oleo ovorum discontinuatur 262, 309
- cum oleo ovorum aufert callum 258
- in scabie hæreditaria efficax est 266
- ulcera renovat, & ad restaurationem viam sternit 265
Ligni Quajac. & Sassafras ultra metam a Paracelso laudantur 295
Liliorum alborum promovet maturationem 70
Lini egregie demulcet & emollit 103
- commendatur in ambustionibus ib.
- - pernionibus 107

Lum-

Oleum
Lumbricorum terreſtrium leviter camphoratum qualem uſum habeat in luxationibns 443
Myrrhæ per deliquium laudatur in vulneribus mundificandis 328
- in pernionibus 107
Nucis moſchatæ fide dignam efficaciam in vulneribus venenatis non præſtat 376
olivarum ad emplaſtra adhibetur 49. 50
ovorum temperante & demulcente effectua choribus prodeſt 265
- commendatur in pernionibus 107
- in mortario plumbeo agitatum laudat Peccetus in cancro ulcerato 311
- it. in ozæna 289
- ſeceſſionem ulceroſam leniter promovet 260
Papiri ulcuſcula abſtergit 262
Petræ ſubſtantia ſua leniter ſulphurea efficaciter penetrat ſtaſin ulceroſam 107
- ad recurſum pernionum poſt annua intervalla laudatur ib.
- quo tempore exhibendum ſit ad cavendum recurſum pernionum ib.
Philoſophorum abſtergit inquinamentum ulceroſum 260
- commode abſumit fungos 216
Oleum
ſcorpionum ad ictum ſcorpionum præſentiſſimum eſt remedium 376
- ad ſtrumas commendatur 211
ſtercoris humani commendat Hafenreſſerus in cancro ulcerato 311
ſulphuris per campanam ſphacelum inhibere creditur 96
Tartari per deliquium eſt abſtergens 122
- fœtidum ulcuſcula abſtergit 262
Templinum nocet in inflammationibus 62
Terebinthinæ læſionibus partium exſanguium nervi punctura opponitur 482
- laudatur in cancro 3 9
- cicatricem inducere valet 73
Vitelli ovorum ulcerationes egregie demulcet 235
Vitrioli ſanguinem inſpiſſat 380
deſtillata in ſcirrhis ſanguineis nocent 140
fervidum in morſu venenatorum animalium proficuum eſt 374
Omentalis hernia a quibusdam negatur 190
Omentum porci ad clavos pedum laudatur 234
Omphalocele 183
Onopordon ad cancrum ulceratum commendatur 311. 316

Operatores quinam vocentur 2
Operationes
in oculis 584
naſo 608
aure 606
cavitate oris 616
lingua 614
dentibus 609
gingiva ib.
labiis 608
collo 620
pectore 625
artubus 660
genitalibus virorum 648
- fœminarum 651
veſica 629
urethra ib.
inteſtino recto 646
ranulæ 615
trepanationis 572
qualis ſit, quæ dicitur punctum aureum 197
Opiata interna nocent in cancro 313
externe quando locum habeant ib.
poſt amputationem infelici ſucceſſu adhibentur 559
Opium in ſcirrhis apertis ſphacelum inducit 144
Oſcheocele 183
Officulorum ſeceſſio quomodo promovenda 547
Oſculi uterini occluſio 524
Oſteocolla ſalino - mucida ſubſtantia callum producit 411
tempore conſolidationis ſymptomata ſublevat ibid.
Otenchytes 21. 23
Ozæna 288. 608
ejus ſpecies peculiaris ſecundum Drakium in ſinu maxillari ſedem habet 290
quomodo curanda 289. 290. 608
putrida a lue venerea dependet 289
- a catarrhis acrioribus 223
- item a corruptione polypi 289
ad ozænam Rondelitii ſuffimigium 290
ſuturam labii leporini diſſolvit 565

P.

Palæſtricus modus in luxationibus quid ſit 441. 459
Palati ulceratio 617
Panaritium 125
eſt vel benignum, vel malignum ibid.
a vermiculo rodente non derivandum ibid.
ad hunc Riverii & Langii conſilium 127
dependet a ſtaſi lymphæ 126
artis auxilium tempeſtivum requirit 126
quando aperiendum & incidendum 128
Pancovius flores hyoſcyami bubones diſcutere pollicetur 154
Pannus occineus in vulnere relictus mira ſymptomata cauſatur 546

Papillarum vitia 626
Paſſio iliaca ex hernia incarcerata facile provenit 152
Paracelſi admonitio de hæmorrhagia diu toleranda explicatur 382
conſilium ad ſarcomata exſtirpanda improbatur 221
methodus ulcera ab intra curare 247
ejus decoctum travmaticum correctum per rad. ari & pimp. alb. 248. 269
aſſertum, das Glied-Waſſer bis auf ſein pondus laufen laſſen, explicatur 390
Urtheil von der impoſtur mit den Roll-Binden 171
unguentum ad vulnera venenata bubones reſolvit 154
- quomodo hoc paretur 377
opinio de vulneribus mala conſtellatione inflictis 338
Paracenteſis 532
tantum ſubtrahit morbi productum, non autem fundamentum 534
differt ratione loci & materiarum 532
abdominis paululum periculoſior eſt, quam in thorace 534
- quomodo inſtituenda ſit 536
- tempeſtive inſtituenda 539
in aſcite inveterato non conſulta eſt 534
empyematis 539
pectoris 538. 625
repetita mortem adferre dicitur 534
ſcroti 537
- quænam hic ſubjungenda ſint 539
thoracis mature inſtituenda 537
- quomodo inſtituenda ſit 534. ſqq.
- in ipſa coſta inſtitui jubetur ab Hippocrate 535. 537
ſed non habet aſſeclas 537
expoſcit vulnus amplum 538
non inſpiratione, ſed exſpiratione inſtituenda 537
ejus operatio magnam non involvit difficultatem 533
Paraphimoſis quid ſit 649
datur præternaturalis 650
quomodo hæc tractanda ibid.
Paronychia 660
Parotides 144
a Galeno ad inflammationes tantum reſtringuntur ibid.
quomodo differant a ſcirrhis 145
dolentes & indolentes 144
ex cauſa frigida & calida natæ ibid.
ſunt contumaces 146
ſuppuratio parotidum vix ſincera obtinetur 145. 146
ſectio parotidum circumſpectionem requirit 155
febre non ceſſante periculoſæ ſunt 146
quomodo tractandæ ibid.
circumſpectionem in medicatione expoſcunt 147

per ſalivationem a Stahlio tractatæ ibid.
Partus naturalis ſpaſmis uteri abſolvitur 655
- qua prudentia promovendus ſit 656
difficilis, ejus cauſæ 653
- uteri prolapſum inducere valet 177
it. ani prolapſum 180
cæſareus 626
- quomodo hujus operatio inſtituenda 627
- de hoc partu citatur Rouſſetus 197
circa partum errores ingentes 656
Parulis 613
Pedes incurvati 660
quomodo reſtituendi 661
artificioſi ſecundum Hildanum, Paræum & Solingen 558
Pelecanus 17. 21
Penis imperforatio quomodo tractanda 523. 529
Perinæi apertura in plenaria urethræ coalitione auctoritate non eſt confirmata 531
ruptura 659
punctura 631
Peritonæi duplicatura hodie rejicitur 191
Perle im Auge, quid ſit 588
Perniones 104
tres habent gradus 105
fluidas partes coagulant 105. 106
ſolidas partes debilitant ibid.
ad cancroſam magis, quam ſphaceloſam corruptionem tendunt ibid.
calori mox admovendi non ſunt 106
Peſſarium ſeu *Peſſus* 21
Peſſaria non inducunt ſterilitatem 179. 531
uterina unde parentur 178. 179
in procidentia uteri commendantur 178
Peſt-Beulen 149.
Phalangoſis 586
Phimoſis quid ſit 523. 648
unde oriatur 648
datur naturalis 649
- præternaturalis ibid.
quomodo tractanda 649
Phlebotomus 21
Phlegmone quomodo differat ab eryſipelate 54
generico ſenſu vulgo ſumitur 55
eius ſigna ibid.
cur in extremis artuum communiter proveniat 56
in facie poſt dolores dentium non eſt periculoſa 62
- quaſi idiopathica eſt periculoſa ibid.
a febribus acutis eſt ſenſibilis 63
a metaſtaſi febrili communiter exoritur 54
Phthiriaſis 265
Piæ matris læſio quomodo tractanda 583

Pileus argenteus 21
Pilulæ de ſuccino Cratonis 269
Becheri & Stahlii in tumoribus inflammatoriis quando adhibendæ 64
Pinguedines in tumoribus œdematoſis non conveniunt 168
Pinguedo leporina ſolet commendari ad heterogenea e vulneribus extrahenda 333
animalium in abſceſſibus concedunt 70
viperarum laudatur a Wedelio in cataracta incipiente 604
Pinguia nocent in inflammationibus 62
promovent maturationem 70
unguinoſa craſſa rancida ſua corruptela vulnera in ulcera mutant 336
acria, deſtillata in abſceſſibus damnantur 70
unguinoſa in vulneribus capitis præcipue fugienda 354
ſubtilia cicatricem inducunt 73
in achoribus non ſimpliciter applicanda 266
Pix navalis in ſphacelo ſpecifice commendari ſolet 97
Plagulæ 48
Plinthium Nilei 21
Plumaceoli, plumaceaux 51
unde parandi ibid.
uſus illorum 52
cauſtici ibid.
Pneumatocele 184. 188. 193
ejus cura 202
Pneumatomphalus 184. 186
ejus cura 202
Poiſau de morbis ſeroſis 174
Polypus narium 222
eſt excreſcentia carnoſo-membranacea 209
an differat a ſarcomate naſi 222
modo unam radicem, modo plures habet 223
cum luna creſcit & decreſcit ibid.
quomodo exſtirpandus ſit 224. 225. 605
illum per cauteria actualia tractare periculoſum eſt 226
ejus recurſus quomodo præſcindendus ibid.
quo tempore adgrediendus ibid.
cordis 218
Poma Borsdorffiana ad verrucas commendantur 231
gallarum laudantur in procidentia uteri 178
putrida fermentationem vinoſam repræſentant 89
- ad ulcera ſcorbutica 288
- in gangræna laudantur 88. 89
- in ſphacelo 94
- commendantur in pernionibus 107
Ponton 40. 111
Potentiæ ſalinæ cur non ſint genuina cauſa doloris inflammatorii 68
Præciſio 339

Priſſæus novam cataractæ cauſam detexit 597
Procidentia ani 646
Proptoſis 591
Proſthesis 6
Pruritus in membris luxatis quomodo mitigandus 444
Pterygium 589
Ptoſis 586
Pulverulenta ſicca præcipue proſunt in inflammatione a motu interno 63
Pulvis ad hæmorrhagias compeſcendas 380
Pulvis pyrius commendatur in ambuſtionibus 101
ſternutatorius in depreſſione cranii a nonnullis laudatur, a nonnullis rejicitur 347
- commendatur in hydrocephalo 174
- ozænam cauſari poteſt 289
ſympatheticus laudatur in procidentia uteri 178
Puncta alba Fallopii 343
Punctio ad aquam evacuandam in hydrocele commendatur 201
Punctum aureum, qualis ſit operatio 197
- tortura dici meretur 205
Punctura perinæi 631
Pudendi muliebris concretio 651
Purgantia maxime nocent in phlegmone 63
fortiora nocent in furunculo 80
Purificatio dentium 609
Purmanni fibula in vulneribus linguæ 353
Puris qualitates in apoſtemate indicantur 69
Pus laudabile in vulneribus eſt ſignum ſalutare 395
non ſimultanee evacuandum 72
Putredo quomodo differat a ſuppuratione 89

Q.

Quell-Meiſſel circumſpectionem requirunt 53. 272
quando neceſſariæ 546

R.

Radices in decoctis antivenereis lignis præferuntur 161
Radix Ari materiam colliquat, & ſimul tonum roborat 254
- commendatur ad ulcera mundificanda 246. 248. 254
Ariſtolochiæ num ad putredinem oſſium efficax ſit 296
- rotundæ prodeſt ad callum auferendum 257
- commendatur ad ulcera mundificanda 246
Bardanæ majoris, ut & folia in tumoribus œdematoſis conveniunt 169
Ellebori nigri prodeſt ad callum auferendum 257

Radix
Fabariæ ſeu craſſulæ ſpecifice ad hernias laudatur 206
Filicis, ejus decoctum nonnulli commendant in ſphacelo 96
habet efficaciam geneſin verminoſam inhibendi ibid.
Fœniculi in vino cocta cataractam incipientem curaſſe dicitur 604
Gentianæ loco turundæ adhibetur 53
- commendatur ad ulcera mundificanda 246
- rubræ prodeſt ad callum auferendum 257
Iridis noſtratis evacuat viſcoſitatem ſeroſam 174
- egregie ſe gerit in infarctu pectoris infantum 174
Napelli, de ea obſervatio Winteri 314
Ononidis a Sculteto laudatur in farcocele 203
Petaſitidis, & herba ejus, laudantur in tumoribus œdematoſis 169
- ejus Eſſentia, quando adhibenda ſit in tumoribus inflammatoriis 64
Pimpinellæ albæ leniter reſolvit & abſtergit 64
- ejus decoctum laudatur in parotidibus 147
- eſſentia commendatur in tumoribus inflammatoriis 64
Pſeudo-Acori, ſeu iridis paluſtris, potenter adſtringit 381
ſymphyti majoris leniter repellit 61
vincetoxici tanquam reſolvens & discutiens ad ſtrumas laudatur 211
Rana in manu detenta ad ſtrumas laudatur 212
Ranula 615
ejus operatio ibid.
Rapæ gelu colliquatæ commendantur in pernionibus 107
Raſe-Ader öffnen 473
Raſio quando locum habeat in oſſium infectione 296
Rau, Profeſſor Lugdunenſis, mutavit inſtrumentum Petri Adrianſon 588
Realgar in cancro non adhibendum 313
Refrigerantia cum aliis mixta inflammationem mitigant 69
nuda, quæ damna in abſceſſibus inducant 73
in febribus periculum augent 485
in furunculo damnantur 79
in motibus inflammatoriis ſcirrhos inducunt 139
Remora Hildani 22
Renes a cancro liberi, unde 306
Repoſitio luxationum quomodo fiat 441
Repellentia incredibile damnum inferunt 154. 157
vide retropulſio.

Res heterogeneæ in aures illapſæ quomodo extrahendæ ſint 606
- in oculum illapſæ quomodo educendæ ſint 588
- in faucibus hærentes quomodo extrahendæ ſint 620
Reſonitus quid ſit 339. 396

Retropulſio humorum in foro chirurgico magnum damnum infert 9
achorum, ſcabiei & aliorum ulcuſculorum admodum familiaris 157
œdematum, quo periculo ſuccedat 167
Reuſnerus allegatur 604
deſcribit tubam acouſticam peculiarem 607
Rhinenchytes 21. 24
Rhevmatismi unde originem ducant 73
Rima quidſit 338. 339
quomodo tractanda 348
Riverius allegatur 604
anagallidis aquaticæ ſuccum laudat in cataracta 604
ejus conſilium ad panaritium 128
Rolfincii conamen in cariei detectione 324
Roll-Binde in tumoribus œdematoſis rejicitur 171
Rondelitii ſuffimigium ad ozænam 290
Roonhuyſen obſervatio de collo incurvato 624
Ros majalis laudatur ad nævos macernos 238
Roſarum flores leniter adſtringunt & reliqua craſi temperant 130
Roſe: die weiſſe quid ſit 55
Roſtrum 21
Rouſſetus de partu cæſareo 179
Rubefacientia quænam ſint 240
Rudicula 23
Rulandus poma putrida in gangræna commendat 89

S.

Saccharum eſt leniſſimum ſepticum 333
Sagapenum gummi minus acre quam galbanum, hinc tam fortiter non reſolvit 165
Sagittæ, harum extractio multam involvit difficultatem 544
hamulo inſtructæ ſcindendo extrahuntur 544. 545
Sal commune ad dentium cariem laudatur 322
gemmæ inſtrumis efficax deprehenditur 211
volatile viperarum a Timæo in cataracta adhibetur 604
fuliginis laudatur ab Hartmanno in cancro ulcerato 311
Salia volatilia diſcutiente & roborante ſcopo commode non adhibentur 255
Saliva qualem corruptionem ſubeat 4
jejuni hominis in gangliis non ſemper efficax eſt 165

Salivatio lenis conducit in parotidibus 147
ut & in refractariis glandularum tumoribus 157
ejus abusus & præpostera administratio accusatur 297. sq.
in scirrhis non probatur, exceptis venereis 143
non commendatur in tumoribus tunicatis, nisi subsit causa venerea 161
mercurialis in ozæna non habet locum 290
per cuprea medicamenta secundum Helvetium temerarium est tentamen 296
Sandalium 44
Sanguis corruptionem sphacelosam subit 4
ejus præmatura cohibitio periculosa 378
ejus corruptio non ab extravasatione simplici, sed a motu sufflaminato dependet 78. 80
salsam corruptelam potentissime exacuit 243
– in cavitatem effusi signa 533
– extravasatio in vulneribus capitis quomodo tractanda 343
barbi piscis ad nævos maternos laudatur 237
Columbinus a multis laudatur in cataracta 604
leporis, specifice laudatur in tumoribus inflammatoriis 64
menstruus item ibid.
– laudatur etiam specifice ad synoviam 391
talpæ specifice in sphacelo laudatur 97
ex vulnerato num hæmorrhagiam sistat 385
Sapo efficaciam resolventem habet 254
commendatur in ambustionibus 100
Sapphirus num virus carbunculi pestilentis attrahat 85
Sarcocele 184. 188. 193. 208
ejus cura 203
Sarcoma 218
a dorso ad suras dependens 220
magnæ molis per sectionem tractari non potest 220
occurrunt sarcomata in partibus carnosis fibraceis 209
in angulo oculi ab Hildano exsectum 220
cum lunæ motibus conspirant 218
nasi quomodo differat a polypo 222. 224
Sarcomphalus 184. 186
ejus cura 203
Sarcosis quibus remediis promoveatur 73
Saturnina sola adhibita in profundis inflammationibus nocent 61
Sauer-Kraut-Laake remedium rustici ad sphacelum inhibendum 69
Scabies hæreditaria 264
Scalpellus & Scalprum 22
Scalpra extra junctiuras non sunt adhibenda 517

Scammum Hippocratis 22
Scapha 31. 489
Scarificatio 489
differt ratione loci & cucurbitularum 489. 490
ejus consuetudo multum valet 492
- locus specialis ibid.
- modus operandi 491
- tempus generale 492
- quantitas 491
- scalpellum adhibitum sollicite detergendum 492
- instrumentum, quo sedecim vulnuscula infliguntur 492
- incisiones profundæ multum incommodi inferunt 491
- usus 490
narium Aegyptiaca 489
quando locum habeat in carbunculo 85
ad callum removendum laudatur 258
in œdematibus non probatur 167
conducit in varis & gutta rosacea 121
laudatur in affectibus spastico-arthriticis 490
intestini in hernia flatulenta exigui est effectus 207
profunda in sphacelo locum habet 93. 96
cum cucurbitula quando locum habeat in ulceribus venenatis 376
Schäden, alte, angelauffene, verwahrloßte, erstickte 61. 79. 244. 245. 253
müssen einen frischen Grund bekommen 249
krebshafte, halbfaulende, unde proveniant 135
Schielen 591
Schienen 16
Schmalzii acus duplex ad cataractæ depositionem 601
Schneller 21
Schnür-Bürste, steife 626
Schröpf-Fliete 19
Schröpf-Kopf 15
Schwinden der Glieder 238
Schwitz-Kasten 23
Scirrhi 132
raro eveniunt 134
externi unde plerumque oriantur 134
curatu sunt difficiles 135
medio loco se habent inter inflammationem & sphacelum 134
in musculosis partibus proniores sunt ad sphacelum 135
in quibus locis nascantur 134
differunt a gangliis 133
- a nodis & gummatibus venereis ibid.
- ab aliis nodis arthriticorum ibid.
- a simplici stasi inflammatoria 133
- a tumoribus saccatis ibid.

Scirrhi
cancroſus quomodo exſcindendus 317
eryſipelaceus 132
œdematoſus ibid.
ſanguineus eſt cancer occultus ibid.
- multa nova vaſa habet 137
quomodo tractandus 136. 139
ſeroſo-mucidus aut ſeroſo-lymphalis 132. 133
- rarior eſt 141
ſanguinei cur magis periculi involvant quam mucidi 135
- quomodo tractandi 136
mucidi, ſi diu ſteterint, etiam periculoſi ſunt 136
phlegmonodei quinam periculoſi ibid.
- quomodo tractandi 137
exſangues quomodo tractandi 136
per ſalivationem curari non debent 143
cur non in corruptionem cito ruant 134
eorum indoles variat 135
emolliti, ſi juſto tempore non aperiantur, ulcera fiſtuloſa producunt 141
ab acutis reſidui non debent repelli 144
in glanduloſis partibus difficulter diſperguntur 135
quomodo exſcindendi ſint 137
quomodo cavendi 139
Scordii decoctum in mitiore gangræna ſufficit 88
ſuccus in gangræna laudatur 89
Scorpionum oleum ad ſtrumas commendatur 211
Scroti paracenteſi quænam ſubjungenda ſint 539
Sculteti obſervatio de carbunculo peſtilente digniſſima eſt 541
obſervatio de carb. peſtil. in orificio ani 85
- de carbunculo retroceſſo per cauterium revocato ibid.
inſtrumentum ad ſtrabiſmum 592
Sectio commendatur in inflammationibus apoſtematodeis 61
nimis mature inſtituta quæ mala proferat 71
commendatur in carbunculo ſphacelato 85
ad fungos grandiores laudatur 217
ad bubones peſtilentes commendatur 153. 154
in glandulis ſub auribus non ſuadetur 155
Sectiones 516
earum modus operandi 517
herniæ extra neceſſitatis caſum non commendantur 205
intempeſtivæ ſcirrhorum incommoda adferunt 141
ad res heterogeneas extrahendas commendantur 546 547

Secundina humana, laudatur ad nævos maternos 237
putrescens mortem facile inducit 659
quando promovenda 657
earum extractionis cautela 659
Sedes quid sit 339
quomodo tractanda 348
Sedum minus laudatur in pernionibus 107
Sella obstetricalis 22
Semen staph. agriæ 265
Semina oleaginosa rebus fermentescentibus adjecta majorem acrimoniam conciliant 141
Septica, eorum abusus accusatur 333
quando in gangræna adhibenda 89
usus nocet in ambustionibus 103
quando in pernionibus concedantur 107
in sphacelo commendantur 94
ad hæmorrhagias sistendas sunt periculosa 96
moderata in fungis commendantur 216. 217
- in polypo narium 225
suspecta sunt in tumoribus tunicatis 160
efficaciora in polypo narium periculosa sunt 226
nocent in vulneribus venenatis 375
arsenicalia in carne fungosa non habent locum 217
venerea ossibus corrumpendis peculiariter idonea sunt 324
- ad fungos cum circumspectione adhiberi possunt 216
e cupro & vitriolo parata, nocent partibus nerveis & membranaceis 333
ad pelliculam in oculo exedendam commendantur 589
lenissimum septicum est saccharum 252. 333
unguenta ad abscessus apertionem a nonnullis adhibentur 70
Seri corruptio celeriter non diffunditur 4
Serpigo 122. 260
ejus distinctio ab herpete miliari usum practicum non involvit 261
conspirat sæpe cum motibus hæmorrhoidalibus 262. 263. 282
exposcit evacuationem sanguinis 262
eam paucis horis profligare non artis est ibid.
Serra 22
quæ præferenda sit in parte amputanda 96
Serratio quomodo instituenda sit 518
Setaceum instrumentum 22
Setaceum 505. 624
ejus symptomata 507
- instrumenta 506
- modus operandi ibid.

Setaceum
ejus uſus 506
ſine prægnanti cauſa non commendatur 507
in hydrocephalo commendatur 174
minus convenit in varis & gutta roſacea 122
ad aquam evacuandam in hydrocele commendatur 201. 202
Severinus de efficaci medicina allegatur 384. 473
de recondita abſceſſuum natura 160
per arteriotomiam epilepſiam imminuit 473
Sinus muliebris clauſura 524
Sipho 22. 23
Situs partus naturalis & præternaturalis 653
naturalis ſæpius immutatur in hominibus, non æque in brutis 656
præternaturalis mutatio facile quidem fingitur, ſed difficulter in actum deducitur 658
Solani furioſi uſus in cancro 314
Solingii inſtrumentum ad ſtrabiſmum 592
ſubligaculum, quo urinæ egreſſum inhibere conatur 646
Solutio frænuli 648
Sonde 23
Sophia Chirurgorum in fracturis adhiberi ſolet 413
Spaniſcher Kragen quid ſit 650
Spatha Celſi 22
Spatha l. Spathula 23
Specillum l. Speculum ib.
Speculum oculi a nonnullis adhibetur in cataractæ depoſitione 23. 601
oris 23. 612
Speck-Beulen 158
Sperma ad mucoſam corruptionem promptius eſt 4
ranarum non nullis ſpecificum eſt ad ulcera ſerpiginoſa 263
Sphaſelus 89
ejus nomen cum re ipſa non habet convenientiam 91
unde deſertio concurſus vitalis in ſphacelo dependeat 92
non a qualitatibus innominatis ſpecificis ibid.
in ſphacelo tonus vividus ante actualem corruptionem remotus phyſicis cauſis non innititur 91
ejus cauſæ genuinæ & fictitiæ 91. 92
rariſſime & ſæpius in hominibus, quam in brutis obſervatur 90
quomodo differat a cancro ibid.
ejus differentia a ſuppuratione 89. 90
non ſemper eſt conſequens gangrænæ 94
cito progreditur 97
in ſphacelo recentiores fingunt aciditatem volatilem 92

Sphacelus
- alcali volatile producitur 92
- num vapores vappidi ſpiritus vitali ſuffocent 91
- eryſipelacea ſphaceloſitas lente ſuccedit 58
ſcorbuticus communiter cum puſtula gingivæ incipit 94
- cur ſegnius procedat 90. 94
in ſphacelo ſcorbutico interna etiam locum habent 94
ejus ſpecies a puſtula nigra in digitis pedum originem ſumens 95
- avtocraticam reſtitutionem Bartholinus rariſſimo exemplo commemorat 92
varia remedia ad ſphacelum inhibendum commendantur 96
ejus pathologia verminoſa ibid.
Sphincter ani num diſcindi debeat in fiſtula ani 285
Spina ventoſa 318
eſt calamitoſum malum 321
eſt affectus rariſſimus 518
quomodo dignoſcenda 319
quomodo differat a carie. 318
tres habet gradus. 318. 319
quomodo ſit tractanda 322. 324
Spirituoſus potus quomodo in acetum tranſeat 95
Spiritus cornu cervi qua cautela locum habere poſſit in febribus vulnerariis 330
Formicarum efficaciam habet nervinam 412
ſalis volatilis oleoſi in febribus vulnerariis non rejicitur 330
ſerpilli abſtractitius efficaciam habet nervinam 412
ſulphuris per campanam ſanguinem notabiliter inſpiſſat 380
theriacalis camphoratus laudatur in gangræna 88
vini a Cardilucio in cataracta laudatur 604
- efficacia conſervativa diu innotuit 322
- *camphoratus* qua enchireſi in cancro adhibendus ſit 308. 312
item in tumoribus inflammatoriis 63
- - crocatus quid efficiat ibid.
- - ubi adhibendus ibid.
- - in carbunculo ſphacelato adhibetur 84
in gangræna 88
- *rectificatiſſimus* corruptiones putridas enervat 312
in ſphacelo laudatur 94. 96
- - affluxum diſcutit, mucum fluxilem coagulat, tonum partis provocat acrimoniam

Unable to display this page

Strumæ
- maturare anceps eſt 211. 213
cancroſæ difficillimæ ſunt curationis 213. 316
earum *deligatio* quando locum habeat 241
- ſectio 213
quo modo inſtituenda 214
ſummam requirit circumſpectionem 213
Stupefacientia ad dolores mitigandos ubi locum habeant 144
externe in cancro non temere adhibenda 313
Stupha Laconica 23
Stylus ib.
Stuppa cannabina 508
Subadſtringentia parce adhibita conceduntur in inflammationibus 59
- cum ſepticis coniungenda in fungis 217
Subluxatio eſt luxatio incompleta 433
Succinum ad res peregrinas in oculum illapſas commendatur 548
Succus Chelidonii non arrodit verrucas, ſed peripheriam mollem 230
- laudatur in vulneribus mundificandis 328
millefolii laudatur ad mundificationem vulnerum 328
Eſulæ non arrodit verrucas, ſed peripheriam mollem 230
ſcordii in gangræna laudatur 89
Sucher 23
Sudor emortualis ad ſarcomata laudatur 220
Sudorifera impetuoſa nocent in furunculo 80
Suffimigia in ſcirrhis efficacia 138
in procidentia uteri laudantur 178. 179
Suffimigium Rondelitii ad ozænam 290
Suffuſio 594
Sugillatio 129
a contuſione differt, ut effectus a cauſa ibid.
major cito non debet repelli 131
oculorum quomodo tractanda 351
Sulphuris flores conducunt poſt retropulſa ulcera 157
uſus externus ad ulcerationem œdematum debet eſſe providus 196
antimonialis ſolutio exſerit cauſticam efficaciam 168
Sulphurata ſanguinem adhuc mobilem repellunt 118. 119
nocent, quando poſt obviſcationem ſanguinis applicantur ibid.
Sulphurea oleaginoſa corruptioni falſæ affuſa acrimoniam augent 141
Suppoſitoria 515. 646
triplici gradu differunt 515
ubi locum habeant 515
e quibus paranda ſint 515

Suppositoria
ſtimulando tantum agunt ibid.
non habent locum in fæcibus induratis & motibus ſpaſticis ibid.
Suppuratio quomodo differat a putredine 89
ejus ſigna 519
abſolute non habet potentiam in partes exſangues 90
non reſpicienda eſt in tumoribus tunicatis 160
Suſpenſorium ſcroti 38
penis 37
Sutorii corroſivum allegatur 540
- ſepticum a quibusdam laudatur 333
Sutura, de iis generatim 559
earum multas ſpecies habebant antiqui 559
actualis ſeu cruenta ibid.
- harum cauſæ 560
methodus 561
potentialis ſeu ſicca 559
- harum cauſæ 560
- quomodo perficiatur 561
abdominis 565
labii leporini 562 609
- hujus rariſſima circumſtantia 565
- quomodo perficiatur 563
L'entortillée 560
nodoſa ſeu interſciſſa, l'entrecoupée 559
- quomodo perficiatur 561
pellionum 559.567
Cornelii Celſi methodo 568
tendinum 560. 569
- quomodo ſit inſtituenda 570. ſq.
- raro efficax eſt 572
Sympathetica remedia minus locum habent in gravioribus hæmorrhagiis paſſivis 385
ad verrucas 231
in ſtrumis ſunt incerta 212
primario a cauſa morali dependent 220
Symphyſis oculorum 523. 525 526. 584
Symphytum maius conſolidationem promovere dicitur 335. 413
Synovia 386
a Paracelſo nomen accepit 386
duplici ſenſu ſumitur ibid.
in partibus tendinoſis & ligamentoſis occurrit 386
a cauſa paſſiva falſo derivatur 387
quomodo inducatur ibid.
irritantibus in vulnere cauſis active deſtinatur ibid.
a perverſa tractatione chirurgica dependet ibid.
cur antiquis rara fuerit 390
eam in recente vulnere hariolari ignorantiæ ſignum eſt 388
impedit aliquando oſſis luxati repoſitionem 443
hic fluxus eſt malum ſignum in vulneribus 390
coctionem in vulneribus impedit 388

Synovia
in cacochymicis pertinaciter se gerit ibid.
diu manans partis debilitatem vel ariduram relinquit ibid.
num per totam vitam virium prostrationem inducat ibid.
cur illam Hippocrates nullis artificiis sistere voluerit 390
adstringentibus incongrue tractatur ibid.
nec non emollientibus & unguinosis aut etiam refrigerantibus ibid.
quomodo tractanda 388.389
Synthesis, qui affectus, ad illam pertineant 6
Sygringa 23
Syringotomus ad fistulam ani recens inventus 24
Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro 264
de spina cervina 265

T.

Tabacks = Clystier 14. 514
Tabacus efficaciam habet abstergentem 247. 248. 254
inter septica mitora refertur 252
ejus efficacia in ulceribus cancrosis est admiranda 313
eius *decoctum* laudatur in tumoribus œdematosis 170
- commendatur ad ulcera mundificanda 246. 254. 328
- in contusionibus 370
succus ulcuscula abstergit 262
- vel decoctum abstergendo & mundificando conducit in mammis ulceratis 157. 309
pediculis infensus 265
Tacken 647
Taliacotius defectum nasi aliena carne compensare docuit 608
Talpæ alligatio ad panaritium experientiæ non ubique se commendat 127
ad strumas adhiberi solent 212
sanguis specifice in sphacelo solet laudari 97
cineres ad lenia septica pertinent 225. 246. 255
- auferunt callum 257
- resolvunt fungos 255
Tartari oleum per deliquium est abstergens 122
Telæ araneorum non sunt adhibendæ post suctionem hirudinum 502
Temperamentorum differentia in casibus chirurgicis attendenda 5
Tendines ex parte tantum vulnerati, num penitus discindendi sint 336. 572
- incisi majus periculum fovent, quam discisi 395
Tentes 52
Terebinthina est cicatrizans 73
fermentescentiam mellis temperat 255

in

Terebinthina
in ſubſtantia roborat partes, & reſinoſa ſui parte ſuppurationem accelerat 332
magna portione in ungvento digeſtivo adhibita ardorem inflammatorium provocat 332
Terebra l. terebella 24
Terebratio quando locum habeat in carie oſſium 325
Teſtium cancroſa conſtitutio 648
Teſtudinatio 340
Theriaca in vulneribus venenatis fide dignam efficaciam non præſtat 375
Thermæ proſunt in contracturis & ariduris 240
Thlaſis quid ſit 340
Thromboſis quid ſit & requirat 522
Thymus quid ſit 647
Timæus ſal volatile viperarum cataractæ opponit 604
Tinea 264. rubicunda per hirudines ſanata 497
Tire-tête Mauriceau 24
Tonſillarum abſceſſus 618
excreſcentia 620
inflammatio 618. 619
ſcirrhoſitas 619
Torcular 24
Tournequet 24. 40. 114. 115. hujus applicatio cognitionem anatomicam requirit 381
Tracheotomia 621
Transfuſio ſanguinis 493
publice in Gallia prohibita 495
hujus methodus 494
- difficultates 494
Transplantatoria remedia in ſtrumis ſunt incerta 212
primario a cauſa morali dependent 220
Trepanatio 572. 578
ſumitur vel latiore, vel ſtrictiore ſenſu 572
anceps eſt remedium 573
raro neceſſaria 347
in comite Naſſov. viceſies ſepties adhibita 580
ejus cauſæ indicantes 573
quando locum habeat in hydrocephalo 175
ejus tempus 574
- locus 575
- pharmacevtica præparatio 576. 581. 582
- operatio 576. ſqq.
- deligatio 577
- modus ib.
- magnitudo ib.

Trepanum 24. 578
Hildani 578
Trichiaſis 586
ejus cura 587
Trichiſmos quid ſit 339
Trocart l. troiscart 24
Tuba acouſtica 18. 607
Tubus, l. Tubulus 25
Tulpii obſervatio de aneurysmate per preſſionem ſanato 113

Tumores, eorum abſentiam in magnis vulneribus veteres falſo pro malo ſigno habebant 395
differunt ab excreſcentiis 6
axillares ad maturationem præ aliis glanduloſis tendunt 156
inflammatorii 54
glandularum 155
poſt ulcera retropulſa 156. 157
mammarum glanduloſi diſtingvendi ſunt a ſcirrho ſangvineo 156
- ſtaſin lactis pro fundamento habent ibid.
- profundi facile abeunt in corruptionem ulceroſam 156
- perverſa arte facile transmigrant in ulcerationes cancroſas 156
- quomodo tractandi ſint 157
oedematoſi ſeu frigidi 166
- unde proveniant 166. 167
- plerumque a cauſis internis ortum ducunt 166
- a cauſis internis non expoſcunt topica 170
- horum topica tractatio rariſſime locum habet 167
- ulceribus nocent 253
- hoſce ſcarificando profligare, peſſimum eſt conſilium 167
tunicati ſeu ſaccati 158
- obſirmati plerumque in viſceribus ſui ſimiles habent 161
- contumacis ſunt indolis 159
- medicamentis rariſſime cedunt ibid.
- quomodo exſcindendi ſint 159. 160
eorum folliculus prorſus exſtirpandus 159. 160
Turpetum minerale omnium vehementiſſimum eſt ſepticum 253
Turundæ 52
turgeſcentes ubi neceſſariæ 546
illarum uſus cum cautelis 52. 53
unde nonnulli omnem illarum uſum reiecerint 53. 522
illarum uſus in vulneribus abdominis 367
circa hunc cautela ibid.
in ulceribus fiſtuloſis circumſpectionem requirunt 272

V.

Vaginæ prolapſus 176
frequentior quam prolapſus uteri ibid.
imperforatio 524
concretio 651
excreſcentiæ ibid.

Vari 119
de loopende Varen ib.
differunt gradu 120
eorum cauſa falſo putata, & vera ib.
retropulſi dira ſymptomata inducunt 121. 122
obſervantur contagioſi ibid.

Vari
eorum indoles furunculo tribuitur 76
Varices 116. 660
modo active, modo passive contingunt 116
veri & spurii ib.
minus periculum alunt quam anevrysmata 117
eorum ruptio interdum lethalis fuit ib.
- raro contingit ib.
spontanea cum euphoria facta ib.
fluentes tempestive non supprimendi sunt 118. 119
retropulsi spasmos inducunt 117
activi cum hæmorrhoidibus connexionem habent 118
Varices gravidarum 116
post partum communiter evanescunt 117
in varicibus medicatio interna plus præstat, quam operatio ibid.
nonnunquam abeunt in putridam corruptionem ib.
eorum sectio periculosa ib.
- inicisio quando locum habeat 118. 119
- excisio gravior est ipso morbo ib.
- ustio periculosa ib.
externa medicatio ib.
Varicocele 184. 189. 648
ejus cura 203
Varicomphalus 184. 187
ejus cura 203
Vasa sangvifera incisa magis periculosa, quam discissa 394
Uber-Bruch 198
Vectis 16. 25
Venæ sectio 474
ejus causæ sunt præcipue quatuor 475
- subjecta 480
- tempus 478
- tempus prudentissime dijudicandum est 486
æquinoctialis conducit in erysipelate consvetudinali 64
ejus locus 474. 478. 486
quibus locis hodie instituatur 478
adsveta repeti debet 486
monitum in iis, quibus prima vice vena secatur 487
venarum secandarum electio 474. 479. 487
ejus instrumenta 481. 487. 488
enchiresis 487
in divaricatione non instituenda est ib.
ejus quantitas 479
Gallorum & Anglorum repetita improbatur 479. 484
- symptomata 481
- exiguum vulnusculum duo habet incommoda præcipua 487
- cautela in virginibus ubique nota 488
- usus generatim triplex est 475

Venæ sectio
- usus generalis, specialis & specialissimus 476. 486
- abusus in febribus acutis accusatur 477. 482. 485

num in peste secura 485
in affectibus spastico-arthriticis utilis est, imo audacter repeti potest 240. 486
Galenica 484
in gangræna commendatur 88
in gravidis 488. 489
in leviori inflammatione non necessaria est 59. 484
quando usum habeat in luxationibus 443
abortum præservat 476. 489
in scirrhis sanguineis locum habet 140
conducit in varis & gutta rosacea 121
quando necessaria sit in vulneribus 383. 484
non reformidanda in partibus vulneratis inflammatis 64
post eandem Galli haustum aquæ frigidæ sumunt 488
in intermittentibus directum locum non habet 486
ei in acutis refrigerantia subjungere, periculum auget 485
Venena non sunt theoriæ & methodi medicæ 375
Venenositas innominata in cancro 304
Veneris cinis est septicum 252
Venereum miasma obviscationi lymphæ ansam præbet 159
Ventriculus per decem annos apertus in Actis Nat. curiosorum legitur 400
Ventosa 15
Venus-Beulen 149
Verband 25
Verduyn nova methodus amputandæ tibiæ paucos asseclas nacta est 557
Vermes in ulceribus reperti non ut causa, sed effectus considerandi sunt 126
Verminosa pathologia de sphacelo 96
Verrucæ 228
a cutis nerveo-membranosis fibrillis exoriuntur 209
cur in manibus & facie, non autem in pedibus appareant, dubia est causa 233
in oculo circumspectionem requirunt 232. 585
Verrucosæ excrescentiæ in genitalibus 648
Verrucæ quomodo exstirpandæ 229. 230
in meticulosis tantum sunt contagiosæ 229
hæreditariæ moderatissimam tractationem exposcunt 232
verrucas illustrissima familia lunæ splendore curavit 232
Vertibulum modiolorum 25
Vesicæ in ambustionibus, num aperiendæ sint, nec ne 103

Veſicæ
aqua calida repletæ in tumoribus œdematoſis commendantur 170
bubula vulnerum hæmorrhagiæ applicatur 379
Veſicatoria 507
non agunt in partes emortuas ſed vivas 95
minus conveniunt in varis & gutta roſacea 122
in hydrocephalo commendantur 174
eorum ſymptomata 509
- uſus 508
- modus applicandi 509
- remedia 508
flexuræ cubiti internæ applicatum, eſt judæi experimentum 509
Veſtigium quid ſit 339.348
Vibices 129
quomodo tractandæ ſint 131
Vinacea calida a quibusdam laudantur in tumoribus œdematoſis 169 170
Vinum calidum efficax eſt in ſugillationibus recentibus 131
Vinum quo modo transeat in acetum 95
Vinum aromaticum ad roborationem laudatur in ulceribus 255
Vini ſpiritus rectificatiſſimus veſica adhibitus optime ſangvinem inſpiſſat 96
vid. Spiritus vini
Viperarum caro, cor & hepar ſpecifice conducunt in morſibus ſerpentum & viperarum 375
Sal volatile & pinguedo in cataracta laudantur 604
Vitellus ovorum reſolvit, abſtergit, aufert 254
renititur corruptioni acetoſæ fermentativæ mellis 255
Vitriol. Knöpfe 558
Vitriolum Martis ſolaris, ejus tinctura laudatur in varis 122
cypreum ad pelliculam exedendam commendatur 589
Veneris inſigniter cauſticum & ſimul adſtringens eſt 252
Vitrum 25
Vlcera generatim 242
in partibus exſanguibus contingunt ibid.
differunt ab apoſtemate ibid.
ex apoſtemate contumacia ſunt 246
qualificata fœtorem ſpargunt 243
ſuperficialia unde & in quibus temperamentis orantur 243
cacoethea, diſepulotica, chilonia 256
calloſa unde oriantur 243.256
- non confundi debent cum tumoribus duris circa ulcus 256
- compoſita in venereis & cancroſis ulcerationibus eveniunt 256. 286
- quando in fiſtuloſa abeant 257
glandularum præ aliis ſunt rebellia 245.306

Ulcera
cancrodes, Gallice chancre 292
cancroidea num curationem admittant 307
cancrosa 298
- quomodo differant a cancro 299
- faciei peculiaris sunt malignitatis 316
- labiorum summæ sunt difficultatis ibid.
carioſa curationem reddunt difficilem 324
ex erysipelate 259
- sunt pravæ indolis 73. 259
fistulosa 267
- quomodo differant ab ulcere sinuoso 268
- in diffito loco nonnunquam habent cariem 269. 323
- eorum cura interna & externa 269. 270
ulcus phagedænum 259
ex scirrhis nata seu scirrhosam stasin in ambitu foventia, quomodo tractanda 143
ex scirrhis indolentibus pejora sunt quam simplicia 144
scorbutica 286
- sunt fœtida ibid.
- certis anni temporibus repullulant 287
serpiginosa 260
- sunt contagiosa 262. 263
- sæpius repullulantia corruptelam humorum intimiorem designant 262
sinuosa 250. 351
- quomodo differant a fistula perfecta 267. 268
superficialia tibiarum incongrue tractata fiunt rebellia 249
- non statim emplastro tractanda sunt 254
venerea 291
- quomodo tractanda 293. sqq.
non ferunt humiditatem, nisi sit spirituosa 255
- habent segnitiem successivæ corruptionis 292
eorum cura generalis & specialis 246-248. 251
- errores circa eandem 249
- ab intra expurgatio commendatur a Paracelso 247. 269. 315
diuturna & recidivis firmata rebellia sunt 252
eorum humida colluvies prius abstergenda, quam fibrillæ semi-corruptæ 25
legitime curata cur novæ confluxioni facile exposita sint 251. 252
Ulceratio palati 61
Umbilici compunctio 539
deligatio 657
incisio a quibusdam impugnatu 20

Unable to display this page

Urina ejus excretioni duplex interdum hiatus patet 531
- incontinentia quomodo tractanda 631
nonnullis est arcanum in contusionibus 61
calida efficax est in fugillationibus recentibus 131
Urinosa excrementa laudantur in tumoribus œdematosis 169
Urticatio 240
Usnea cranii humani specifice solet laudari ad synoviam 391
Ustio 540
non conducit in anevrysmate, nisi in spurio admodum parvo 113
arteriarum incisarum nunquam concedenda 337
vasorum pessimo consilio instituitur 383
ejus usus 541
actualis, quomodo fieri debeat 542
- circumspectionem requirit 95
- ejus post amputationem partis cautelæ 542
potentialis circumspectionem requirit ibid.
- quamdiu relinquenda sit ibid.
- relinquenda, donec eschara inducta sit ibid.
quando locum habeat in ossium infectione 296
in carie ossium commendatur 322
in sphacelo egregium habet usum 95
varicum periculosa 118
in vulneribus venenatis locum habet 375
ejus cautelæ 542
Uteri coalitus quomodo tractandus 522. 526. 530
in gravidis ultimis mensibus non raro evenit 179
descensus 175
excrescentia 176
procidentia 175. 651
- rarior quam vaginæ prolapsus 176
- quomodo reponenda 177
Vulnera generatim 325
eorum differentiæ sunt fere innumeræ ibid.
gravia in partibus minus necessariis cur facilius ferantur, quam levia in partibus perpetui usus 402
a Chirurgis sæpe in deteriorem statum deducuntur 332
levia carnosa non indigent medicamentis 330. 331
lethalia distinguenda sunt a vulneribus insanabilibus 393
insanabilia quænam sint 394
lethalia 392
per accidens lethalia quænam sint 394

Vulnera
animalium rabidorum majore cura tractanda ſunt 374. 376
per morſum ſimiarum inflicta periculoſiſſima habentur 377
contuſorum vulnerum prognoſis 395
punctim facta graviora ſunt, quam cæſim inflicta 395
ſclopetaria 371. 397
- ſemper requirunt digeſtiva 372
- hisce ad attrahendum empyrevma applicare acriuſcula inutile eſt 372
venenata 373. 395
- eorum prognoſis 374
- præ aliis ſunt periculoſa ibdi.
- non ferunt moram 375
- quomodo virus extrahendum ſit 374
- per plures hebdomadas aperta ſunt ſervanda 376
venenatis per laceratione dentium inflictis quomodo ſuccurrendum ibid.
eorum renunciatio eſt res difficilis 403
d o mini s, eorum prognoſis 398
- ſuperficialia 361
- cavitatem penetrantia 362
arteriæ tantum inciſæ quomodo tractanda 337
- aſperæ 356
- - eorum prognoſis 356. 398
- carotidis 356
articulorum 366
artuum, eorum prognoſis 402
aurium, quomodo tractanda 352
capitis 338
- - eorum prognoſis 344. 395. 396
- - ſigna generalia 341
præ reliquis ſunt periculoſa 344. 395. 396
levia leviter non ſunt tractanda 345. 395. 396
cerebri, eorum prognoſis 345. 396
- - ſigna 342
ciſternæ, eorum prognoſis 400
colli 356
- muſculorum 357
- eorum prognoſis 397
cordis 361
- eorum prognoſis 398
cranii & pericranii, eorum prognoſis 338. 396
- ſigna 342
ductus cholid. eorum prognoſis 399
- thoracici, eorum prognoſis 400
diaphragmatis, eorum prognoſis 398
faciei 340
faucium 354
fœtus in utero, eorum prognoſis 402
frontis quomodo tractanda 349
genarum quomodo tractanda 352
glandularum 395

Vulnera
gulæ, eorum prognosis 400
hepatis 363
- eorum prognosis 399
inteſtinorum 364. 365
- eorum prognosis 401
labiorum quomodo tractanda 353
lienis 363
- eorum prognosis 400
linguæ quomodo tractanda 353
meningum, eorum prognosis 345. 396
menti 354
meſenterii 364
- eorum prognosis 400
naſi quomodo tractanda 352
nervorum 357. 394
- ſunt periculoſa 394
oculorum 350
œſophagi 357
- eorum prognosis 400
omenti 363
- eorum prognosis 399
organorum ſenſoriorum externorum, eorum prognosis 397
palpebrarum, quomodo tractanda 350
pancreatis 364
- eorum prognosis 400
pericranii, quomodo tractanda 346
pericardii 398
peritonæi, eorum prognosis 399
pulmonum 360
- eorum prognosis 398
renum 364
- eorum prognosis 400
ſterni 358
- eorum prognosis 398
temporum, eorum prognosis 397
muſculorum temporalium, quomodo tractanda 349
tendinum ſunt periculoſa 394
thoracis 356
- eorum prognosis 397
- levia 358
thoracis cavitatem penetrantia 358. 397
vaſorum lymphaticorum 395
- eorum prognosis 400
venæ jugularis 356
ventriculi 364
- eorum prognosis 401
veſiculæ felleæ 363
- - eorum prognosis 399
- urinariæ 364
- - eorum prognosis 400
umbilici 362
- eorum prognosis 399
uretherum 364
- eorum prognosis 400
uteri 366
- eorum prognosis 402
ſine hæmorrhagia ſubſequente expoſcunt venæſectionem 337
qua cautela liganda 338
exſanguia in ulcus transeuntia admodum fiunt ſenſibilia 336
eorum mundificatio præcipuum eſt curæ momentum 327. 372

Vulnera
- quænam includat 328
integram partem penetrantia instar setaceorum tractari solent 372
levia & profunda quomodo tractanda 330
eorum labia valde dehiscentia quomodo unienda 331
- consolidatio quomodo promovenda 329
Vulneraria decocta quomodo paranda 331
vix necessaria 331. 334
accusantur 334
Uvulæ descensus quomodo tractandus 616

W.

Wachs-Beulen 148
Wagen-Schmeer specifice laudatur in sphacelo 97
Wasser-Kopf 171
Wedelius laudat pinguedinem viperarum in cataracta incipiente 604
Wege-Distel ad cancrum ulceratum laudatur 311
Wetters-Veränderung fühlen etliche Patienten 382. 444
Wiecken 52
Wild Fleisch 227. 251
Wind-Dorn 318
Wind-Geschwulst 422
Winteri observ. de radice napelli 314
Wurm am Finger 125
Wurtzii unguentum fuscum 255

Y.

Yens cultros & alias res ferreas deglutivit 403

Z.

Zingiber laudatur in gutta rosacea 122
conducit in tumoribus œdematosis 168
Zona Hildani 25
Zug-Brücke quid sit 340
Zug-Glas 25
Zungen-Lösen 614

CORRIGENDA.

Pag. 25. lin. 22. leg. veterum. p. 51. lin. 27. leg. habent. p. 125. l. 7. & 15. leg. perioſteum. p. 157. l. 11. leg. talibus. p. 160. l. 34. leg. faſtigiatus. p. 166. l. ult. leg. ibi. p. 168. l. 6. leg. adſtringentia. p. 185. l. 34. leg. ſubaudit. p. 188. l. 35. leg. teſticulorum. p. 190. l. 5. leg. cauſæ. p. 191. l. 25. leg. dilatatione. p. 219. l. 20. leg. ſarcomatis. p. 225. l. 21. leg. cranii, l. 30. leg. balauſt. p. 231. l. 32. leg. aliis. p. 244. l. 20. leg. angelauffene. p. 292. l. 22. leg. ſeroſo. p. 323. l. 28. leg. infimarum. p. 532. l. 29. leg. pleuræ. p. 604. l. 21. leg. illitam.

Unable to display this page



